M. Alexandrj Glaserj Wartebergij



TERTIA PARS

LOCORVM THEOLOGICORVM VIRI CLARISS. D. VICT. STRIGELII.

Edita in vsum iuuentutis scholasticæ,

A

CHRISTOPHORO PEZELIO
sacræ Theologiæ Doctore.

NEAPOLI NEMETVM
excudebat Matthæus Harnisch.

M. D. LXXXIII.

INCLYTO AC GENEROSO COMITI AC DOMINO, DOMINO HERMANNO COMITI IN SEIN, &c. Domino in Hachenberg, &c. Domino suo reuerenter colendo,

Christophorus Pezelius, Sacræ Theologiæ Doctor

S. D.



LTER iam annus agitur, inclyte & generose comes, cùm à tua Generositate benignè inuitatus ad statum Ecclesiarum tuæ ditionis inspiciendum, & amicitiam cum ministris vicinis contrahendam, ex Nassouiensi comitatu, vbi tùm eram, in arcem G. T. Altenkirch veni, comitatus viro verè nobili, pietate, eruditione, & fide ornatissimo D. Ottone Grunrodio. Accidit autem tùm opportunè vt eo ipso tempore ad T. G. venirem, quo præcipui ex ministris T. G. iussu conuocati erant, vt in Examine Theologico exploratio fieret profectus quorundam, qui ministerio sacro initiandi erant. Non solùm igitur flagitante G. T. sed etiam ministris ipsis, qui conuenerant, petentibus, facilè à me impetrari passus sum, vt cœtui ministrorum me adiungerem, & diem illum ferè integrum cùm alios interrogantes audirem, tùm iussus ipse quoque ex candidatis nonnulla quærerem, quæ ad

erudiendos illos, & confirmandos in veris sententijs doctrinæ necessariæ, prodesse iudicabam.

Præcipuæ partes in examinando tùm erant D. Sarcerij Superintendentis, Erasmi filij, & cùm cæteri plerique Pastores permutatis vicibus quædam interrogando proponebant, tùm verò duo inprimis erudite ac piè multa explicabant, D. Adamus, & D. VVigandus, qui summi Theologi D. Zachariæ Vrsini auditor aliquando fuerat. Quanquam verò subinde in difficilioribus quibusdam locis explicandis, meum etiam, quasi Symbolum requirebatur, in quo libenter gratificatus sum pastoribus, id amicè postulantibus: potissimum tamen, cùm ad locum de Sacramentis peruentum esset, seriò ac diligenter à me D. Sarcerius contendit, vt onus quærendi & explicandi in me reciperem, quod, ne fidei meæ cõfessionem dissimulare viderer, recusare non debui. Quærendo ergo & explicando, ingenuè ac liberè dixi de Sacramentis, primùm in genere: postea cùm in specie pauca quædam D. Sarcerius de Baptismo addidisset, rursus in me interrogandi labore translato, horas fermè duas impendi doctrinæ de cœna explicandæ, vrgentibus fratribus, & vehementer instantibus, vt controuersiam totam, de qua nostro seculo acerbissima certamina extitissent, copiosè ac solidè exponerem. Idque eò magis, quòd in illo consessu nonnulli ex pastoribus adhuc inter se dissentire de hoc religionis Christianæ capite viderentur.

Recitaui ergo bona fide summam totius controuersiæ de Cœna Domini, & reiectis ac remotis calumnijs, quibus falsò oneratur ab improbis veritas, non de Christi omnipotentia ac veritate, non de corporis Christi in legitimo vsu Cœnæ præsentia & manducatione, sed

ne, sed de sensu, atque intellectu verborum institutionis, & de modo præsentiæ, ac manducationis, quæri in hoc certamine dixi.

I. Ac de verbis quidem illis: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: Hic calix est sanguis Noui Testamenti, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum, triplicem interpretationem esse ostendi, de qua hodiè potissimùm pugnaretur inter Papistas & Euangelicos: 1. Vnam, de Transsubstantiatione, qua non relinquitur panis esse corpus Christi, sed panis mutatus seu annihilatus fieri essentiale corpus Christi asseritur, quod monstrum iam pridem ab Ecclesijs Euangelicis explosum est: 2. Alteram, de Consubstantiatione, seu, vt Occam loquitur, de Coexistentia corporis ad locum panis, quam ex scholasticis quosdam, nisi Romanæ Ecclesiæ authoritas obstitisset, magis probasse constat, ex quibus Petrum de Aliaco citat D. Lutherus, Cardinalem Cameracensem, qua pani quidem substantia non adimitur, sed cùm ad explicationem rei peruentum est, non tàm pani Eucharistico nomen corporis Christi relinquitur, quàm corpus ipsum inesse, vel subesse, vel coexistere dicitur in, vel sub, vel ad locum panis Eucharistici, non modò contra literam, sed etiam contra διάνοιαν natiuam verborum Cœnæ, quæ non locum, vbi corpus Christi existat, sed vsum & officium panis ex ordinatione Christi describunt. 3. Tertiam, quam veteres orthodoxi scriptores ante initia regni Antichristi constanter retinuerunt, de vnione Sacramentali, qua secundum Sacramentalis prædicationis modum panis affirmatur esse corpus Christi, neque ob substantialem aliquam mutationem panis, nec propter affixionem corporis Christi ad locum panis, sed quia Sacramentum, id est,

testimonium, pignus, atque sigillum, imò & medium, ac instrumentum est, diuinitus ordinatum, in cuius vsu obsignatur, atque etiam exhibetur, seu applicatur credenti corpus Christi, & omnia ipsius beneficia.

Inter has ergo interpretationes diuersas, (cùm verum esse plus vno non possit) tertiam hanc orthodoxam esse, ostendi ex fine institutionis, seu intentione Christi, non aliud nouum corpus, aut nouum quendam Christum, siue ex pane factum, siue sub pane substantialiter delitescentem, sed mysterium, seu Sacramentum sui corporis Apostolis & Ecclesiæ commendantis, donec veniat. Item ex collatione verborum de Calice, quæ apud Lucam & Paulum commemorantur: Hic Calix est nouum Testamentum in meo sanguine, id est, est res illa, in cuius vsu fit applicatio noui Testamenti, seu promissionis gratiæ. Præterea etiam ex ipsius Pauli expositione: Panis, quem frangimus, est κοινωνία corporis Christi, sicut Idolothyta sunt κοινωνία τῶν δαιμονίων: Et ex omnium locutionum Sacramentalium inter se comparatione, in quibus propter certitudinem promissionis, & exhibitionis, rei signatæ nomen prædicatur de signo visibili. Denique ex vniuersali veterum scriptorum consensu, qui panem nominant corpus Christi secundum quendam modum, &, vt Lutherus in Esa. commentarijs loquitur, figura quadam sermonis, non quidem euacuante Symbola, aut communionem corporis Christi tollente ex vsu Cœnæ, sed & promittente, & confirmante exhibitionem, & applicationem corporis Christi ad singulos, qui hoc Symbolo panis Eucharistici legitimè vtuntur.

II. Deinde, de modo præsentiæ, hoc in controuersia positum esse dixi: An propter panem adsit corpus Christi in vsu Cœnæ, an verò propter hominem. Ac Papistas qui-

stas quidem, & scholasticos (vt promissionem homini factam, ad Symbolum quasi deificandum detorquerent, nec tàm Sacramentum Christi, quàm Christum ipsum, aut certè operculum ac tegumentum Christi, esse hominibus persuaderent) ipsius essentialis, seu naturalis corporis Christi realem præsentiam commentos fuisse ostendi, siue sub figura & accidentibus huius panis, vt transsubstantiatores loquuntur, siue sub pane ipso, retinente substantiam suam, vt scholastici consubstantiatores sentiunt. Quorum tamen opinionem Lanfrancus & Guitmundus non dubitant Impanationem nominare: Eamque & Formula Concordiæ inter D. Lutherum, & Theologos superioris Germaniæ constituta, appellatione localis inclusionis διαῤῥήδην reijcit.

Quia verò vno inconuenienti dato, infinita sequuntur absurda, & error fœcundus est, demonstraui, δὶς διὰ πασῶν dissentire eos, qui talem præsentiæ corporis Christi modum, siue sub accidentibus, siue sub substantia panis Eucharistici statuunt.

Nam & de causa ipsa corporalis istius præsentiæ in hostia, vt loquuntur, siue transsubstantiata in corpus Christi, siue corpori Christi substantialiter copulata, alij aliter sentiunt: Papistis ad vim consecrationis referentibus, quòd ad verborum pronuntiationem, certo modo factam, corpus Christi ibi esse incipiat: Alijs, quibus hoc magicum videri solet, ad vbiquitatem confugientibus, qua corpus Christi vel ex reali, seu physica communicatione Idiomatum, vel ex sessione ad dextram Dei, perpetuò vbiq; sit, atq; ita etiam in pane, antequam consecratio fiat, cuius hunc solummodò vsum esse dicunt, vt voluntatem Christi patefaciat, quòd ibi & quæri, & manducari corpus suum velit. Nam alioqui & in

ense, & in laqueo, & qualibet creatura corpus Christi esse: vbi tamen non velit à nobis manducari, quia tantùm de pane isto voluntatem suam sic patefecerit.

Rursus verò, qui ad consecrationis vim referunt præsentiam istam, vehementer anxij, atque soliciti sunt de tempore, seu mora, seu duratione illius præsentiæ. Aliqui tam diu corpus Christi adesse dicunt, quamdiu gustus panis in ore durat: alij eousque, donec in templo decantetur, Ite missa est. Papistæ etiam extra sumtionem tàm diu corpus Christi in figura, seu accidentibus hostiæ præsens manere affirmant, quamdiu species externæ, seu accidentia reliqua maneant.

Quæ cùm omnia sint plena impiarum perplexitatum, & fundamentum præcipuum totius idololatriæ, qua colitur in Papatu Deus Maozim, horribili cum contumelia Christi, in repositione, circumgestatione, eleuatione, adoratione, oblatione panis consecrati, & tota illa cumulatione Missarum: non aliam dixi orthodoxos scriptores veteres agnoscere in sacra Eucharistia præsentiam Christi, quàm quę ad legitimè SVMENTES pertineat. Propter hos enim, sicut promisit, se affuturum in hac Cœna: ita verè adest, ac in vsu, & sumtione Symbolorum (quæ naturam suam non mutant) obsignat, exhibet, & applicat credentibus suum corpus & sanguinem, viuificando eos ad vitam æternam.

Hanc dixi, non esse otiosam, non momentaneam, sed efficacem, & perpetuam præsentiam, qua ita sese vniat, ac copulet Christus legitimè vtentibus hac Cœna, vt per fidem in cordibus nostris habitet, & nos in ipso, & ipse in nobis sit, iuxta dictum Hilarij: Hæc sumta & hausta efficiunt, vt ipse in nobis, & nos in ipso simus. Hanc præsentiam, & efficaciam Christi in nobis ostendi

talem

talem ab orthodoxis poni, quæ naturæ regni ipsius conueniat, atque ab illa, quæ in verbo Euangelij proponitur, specie non differat, neque cœlesti gloriæ Christi quidquam deroget, & humanæ naturæ veritatem non aboleat. Et hanc viuificam præsentiam, quæ non ad Elementa, sed ad sumentes pertineat, copiosè demonstraui ad omnes circumstantias primæ Cœnæ congruere, & huic adstipulari canonem omnium articulorum fidei, de veritate carnis Christi, deque ipsius in cœlum ascensione, & sessione ad dextram Dei in cœlis, & de reditu ipsius ad vniuersale iudicium.

Contrà verò prorsus inutiles & perniciosas esse rixas illorum ostendi, qui in eo occupantur, non tàm, vt doceant, quomodo se homini communicet Christus, propter quem adest in vsu huius Sacramenti, quàm quomodò secundum Papistas, corpus ipsius succedat in locum panis, & sub huius accidentibus tractetur manibus sacerdotum, & postea repositus in capsulis permaneat: Aut certè (vt alij, qui transsubstantiationem repudiant, sed eandem tamen præsentiam corporalem cum Papistis tuentur, non quidem sub accidentibus, sed sub pane ipso,) quomodo substantialiter Christus pani se iungat, in pane lateat. Quod, vt erroris sui opinione fascinati obtineant, non verentur & nouos articulos fidei, atque adeò nouum Christum, incognitum Prophetis & Apostolis, qui nullam veri corporis proprietatem habeat, & qui nulla ex parte nobis sit ὁμούσιος, Ecclesiæ obtrudere, & miracula sine fine, & numero, tanquam somnia comminisci ac fingere, & ne iacturam suarum imaginationum faciant, cœlum terræ & inferis miscere, & replere omnia tumultibus, clamoribus & persecutionibus dissentientium.

Postremò, de modo manducationis corporis Christi in Cœna, duo hæc controuerti dixi : Nùm ex opere operato, sine fide, manducetur ipsissimum corpus Christi, idque modo corporeo, oraliter, labialiter, dentaliter, (sic enim loqui quosdam non puduit:) Et, Nùm impij, Epicurei, ἄθεοι, hypocritæ, qui omni fide destituuntur, corpus ipsum Christi percipiant, & huius κοινωνία fruantur? Vtrúmque ostendi asserere non dubitasse tàm eos, qui transsubstantiationem, quàm qui consubstantiationem, siue inclusionem localem ponunt. Extat enim formula Reuocationis Berengario præscripta, in qua verum corpus, & sanguis Christi, non solùm in Sacramento, sed & in veritate, manibus sacerdotum tractari, frangi, & dentibus atteri dicitur. De quo glossa Iuris Canonici non ineptè ait : Nisi sanè intelligas hæc verba, in maiorem incides hæresin, quàm Berengarius habuit. Notum est etiam, ante annos non multos quæstionem indignissimam Ecclesia motam esse ab aliquibus: An corpus Christi in ventrem descendat. Et pro impiorum manducatione, qua veri corporis Christi re ipsa participes fiant, multi etiamnum, tanquam pro aris & focis, dimicant.

Longè verò aliam dixi sententiam fuisse veterum scriptorum orthodoxorum Ecclesiæ, qui, vt res distinctæ sunt in Eucharistia, terrena & cœlestis, signum & res signata, sic vnamquamque rem suo modo accipi in vsu Cœnæ legitimo docuerunt, quoties propriè, & sine figura loquuntur. Nam Symbola aspectabilia modo corporeo, & sensibus externis obuio, atque ita manu & ore corporis accipi, atque intra viscera nostra recondi, & absumi: Corpus verò & sanguinem Christi, quemadmodum & beneficia huius omnia, id est, meritum & efficaciam,

ficaciam, quæ à κοινωνίᾳ corporis ſeparari atque ſeiungi non poſſunt, non oris corporei, neque ventris, ſed animæ cibum eſſe, & vt in verbo promiſſionis offertur, ſic fide apprehendente promiſſionem percipi à nobis aſſerunt, ſicut eadem ratione eiuſdem corporis & ſanguinis Chriſti participes ac κοινωνὺς nos poſtea etiam manere docent.

Hoc verò inſtrumento, videlicet fide, cùm careant impij, & non tàm Chriſti, quàm Diaboli membra ſint, non ipſum Chriſti corpus, ſed huius Sacramentum foris eos ore atque dentibus premere aiunt, ad iudicium ſuum, cùm indignè de pane Euchariſtico manducantes reos ſe faciant corporis & ſanguinis Chriſti, & vt Auguſtinus loquitur, inſtar Iudæ non panem Dominum, ſed panem Domini contra Dominum edant.

Quia verò panis Euchariſticus Sacramentali locutione corpus Domini eſt, & vinum ſanguis Chriſti: frequens hoc eſſe apud ſcriptores veteres monui, vt corpus Chriſti manu ſumentis accipi, & in os intrare, & ſanguinem Chriſti ex calice hauriri dicant. Quod aliter intelligi non volunt, quàm ſicut corpus Chriſti ex frugibus terræ quotidiè confici, creari, ſanctificari, ex vno loco in alium moueri, in caniſtro geſtari, in terram cadere, in partes frangi, & fragmenta huius diſtribui, oculis cerni, manibus palpari, labijs attingi, dentibus comminui, intra fauces recondi, in ſubſtantiam noſtrorum corporum conuerti: Item, vt ſanguinem Chriſti in ora fidelium infundi, in terram ſtillare, in vitro portari, labijs & ori rubedinem afferre dicunt. Quæ non propriè, ſed figuratè, ſecundum rationem Sacramentalium prædicationum, (quibus vocabula, & proprietates ſigni, & rei

signatæ permutantur) accipienda esse, nemo, nisi planè imperitus rerum sacrarum, negare ausit.

Hoc igitur sensu, cum nemine me litigare velle dixi, si quis oralem manducationem corporis Christi nominet, quæ Sacramentalis sit, & hanc dignè atque indignè manducantibus communem, in Cœna tantùm fieri dicat, cùm perceptio corporis Christi spiritualis, & fidei, etiam extra vsum Cœnæ fiat, & credentibus propria sit, ac peculiaris.

Monui etiam de gradibus indignorum, ad quos Formula Concordiæ Buceri alludit, & quatenus admitti gradus isti possint, ex Pauli loco 1. Corinth. 11. ostendi. Denique & historica de initijs & progressionibus certaminis Sacramentarij (quod vocant) attigi, & quomodo summa eorum, quæ in principio huius caussæ disputata fuerunt, (cùm neutra pars alterius partis sententiam dextrè atque integrè assequi videretur) ad hæc duo capita referri possit, ostendi: nimirum quòd differat Cœna mystica à Cœna prophana, seu cibo physico: & quòd non sint in Cœna Domini nuda signa, seu vacua Symbola.

Hæc atque alia, ex quibus cognosci poterat, quæ res in controuersiam venirent, & qui fontes essent veræ atque orthodoxæ sententiæ, cùm ad captum etiam imperitorum, tùm accommodata oratione copiosè ac perspicuè explicuissem: méque ad vberiorem explicationem obtulissem, si quid vlla in parte desideraretur: meminit G. T. Inclyte ac Generose comes, (Te enim ipsum appello, quia in tota illa collocutione familiari præsens aderas, & tecum vnà præcipui ex consili-

arijs

arijs tuis, & inter hos clarissimus D. Licentiatus, vir doctrina & fide præstans, & is, cuius suprà mentionem feci, vir verè nobilis D. Otto Grunrodius, aulæ Nassouiensi à consilijs) Meministi ergo, venerandum virum D. Sarcerium, cum admiratione nostrûm omnium, exclamasse, gratulantem sibi & cæteris pastoribus, quòd de hac controuersia audiuissent ea, quæ ad integram cognitionem caussæ aditum patefacerent moderatis ingenijs. Et quia veritatem, inquit, non tantùm scrutari, sed etiam amplecti nos decet, fateor, me manibus & pedibus ac tota mente ire in hanc sententiam. Et ad me conuersus, non solùm gratias mihi prolixè agere, sed etiam rogare cœpit, vt summa fastigia rerum, quas nunc ex me audiuisset, consignata ipsi aliquando mitterem, quæ profutura sibi sperabat, vt magis magísque confirmaretur, in tuenda ac retinenda vera sententia. Secuta est & cæterorum pastorum mira gratulatio. Neque solùm in consessu isto publico, sed etiam in priuatis colloquijs postea amicissimi sermones, qui consensum mutuum ingenuè declarabant, vltrò citróque habiti sunt. Qua ex re intelligere tùm potui, G. T. vnà cum coniuge generosissima, & ministris præcipuis, Ecclesiæ caussa ingentem voluptatem cepisse.

Atque ego statim cùm domum reuersus essem, Reuerendo viro Domino Sarcerio descriptam misi de hoc capite doctrinæ formulam consensus Ecclesiarum in comitatu Nassouiensi, simul pollicitus, quàm primùm per occupationes liceret, confecturum me esse consignationem illam, quam à me petierat.

Etsi autem opinione mea celeriùs Bremam postea auocatus sum, & Venerandus D. Sarcerius non longo interuallo pòst ex hac vita decessit: tamen cùm hoc

tempore Tertiam partem Locorum Philippovictori-nianorum (in qua, cùm alij Loci doctrinæ necessariæ, tum inprimis Locus de Sacramentis, ſcholis Victorinianis illuſtratur) in lucem edere, atque G. T. dedicare decreuiſſem: nullam aliam præfationis materiam accommodatiorem eſſe putaui, quàm ſi hac breui delineatione capitum controuerſiæ de Cœna Domini, in memoriam T. G. reuocarem illa, quæ tunc in conſeſſu publico miniſtrorum, ſeruientium Eccleſijs in tua ditione, præſente T. G. & conſiliarijs, à me dicta ſunt. Ac ſpero T. G. & venerandis paſtoribus, qui adhuc ſuperſtites ſunt, gratam fore hanc qualemcunque commemorationem.

Ego quidem illius ſanctæ actionis atque collocutionis ſæpè cum ſingulari voluptate recordari ſoleo.

Lætor autem vehementer, quod ex optimi viri D. Grunrodij literis nuper cognoui, inclytam T. G. in eo nunc piè occupatam eſſe, vt exemplo vicinorum comitum (inprimis verò Naſſouij & VVitgenſteinenſis, neceſſariorũ tuorum, quorum pietas omnibus bonis perſpecta eſt,) cum puritate doctrinæ cœleſtis, ſonante in Eccleſijs tuæ ditionis, coniungas etiam emendationem reſiduorum abuſuum & ſuperſtitionum : Cui inſtituto, vt oſtenderem me piè gratulari, hac ipſa de cauſa libentiùs arripui occaſionem, compellandi hac publica dedicatione Tuam Generoſitatem : Quam hortor, vt propter gloriam Dei, & ſubditorum ſalutem, in cœpta Eccleſiarum emendatione conſtanter pergat. Nullum enim maius, aut laudabilius opus præſtare poteſt Magiſtratus pius, qui eſt cuſtos etiam primæ tabulæ, quo ad externam diſciplinam, quàm ſi curet, vt vera doctrina

ctrina

ctrina propagetur, & tollantur abusus, ac superstitiones, inuectæ sub regno Antichristi in Ecclesiam.

Summa hæc laus est piorum iudicum, & regum in populo Dei, quòd aboleuerunt impios cultus, & defenderunt recta docentes. Ac propterea affirmat Scriptura magnis præmijs ornatos fuisse. Et pertinet promissio ad omnes, qui syncero pectore seruiunt gloriæ Dei, & hospitium Ecclesiæ præbent: Glorificantes me glorificabo. Sicutècontrario nequaquam inanis aut irrita est comminatio, aduersus negligentes aut ignauos Magistratus: Contemnentes me reddam contemptos.

Quanquam verò difficilima res est, emendare Ecclesias, quia homines pertinacissimè tuentur opiniones, & ritus receptos: tamen prudentia piorum pastorum, quales non dubito adhibere Tuam Generositatem, multa moderari potest: Et euentum DEVS gubernat, sicut promisit. Nec deerunt Tuæ Generositati vota ac preces multorum piorum, qui optant Ecclesias vbique locorum rectè constitui, & politias conferre officium suum ad Gloriam Christi. Ego quidem toto pectore DEVM oro, vt Inclytæ Generositatis Tuæ pios conatus feliciter prouehat, & cùm dederit velle, det etiam τὸ ἐνεργεῖν, vt ipsi fiant aliqua grata. Spero etiam DEVM largissima benedictione remuneraturum esse hanc pietatem, qua Generositas tua seria cura afficitur, rectè constituendi, & ornandi Ecclesias tuæ ditionis. Et conseruabit memoriam huius beneficij G. T. grata posteritas.

Bene & feliciter vale, Inclyte ac Generose comes, Domine benignissime, & hanc dedicationem, ex opti-

mo, ac Generositatis Tuæ obseruantissimo animo profectam, ea qua iam antè me complecti cœpisti, beneuolentia ac benignitate, in optimam partem accipe. Fabiranæ Saxonum, Mense Septembri, Anno 1582.

INDEX LOCORVM ET CAPITVM, QVORVM EXPLICATIO IN HOC LIBRO CONTINETVR.

***

IV. De Sacramentis in Genere.

V. De Baptismo.

VI. De Cœna Domini.

VII. De Pœnitentia.

Refuta-

VIII. De Prædestinatione.

IX. De Sacerdotio Christi.

X. De Regno Christi.

XI. De Resurrectione Mortuorum.

XII. De Spiritu & Litera.

XIII. De Cruce, & Calamitatibus.

LOCVS DE DISCRIMINE VETERIS ET NOVI TESTAMENTI.

Præfatio obiter excepta.

MAGNA quidem cognatio eſt inter duos Locos, quorum alter monſtrat diſcrimẽ Legis & Euangelij: alter diſcernit vetus Teſtamentum à nouo. Sed tamen multa cognitione digna explicantur in hoc titulo, quem nunc ordiemur, de diſcrimine veteris & noui Teſtamenti, quæ hactenus nōdum fuerunt explicata. Quare ſtudioſi pietatis & hunc Locum diligenter cognoſcent, cùm propter alias cauſſas, tum verò propter formam verborum Cœnæ Dominicæ, in qua fit expreſſa mentio noui Teſtamenti. Sic enim Dominus inquit de calice: Hic eſt calix noui Teſtamenti in meo ſanguine. Neque poteſtis doctrinam de Cœna Domini piè & rectè intelligere, niſi intellectis & declaratis vocabulis veteris & noui Teſtamenti. Sed quoniam mihi iam non propoſitum eſt declamitare, dicam breuiter de methodo & de ſerie capitum huius Loci. Complectar hunc totum Locum quinque capitibus.

In primo capite recitabo deſcriptiones veteris & noui Teſtamenti, vt titulus Loci intelligatur. Quorſum enim attinet habere in ore verba non intellecta?

In altero capite diſcernemus duo Teſtamenta, vetus & nouum.

In tertio exponemus cauſſas conſideratione digniſſimas, propter quas à principio conſtituta ſit politia Mo-

ſaica, & quadraginta annis poſt aſcenſionem Domini eadem politia funditus deleta ſit, nec deinceps vllo vnquam tempore inſtaurari potuerit.

In quarto capite inſtituemus refutationem trium errorum, quos Iudaicus populus non rectè ſentiens circumtulit de Lege, de Meſſia, & de ceremoniis ſacrificiorum. Nam multæ conciones Prophetarum, Eſaiæ, & aliorum conſumuntur in tribus his erroribus refutandis.

Quintum & poſtremũ caput proponet vobis vtiles & neceſſarias ſiue regulas, ſiue admonitiones de optima ratione interpretandi Scripturam veteris & noui Teſtamenti. His capitibus ſumma huius Loci continetur. Nunc, ſi placet, accedamus ad primum caput, omiſſis omnibus non neceſſariis ambagibus.

Deſcri-

Descriptiones veteris & noui Testamenti.

CAP. I.

NITIO iuniores admonendi sunt de genere sermonis. Hebraica lingua vna voce Berith hæc tria complectitur, pactum, fœdus, & Testamentum. Apud Latinos verò PACTVM est promissio, id est, consensus duorum vel plurium verbis expressus, quo se vterque obligat ad aliquid honestum dandum, aut faciendum.

Disertè dico ad aliquid honestè dandum aut faciendum, quia nulla valet, nec debet valere pactio turpitudinis. Ita rectè dicitur in vulgari dicto, Votum non debet esse vinculum iniquitatis. Non licet tibi pacisci cum marito de vxore, sicut fiebat apud Lacedæmonios.

Fœdus est pactum bellicum, sic dictum à fide. Testamentum propriè est honesta ordinatio morituri, in qua hæres constituitur, & legata certis hominibus attribuuntur, & dantur certa mandata.

In lectione veteris Testamenti, in Latina versione obseruabitis synonymiam, seu æquipollentiam trium vocabulorum, pacti, fœderis, & Testamenti. Etsi enim Latinus interpres vsus est diuersis vocabulis vnam rem significantibus, tamen in Hebraico textu, id est, in fontibus ipsis, tantùm est vna dictio Berith, quæ significat vel pactum, vel fœdus, vel Testamentum. Quid sit pactum, intelligitis ex descriptione. Fœdus non est inter priuatas personas, sed inter reges & principes. Súntque duo genera fœderum: alterum genus appellatur à Iureconsultis defensiuum, alterum offensiuum. Græci nominant fœdus defensiuum, συμμαχίαν. Fœdus offensiuum, ἐπιμαχίαν. Pactum est inter priuatas. Fœdus inter publicas personas, id est, inter magnates. Testamētum propriè vsurpatur pro vltima voluntate testatoris, qui discessurus ex hac vita, dat certa mandata suis hæredibus, & singulis ratam partem bonorum assignat. Tanta est autem religio in Testa-

mentis, vt Paulus dicat Galat. 3, Hominis testamentum violare non licet: quantò minùs violandum erat testamentum Dei? Hæc de Grammatica, id est, de vocabulis.

Deinde & hæc admonitio necessaria est. Etsi vsitatè veteris Testamenti appellatione, scripta Moysi & reliquorum Prophetarũ designantur, tamen firmissimè statuamus eandem doctrinam de Lege & de Christo monumentis Propheticis & Apostolicis comprehensam esse. Nam Prophetæ non solùm præcepta de moribus tradunt, sed sunt testes atque interpretes promissionis de Christo, & ad Messiam, velut ad scopum suas conciones potissimùm dirigunt. Tantum verò abest, vt Christus & Apostoli genus doctrinæ ignotum patribus & Prophetis circumferant, vt testimonia suæ asseuerationis de maximis rebus à Prophetis petant. Notæ sunt Christi voces, quibus nos ad Prophetica testimonia deducit, Iohan. 5, & Lucæ vltimo. Apostoli quidem nihil tam crebris sermonibus vsurpãt, quàm dicta Moysi, Dauidis, & reliquorum Prophetarum. Quis enim ignorat illam Pauli orationem Rom. 3: Nunc iustitia Dei sine Lege patefacta est, de qua testificantur Lex & Prophetæ?

Fundamentum veræ fidei & veræ Theologiæ est hoc axioma: Eadem doctrina de fundamento, id est, de Lege & de Christo, extat in Propheticis & Apostolicis monumentis. Huius axiomatis firmissima & immota cõfirmatio sumitur ex Iohanne, vbi Christus nos deducit ad doctrinam Moysi, inquiens: Si crederetis Moysi, crederetis etiam mihi, quia ille fuit testis de me.

Et præclarè dixit Augustinus enarrans psalm. 90: Moyses non tantùm est minister veteris Testamẽti, id est, Legis & politiæ, sed etiam Propheta noui Testamenti, id est, testis & interpres promissionis de Christo, vt Gen. 3: Semen mulieris conculcabit caput serpẽtis. Gen. 22: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Gen. 49: Non auferetur sceptrum à Iuda, donec venerit Schilo. Deuteron. 18: Prophetam suscitabit vobis Dominus &c. An non hæc sunt expressa testimonia de Christo? De omnibus verò Prophetis inquit Petrus Act. 10, in domo Cornelij: Huic (Christo) omnes Prophetæ testimonium perhibent &c. Hoc dicto Petrus discernit Prophetas à Philosophis, & à legislatoribus, quales fuerunt Solon, Lycurgus & Augustus, & ab omnibus Gnomologis, cuiusmodi fuerunt Hesiodus, Theognis, Phocy-

Phocylides, & similes: & affirmat, Prophetas esse testes de Christo, de persona, de officio, de beneficiis, de fide, qua accipimus beneficia Christi. Ipse verò Dominus & ante passionem, & post resurrectionem multoties deducit suos auditores ad Moysen, ad psalmos & reliquos Prophetas, vt Lucæ 16 inquit: Audiant Moysen & Prophetas, quòd si hos non audient, neque fidem adhibebunt resuscitato ex mortuis. Et post resurrectionem inquit Christus Lucæ vltimo, Nónne oportuit omnia impleri? &c. Et exorsus à Moyse cœpit eis enarrare omnes Scripturas, quæ de ipso erant editæ. Sic Paulus vbique citat & illustrat dicta Moysi, Dauidis, & reliquorum Prophetarum. Ac vt cetera breuitatis caussa omittam, quàm delectat & confirmat auditorem Paulus cap. quarto ad Romanos, vbi vtitur testimonio, Gen. 15: Credidit Abraham, & imputatum est ei ad iustitiã: Et testimonio Psalmi 32: Beati quorum remissæ sunt iniquitates. Et antea cap. tertio inquit: Nunc sine Lege patefacta est iustitia, testimonium habens in Lege & Prophetis: quare sit vobis iam persuasum, ídque exploratum omnino ducite, non aliam doctrinam contineri in nouo Testamento, id est, in Euangelistis, in Actis Apostolicis, & in Epistolis Apostolorum, quàm in quinque libris Moysi, in psalmis, & libris reliquorum Prophetarum. Nec quicquam interest inter libros vtriusque Testamenti, nisi quòd Prophetæ concionati sunt de venturo Domino, Apostoli sunt testes de exhibito, resuscitato, regnante &c. Cetera sunt eadem prorsus.

Vt igitur constitutio politiæ Iudaicæ temperatæ certis legibus propriissimè appellatur vetus Testamentum, etiamsi in hoc populo semper conseruata est memoria promissionis de Messia: ita noui Testamenti appellatio propriè accommodatur ad collectionem Ecclesiæ ex Iudæis & gentibus, quæ in hac vita fit per Filium Mediatorem, qui conseruat ministerium Euangelij, & cum voce Euangelij effundit in corda credẽtium Spiritum sanctum. Postea verò post resurrectionem tradet regnum Patri, hoc est, adducet ad æternum Patrem omnes conuersos, vt coràm intueantur eum, & Deus sit omnia in omnibus.

His admonitionibus consideratis, non difficile est constituere definitiones veteris & noui Testamenti.

Libri sacri, id est, Prophetici & Apostolici, minùs propriè appellantur vetus & nouum Testamentum, sed quia consuetu-

do & vsus tot seculorum recepit & approbauit hanc loquendi rationem, simus ea contenti, & ea vtamur sine metu cauillationis. Interea tamen sciamus, vetus Testamentum propriè non esse ipsos libros Moysi aut Prophetarum, sed esse constitutionem certæ politiæ, ad Iordanem in terra Canaan, quam Deus temperauit, vel ordinauit certis legibus iudicialibus & ceremonialibus, vt Ecclesia haberet certum hospitium vsque ad Mesiæ aduentum: sed infrà dicetur de causis constitutæ politiæ. Ac vetus Testamẽtum ad solos Iudæos pertinet, non ad reliquas gentes. Non enim omnes homines toto orbe terrarum potuerunt incolere illum angustum angulum inter regnum Syriacum & Aegyptiacum, cuius longitudo continebat milliaria circiter 50, latitudo maxima 30 milliaria. Deinde Circũcisio non obligauit reliquas gentes, sed solos Iudæos, natos ex semine Abrahæ. Ideo multi Ethnici saluati sunt sine Circumcisione. Ita nec reliquæ ceremoniæ ad alias gentes pertinebant. Fuit igitur vetus Testamentum vnius certi populi, non omnium gentium. Nouum verò Testamentum propriissimè est collectio Ecclesiæ ex Iudæis & gentibus, quæ collectio fit per ministerium Euangelij, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti, & est ministerium non literæ, sed spiritus, non mortis, sed vitæ, vt 2. Cor. 3 dicitur. Incoatur autem nouum Testamentum in hac vita, per verbum, Sacramenta & Spiritum sanctum effusum in corda credentium, consummatio verò noui Testamenti fiet post vniuersalem resurrectionem mortuorum, quando Filius tradet regnum, id est, Ecclesiam Patri, vt coràm fruamur eius conspectu, & dulcissima consuetudine, & tunc Deus erit omnia in omnibus. His fundamentis ita iactis, facilis est intellectus reliquorum.

Fuit igitur vetus Testamentum, seu pactum, seu fœdus, promissio certæ sedis & regni politici, cum conditione Legis & ceremoniarum ad hunc finem ordinata, vt in hoc populo nasceretur Mesias, & conseruaretur ibi memoria promissionis gratiæ, & aliqua esset Ecclesiæ schola vsque ad aduentum Mesiæ. Hoc politicum Testamentum non dedit iustitiam & vitam æternam: imò abolitum est, cùm gentes vocatæ sunt, vt extaret exem-

Mesias est gloria plebis Israel, quia natus est in hoc populo.

Posteritas Abrahæ non ideo fuit hæres vitæ æternę, quòd habitauit in terra Canaan, & Circumcisionem habuit.

exemplum iræ Dei, & testimonium, quòd nec illi Lege iusti fuissent.

In Actis cap. 15 describitur Synodus Apostolica, congregata in vrbe Hierosolyma, in qua præcipua fuit controuersia de hac quæstione: An obseruatio Legis, id est, Circumcisionis, sacrificiorum, & aliarum ceremoniarũ illius politiæ esset necessaria ad salutem. Nam Iudæis, non dico pertinacibus & hostibus Christi, sed conuersis ad Christum, adhuc infixa erat hæc falsa persuasio, quòd nemo posset saluari, quamuis credens in Christum, sine circumcisione, & ceteris ceremoniis, & obseruationibus Legis. Contra hunc errorem dicit Petrus Apostolus tanquam πρόεδρος præses illius Synodi: Quid tentatis Deum, imponentes iugum? &c. Quanquam autem erat à Petro & reliquis Apostolis hoc decretum Synodi promulgatum voce & scripto: tamen ante excidium Hierosolymæ non potuit radicitus euelli hæc persuasio, πᾶν γὰρ σύντροφον γλυκύ. Vt igitur ipso facto refutarentur hæ Pharisaicæ tenebræ, Deus anno 40 post resurrectionem Christi per Titum & Vespasianum deleuit templum & politiam, & ita deleuit, vt nec à Iuliano, nec ab aliis potuerit vnquam instaurari, vel templum, vel politia: quia decretum Dei manet æternum & immotum, quod extat Danielis 9, & Luc. 19: Nõ relinquetur lapis super lapidem. Hæc non est verbalis, sed realis refutatio, & sic Deus deleuit omnes controuersias, deleta parte blasphema. Sic deleuit Manichæos, Arrianos, & multos alios blasphemos.

Nouum verò Testamentum est promisio iustitiæ & vitæ æternæ donandæ propter Mediatorem, & instauratio totius naturæ nostræ, in qua Deus erit omnia in omnibus.

Quærat aliquis: Quid est illud, Erit omnia in omnibus? Respõdeo ex Paulo, 1 Cor. 2, Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis descẽdit cumulus bonorum, quorum fructum percipiunt beati. Cùm igitur res sit tanta, quorsum attinet nos curiosè nunc disputare de futura gloria, quæ reuelabitur in filiis Dei? Simus iam infantes & lactentes, hauriamus ex verbo Dei, tanquam ex vberibus maternis lac, id est, doctrinam de vocatione ad societatem Ecclesiæ, & de iustificatione. Mysteria verò de prædestinatione, & de futura gloria, quatenus non sunt in specie patefacta, differamus in aliam scholam, in qua perfectè cùm de his rebus, tum de aliis phi-

losophabimur. De electione, seu prædestinatione inquit Paulus Rom. 11, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! De glorificatione dicit 1 Cor. 2: Nec oculus vidit &c.

Sunt autem fontes definitionum hæc dicta, Exod 24, Moyses accipiens librum fœderis legit eum, audiente populo, & aspersit populum sanguine, dicens: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Deus vobiscum, Ierem. 3: Ecce dies venient, dicit Dominus, & faciam cum domo Israel, & cum domo Iuda nouum fœdus, nō secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris, cùm educerem eos ex Ægypto. Galat. 4: Hæc sunt duo testamenta, vnum quidem ex monte Sina, ad seruitutem generans &c. Hebr. 7: Vetus Testamentum abrogatur propter infirmitatem.

pecudum scilicet.

Discrimen veteris & noui Testamenti.

CAP. II.



EXPOSVI vobis nuper in primo capite, quid sit vetus, & quid nouum Testamentum. Vetus nihil aliud est, quàm promulgatio Legis diuinæ, facta in monte Sina, inter tonitrua, fulmina, & horrendos fragores, & constitutio politiæ Mosaicæ, çum obligatione ad seruandam Legem. Nouum verò Testamentum appellatur collectio Ecclesiæ ex Iudæis & gentibus, quæ fit per ministerium Euangelij. Aliud est igitur loqui de libris Propheticis, qui vsitatè indicātur appellatione veteris Testamenti, & de libris Apostolicis, qui appellantur nouum Testamentum: & aliud de iis rebus, de quibus nunc disseritur.

Discrimen vtriusque Testamenti ostendunt ipsæ definitiones: sed docendi caussa hæc præcipua discrimina recitari possunt. Differūt tempore, sub-

Omnis vera definitio est fons totius explicationis: quare non cuiuslibet est constituere definitionem, sed summorum artificum, qui res penitus intelligunt, & perspiciunt.

iecto,

iecto, rebus promissis, modo obligationis, gloria, & modo obsignationis. Nam constitutio politiæ Mosaicæ tempore antecedit vniuersalem vocationem gentium, & totius naturæ nostræ instaurationem.

Prophetæ, vt Ioseph, Daniel, Ionas, & quidam alij vocarunt ad societatem Ecclesiæ aliquas gentes, vt Ioseph Aegyptios: Daniel, Persas, Medos, Babylonios: Ionas, Niniuitas: Elias & Elisæus quosdam ex Syria, vt Nehemiam & similes, sed non habuerunt Prophetæ mandatum de spargenda doctrina, & circumferenda in toto orbe terrarum. Hoc enim mandatum traditur à Christo Apostolis, cùm inquit ante ascensionem in cælum: Ite in orbem, & prædicate Euangelium. Item, ite, docete omnes gentes. Hæc dico, vt discernatis vniuersalem vocationem omnium gentium ad societatem Ecclesiæ, à particularibus vocationibus, quarum exempla commemoraui.

Deinde Legis doctrina veterem hominē premit & exercet. Ad nouum verò hominem pertinet iustitia & vita æterna.

Quomodo differunt vetus & nouus homo apud Paulum, qui est autor harum appellationum? Si esses Flacianus, responderes substantia, sed nos respōdemus qualitate. Stultissima est & vanissima imaginatio Flacianorū, quæ fingit hominem nouum differre à veteri substantialiter, id est, nouam, & aliam substantiam mentis, voluntatis & cordis creari in regeneratione seu renouatione hominis. Quid vnquam simile est auditum in Ecclesia? Quæ sunt hæc θαύματα τῶν ῥημάτων, vt veteres dicunt, id est, portenta & prodigia verborum? Nihil potest dici absurdius, quàm distinguere veterem & nouum hominem substantia. Quòd enim Paulus non loquatur de substantiali mutatione, quæ fit in regeneratione, testatur clarè & disertè Eph. 4, vbi loquens de veteri & nouo homine, sic inquit: Quare deposito mendacio vnusquisque loquatur veritatem cum proximo suo. Quibus verbis indicatur, mendacem hominem esse veterem hominem, veritatis amantem & studiosum esse nouum. Idem dici potest & debet de ceteris virtutibus & vitiis. Donec es libidinibus pollutus, donec delectant te mendacia, aut alia scelera contra primam & secundam tabulam, & in eis perseueras, es vetus homo. Quando autem deponis mendacium, cædes, libidines, & similia scelera, & exerces iustitiam, castitatem, veritatem, prælucente fide, tunc es nouus homo. Non sunt

igitur duo homines substantialiter distincti nouus & vetus, sed differunt qualitate.

Tertiò differunt RES PROMISSÆ. Nam in veteri Testamento, seu pacto promittitur certa sedes ad Iordanem. Hæc promissio non est omnium temporum, nec ad alias gentes pertinet, sed Abrahæ posteris tradita est, & cōstitutum est tempus quo durare sedes illa deberet. Nam post destructionem politiæ Mosaicæ non est vna Ecclesiæ sedes in politia certa: sed passim inter gentes colligitur Ecclesia. At in nouo Testamento promittuntur bona æterna, remissio peccatorum, Spiritus sanctus, iustitia & vita æterna, quæ propter Messiam gratis exhibentur, non propter Legem.

Speciale priuilegium non est transformandum in regulam.

donec veniret Silo.

Daniel vocat Ecclesiam postremi temporis cœtum dispersum, id est, non alligatum certo loco, & certæ politiæ.

Quare nouum Testamentũ toties in sacris literis appellatur æternum? An ideo tantùm, quia bona æterna promittit? Est etiã alia caussa valde digna memoria & consideratione? Nouum Testamentum non tantùm appellatur æternum, quia bona æterna promittit, sed etiam ob hanc caussam, quia promissio Euangelij rata est credenti omni tempore in vita & morte, sicut dicit Iob cap. 13: Etiamsi occiderit me Dominus, tamen sperabo in eum. Et psal. 73 dicitur, Quid mihi cum cælo & terra, si modò te habeam &c. His dictis quid aliud significatur, quàm quòd etiam amissis omnibus rebus & præsidiis hominum, & omnibus bonis corporalibus, imò cùm est amittenda ipsa vita corporis, vt fit in morte, tamen firmissimè retinenda sit promissio gratiæ, seu Euangelij, & statuendum, Deum propitium esse propter Mediatorem agentibus pœnitentiam, & credentibus in Filium. Hæc est dulcis enarratio epitheti, quod est proprium noui Testamenti. Vocatur æternum, non tantùm propter bona æterna, sed etiam quia omni tẽpore est ratum credenti.

Quartò differunt modo obligationis, quia vetus Testamentum est pactum, quo Deus obligat se populo, ad dandam certam sedem & politiam, in qua tamen velit colligere æternam Ecclesiam

ſiam, & viciſsim obligat hanc Eccleſiam ad Legis obedientiam, & conſeruationem doctrinæ & promiſsionis.

Nouum Teſtamentum eſt nouæ & æternæ iuſtitiæ & vitæ promiſsio propter Filium morientem, in qua Deus ſe obligat nobis ad dandam remiſsionem peccatorum, & reconciliationem, iuſtitiam, & vitam æternam, & viciſsim nos obligat ad credendum promiſsioni, quæ gratuita eſt, id eſt, tantùm propter Filium datur, non propter Legem.

Fœdus, ſeu pactum, ſeu Teſtamentum eſt in prædicamento Relationis. Omni autem relatiuo reſpondet ex altera parte ſuum correlatiuum. Sic intelligas, vtrumque Teſtamentum eſſe mutuum fœdus inter Deum & Eccleſiam. Primùm Deus obligat ſe in veteri Teſtamento ad dandam certam ſedem Eccleſiæ, & ſimul obligat Eccleſiam illius populi ad ſeruandam Legem, & ad conſeruandam doctrinam promiſsionis. Sed alia eſt obligatio mutua noui Teſtamenti. Nam Deus in nouo Teſtamento obligat ſe ad donanda bona æterna propter Chriſtum mortuum & reſuſcitatū. Simul autem obligat Eccleſiam, & nos, qui volumus eſſe membra Eccleſiæ ad credendum Euangelio. Vera eſt quidem & firma promiſsio, ſiue credas, ſiue non: ſed tibi non eſt firma, rata, vtilis & ſalutaris, niſi eam fide amplectaris, & retineas. Ideóque non ſolùm de verbo vocali, ſed etiam de Sacramentis vbique additur obligatio ad credendum, vt Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem. cui? omni credenti. De Baptiſmo dicitur: Qui crediderit, & baptiſatus fuerit. De Cœna Domini dicitur: Hoc facite in mei recordationem. Quæ recordatio fidem certè requirit, & poſtulat in vſu Sacramēti. Vides igitur aliam eſſe obligationē veteris, aliam noui Teſtamenti, reſpectu Dei, & reſpectu noſtri, & ſemper cogites de hoc mutuo fœdere, Vnſer Herr Gott iſt fromb/ wenn wir nur auch fromb weren.

Quintò, magna diſsimilitudo eſt gloriæ vtriuſque Teſtamenti. Lege promulgata conſtituitur politia Moyſi, & adduntur

in monte Sina.

glorioſæ liberationes, vt eductio ex Ægypto, & multæ admirādæ victoriæ, repreſsio curſus Solis, & alia teſtimonia incurrentia in oculos multarum gentium, & quæ proderant vniuerſæ multitudini, ſanctis & non ſanctis.

Legite librum Iosuæ, qui continet illustrem & luculentam narrationem de admirandis præliis & victoriis Iosuæ aduersus Chananæos, & de miraculo repressi cursus Solis. Quanta sit celeritas in motu Solis, vix cogitatione comprehendere possumus. Si enim Sol cursum suum cõficeret in terra, singulis horis percurreret spatiũ ducentorum & viginti milliarium Germanicorũ. Quod autẽ telum, qui globus emissus ex tormento bellico potest intra horæ spatium, etiamsi continuo impetu ferretur, tantum spatium conficere? Et tamen tantum spatium conficiendum esset Soli, si in terra iter suum faceret. Quid est autem globus terræ ad Eccentricũ Solis? Est quasi punctum. Cogita igitur quantum interuallum singulis horis Soli sit peragrandum in margine sui Eccentrici: & tamen hanc celeritatem cursus Solis Deus repressit bidui spatio propter victorias Iosuæ

Euangelij verò promulgatio non habet similem politicam gloriam, nec cõstituit politiam mundanã: sed colligit alibi alios auditores in diuersis politiis, & est ministerium, quo in eis inchoantur iustitia & vita æterna. Interea verò in hac mortali vita manent auditores subiecti cruci, & ingentibus ærumnis.

Luc. 2, Non erat ei locus in diuersorio.

Hostis Herodes impie, Christum venire quid times? non arripit mortalia, qui regna dat cælestia. Regnum meum non est de hoc mundo.

Cogita de curriculo Pauli. Paulus vocatus in agro Damasceno ad agnitionem Christi, & ad munus Apostolicum, quale habuit curriculum annos totos 36? profectò non possunt vlla oratione exponi aut cogitatione satis comprehendi certamina, pericula, ærumnæ, difficultates, quas sustinuit, & ex quibus miserabiliter eluctatus est Paulus, donec tandem iuxta consilium Dei interfectus est à crudelissima bestia Nerone. Ipsemet partẽ suarũ ærumnarum recitat in cap. 11 & 12, posterioris ad Corinthios, sed ipse fatetur se minimam partem earum complexum esse.

Postremò differunt vetus & nouum Testamentum modo obsignationis. Vetus Testamẽtum sanguine pecudum sancitum est, vt testatur cap. 24 in Exodo.

Testamentum sine sigillo nihil valet.

Nouum

Nouum verò sanguine Filij Dei obsignatum est, vt in verbis Cœnæ Domini dicitur, Hoc est nouum Testamentum in meo sanguine. Quare in sumtione fide statuas, te verè membrum fieri Filij Dei, & verè ad te pertinere beneficia, quæ & morte sua meruit, & sanguine obsignato Testamento nobis clementer largitur.

In epistola ad Hebræos 9, extat insigne axioma etiam à Iureconsultis vsurpatum in materia testamentorum. Testamentum non fit ratum & immotum, nisi morte testatoris. Nam testator adhuc viuus potest mutare formam testamenti, aut omnino eam tollere. Post mortem verò testatoris voluntas ipsius certis verbis comprehēsa, est rata, perpetua, & immota. Et maximum scelus est, violare testamentum officiosum. (Nam de inofficioso alia res est) loquor de legitimo testamento, quod congruit cum legibus. Cùm igitur Deus sit Spiritus non habens carnē & ossa, nec possit mori, iussit obsignari vetus Testamentum alieno sanguine, videlicet pecudum, hircorum, boum, ouium. Nouum Testamentum alio sanguine est obsignatum, non taurorum, non vitulorum, non hircorum, sed pretioso sanguine agni immaculati. De hac obsignatione dicitur in verbis Cœnæ Domini, Hoc est nouum Testamentum, noua promissio, nouum pactum, nouum fœdus sancitum, confirmatum, & obsignatum non alieno, sed meo, inquit Filius Dei, sanguine, qui effundetur pro vobis ad remissionem peccatorum.

Caussæ propter quas politia Mosaica constituta est, & rursus deleta.

CAP. III.

SITATVM est argumentum in scholis de volūtate Dei.

Voluntas Dei est immutabilis.

Politia Moysi constituta est Dei voluntate.

Ergo non debebat mutari.

Respondeo ad Maiorem. Duplex est voluntas Dei: vna signi, altera beneplaciti. Quanquam

enim hæc distinctio tradita est à scholasticis Theologis, à Petro Lombardo & eius interpretibus, tamen non displicet Reuerendo viro, D. Martino Luthero in enarratione Geneseos. Voluntas signi est, qua Deus vult signa congruere rebus præsentibus, vt primi parentes, & eorum posteri habuerunt signum, videlicet inflammationē victimarum diuinitus factam. Sic Noha ædificauit arcam, vt in ea conseruaretur Ecclesia. Hanc arcam non voluit Deus esse æternā, etiamsi iusserat eam extrui & ædificari. Sic postea Circumcisio instituta est, non vt esset perpetua, sed vt duraret vsque ad exhibitum Messiam. Nunc Ecclesia habet alia signa seu Sacramenta, Baptismū & Cœnam Domini. Mutantur autem signa propter duas caussas potissimùm: primùm vt discernant articulos temporum, quibus instauratur doctrina & Ecclesia. Altera caussa mutationis signorum est, quia Deus vult signa congruere cum forma promissionis. Sicut igitur Circumcisio admonebat Israelitas de futuro semine, de quo dictum erat in promissione: In semine tuo benedicentur omnes gentes: Ita nunc Baptismus & Cœna Domini commonefaciunt nos de effusione sanguinis Christi, sicut in verbis Cœnæ dicitur: Qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Alia est autem voluntas diuina, quæ vocatur voluntas beneplaciti. Hæc appellatio est sumta ex psalmo 147, Beneplacitum est Domino super timentibus eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius. Hic versus docet, quæ sit voluntas bene placiti in Deo, videlicet approbatio æterna & immota timoris Dei & fidei. Sunt enim virtutes præcipuæ omnium sanctorum timor & fides. Timor agnoscens iram Dei, & fides erigens cor fiducia misericordiæ promissæ per Mediatorē. Hinc est nata voluntatis beneplaciti appellatio. Hæc voluntas simpliciter est immutabilis, nunquam mutatur in omni æternitate: quia Deus semper est sibi similis, non discedit à norma rectitudinis: sed voluntas signi ab effectu dicitur mutabilis, non quòd in Deo sit mutatio, (non enim in Deum vlla mutatio cadit) sed quia signa mutantur, quæ Deus non voluit esse æterna & immota.

Dulcis est consideratio & consilij & beneficij, quo Deus Ecclesiæ certum nidum attribuit ad Iordanem, & eam velut in specula collocauit, inter regna, quæ tunc in genere humano amplissima erant, videlicet inter Ægyptiū, Babylonicum, Assyrium, & Syriacum.

Aegyptus respectu Palæstinæ est versus meridiem, Syria versus

sus Septentrionem. Assyria & Chaldæa versus Orientem. Versus Occasum est mare Mediterraneum. Vnde sumta est hæc metaphora de nido? Respondeo, ex psalmo 84, Sicut passer inuenit sibi nidum, & hirundo locum, in quo excludit pullos &c. Quid significat hæc dulcis similitudo sumta à passeribus & hirundinibus? Ecclesia est similis auiculæ nidificanti, excludenti & foue͏̄nti pullos: nec differunt hospitia Ecclesiæ à nidulis auium. Quàm leui momento turbatur nidus passeris, vel hirundinis: sic hospitia Ecclesiæ non sunt diu trā-quilla & quieta, sed à Diabolo & mundo subinde turbatur ex suo nidulo Ecclesia. In appellatione speculæ etiā est metaphora. Sion significat speculam. Arx Dauidis vocatur Sion, id est, specula. Sic Ecclesia est specula in mundo.

Primùm enim voluit, hanc politiam esse quasi officinā [ἐργαστήριον] in qua illustria testimonia suæ præsentiæ ostēderet inter varias & sæuas confusiones gentium & imperiorum. De hac caussa psalm. 76 dicitur: Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius.

In Ecclesia verè agnoscitur & inuocatur Deus, & sentiunt homines veram consolationem victricem peccati & mortis, & cōspicitur præsentia Dei in conseruatione Ecclesiæ, etiāsi vt in acie aliquot milites interficiūtur.

Deinde hanc politiam constituit, vt certa sedes doctrinæ esset, & tanquam certa Academia, quæ veluti arx in arduo monte sita conspiceretur vndique, & exaudiretur in toto genere humano, vt inde vox doctrinæ ad multas gentes perferri posset, & tamen sedes doctrinæ perpetua, in loco certo esset, & maneret. Ad hanc caussam pertinet dulcis versiculus psal. 48, Formosus ramus, & gaudiū vniuersæ terræ mons Sion.

Formosum clima, vt alij vertunt.

Quid potest dici de Ecclesia splendidius, quàm quòd vocatur à Spiritu sancto formosus ramus, & gaudium vniuersæ terræ? Dic mihi, quid esset hæc vita sine Ecclesia, & sine verbo Dei? nihil, nisi carcer tristis & squalidus, plenus miseriarum, pauorum, desperationum, Epicurei contemtus Dei, & aliorum vitiorum.

Postremò voluit Deus hanc politiam esse hospitium nascentis Messiæ, vt certum esset, ex qua gente, quo loco, quo tempore ex-

pectandus esset Mesias. Nam Christus est finis, non tantùm Legis moralis [*Decalogi*] sed etiam politiæ & ceremoniarum Moysi, vt Rom. 10 scribitur. Iam cogita, quantum bonum fuerit, in sede certa Ecclesiam diuinitus iam diu seruari. Sunt enim anni ab exitu ex Ægypto ad natum Mesiam ex Virgine 1509. Tot annis sedes illa doctrinæ, & Ecclesiæ, in populo & loco certo cõseruata est.

Sed cur voluit Deus euerti politiam Iudaicam, quam tantis miraculis & à principio constituerat, & deinceps vsque ad resurrectionem Christi annos 1542 conseruarat? Prima caussa est, vt extaret euidens exemplum iræ Dei aduersus omnes, qui Christum contemnunt, aut contumelia afficiunt. De hac caussa concionatur Christus Lucæ 19, Non relinquent in te lapidem super lapidem, quia non cognouisti diem visitationis tuæ. Et Paulus Rom. 11, Si Deus naturalibus ramis non pepercit, multò minùs parcet insititiis.

Diligenter consideremus singuli primam caussam, quia ad nos etiam pertinet. Sic enim debes argumentari à fortiori, sicut Paulus argumentatur Rom. 11: Deus non pepercit illi populo, quem elegerat ex toto genere humano, quem eduxerat ex Aegypto maximis miraculis, quem gubernauerat in deserto mirandis modis, quem denique postea defenderat vsque ad Christum natum, cui dederat Prophetas: denique in quem contulerat maxima & amplissima beneficia: Multò igitur minùs mihi & tibi, & aliis parcet, si non militamus bonam militiã, retinentes fidem & bonam conscientiam, si fuerimus aut hostes, aut contemtores Christi & Euangelij, aut erimus tantùm hypocritæ, ostendentes folia sine fructibus.

Secunda caussa est, vt euersio politiæ Iudaicæ esset testimonium exhibiti Mesiæ.

Hanc secundam caussam poteritis rectiùs intelligere, considerata hac similitudine. Sicut exemto nucleo putamina abiiciuntur, ita politia Mosaica, exhibito Christo, deleta est, vt esset testimonium hæc ipsa deletio de exhibito nucleo, id est, Christo.

Daniel affirmat cap. 9, stante illa politia venturũ esse Mesiam. Haggæus cap. 2, etiam in secundo templo ait Mesiam concionaturum esse, & vocaturum esse gentes ad æternæ Ecclesiæ societatẽ.

Hinc

Hinc illustris refutatio Iudæorum sumitur. Manifestum est, Ierosolymam, templum, politiam Iudaicam, ante annos 1500 funditus deleta esse, nec instaurari potuisse, etiamsi aliquoties instauratio tentata & inchoata est. Illi ergo cineres & solitudo illa, testimonium dicunt, Mesiam multò antè exhibitum esse, & sacrificio suo facto resuscitatum à morte regnare, & gentes ad societatem æternæ Ecclesiæ vocasse.

à connexis, id est, à loco & tépore.

Sæpe debetis repetere historias de irritis conatibus Iudæorum, qui voluerunt instaurare templum, & politiam cōtra decretum diuinum, quod est immutabile. Regnāte Adriano Imperatore, fuit quidam dux seditionis, qui se appellauit glorioso nomine filium stellæ Bencohab, alludens ad prædictionem Bileam: Orietur stella ex Iacob, Numeror. 24. Qui postea post tristem exitum dictus est filius mendacij Bencoshe. Hic dux & signifer seditiosæ multitudinis Iudæorum occupauit 50 arces & oppida, & 900 pagos, & collegit aliquot cétena millia suæ gentis, nec dubitauit se opponere Romanis exercitibus missis ab Imperatore, sed tandem iusto iudicio Dei, tota hæc multitudo partim interfecta, partim dissipata est, & omnes hi conatus fuerunt irridendi & inanes. Eandem rem tentarunt Iudæi sub Iuliano, qui erat Apostata, defecerat à vera Ecclesia & doctrina, & redierat tanquam canis ad vomitum, id est, ad Ethnicam doctrinam. Hoc Imperatore sperabant, se perfecturos, quod diu conceperant, & in animo cogitarant: & quidem Iulianus præfecit Iudæis volentibus instaurare templum & politiam, quendam egregium virum Alipium, qui aliquando rexerat Angliam. Sed Ammianus Marcellinus, qui descripsit res Iuliani Imperatoris, testatur, globos igneos ex fundamento erupisse, & necem attulisse fabris & aliis ministris inchoati operis. Addit & terram motu quassatam tremuisse, & alia accidisse prodigia, quibus territi Iudæi, destiterunt de inani incœpto. Quare Deus impediuit instaurationem politiæ? Respondeo, Vt testaretur oracula Prophetarum esse vera, certa, rata, immota: deinde, vt testaretur, Christum esse potentiorem omnibus Diabolis in inferno, & omnibus tyrannis & organis Diabolorum in mundo, sicut inquit Iohannes, Maior est, qui in nobis, quàm qui in mundo est. His igitur testimoniis cōfirmati, assentiamur sine dubitatione Scripturæ Pro-

pheticæ, & eam amplectamur tanquam veram & minimè dubiam, & credamus Christum ad dexteram Patris sedere, & sua potenti manu destruere opera Diaboli.

Tertia caussa est: ne confirmaretur opinio, quæ fingit homines Lege & ceremoniis iustos esse. Porrò si hodie staret politia Mosaica, vellet habere prærogatiuã propter ceremonias.

floreret.

Prærogatiua quid significat? Rogare, est colligere suffragia: prærogari est suffragari, antequã ceteri rogentur, ein vorzug. Est ergo prærogatiua primum suffragium, quod antecedit aliorum suffragia, & primum quasi προβούλευμα. hinc generaliter vsurpatur pro omni antecellentia.

Quare vt ostenderet Deus, illas res non esse iustitiam, sed Euangelium afferre æternam iustitiam: voluit Leuiticos cultus penitus deleri. Hæ caussæ omnes dignissimæ sunt accurata consideratione.

Daniel 9, Messias interficietur, & adducetur iustitia sempiterna, id est, Christus morte sua & resurrectione restituet Ecclesiæ æternam non perituram iustitiam.

Audiuistis tres caussas propter quas constituta est politia, & totidem, propter quas deleta est eadem. Prima caussa constitutionis fuit, vt esset hæc politia ἐργαστήριον, id est, officina diuinarum patefactionum: altera caussa, vt eadem politia esset quasi schola & Academia, seu bibliotheca librorum Propheticorum: tertia caussa, vt præberet hospitium nascenti Messiæ, vt sciretur, quo loco, quo tempore, ex qua familia nasciturus esset hic Dominus. Sunt etiam tres caussæ deletionis politiæ Mosaicæ. Prima quæ ad nos quoque pertinet, quia Deus voluit hanc deletionem esse euidens & illustre signum suæ iræ & sui iudicij aduersus hostes & contemtores Filij Dei & Euangelij. Secunda caussa, quia abiectio huius putaminis, vt sic dicam metaphoricè, est testimoniũ de exhibito nucleo, id est, Messia nato, crucifixo, resuscitato, & regnante ad dextram Patris, & mementote historias obiter recitatas, de conatibus irritis Iudæorũ contra decretum Dei. Quod enim Deus decreuit, hoc mutari non potest, sicut dicitur psal. 33, Consilium Domini stabit. Tertia caussa, quia Deus voluit, non verbis tantùm, sed ipso facto refutare, Pharisaicas opiniones de Lege & ceremoniis.

Resu-

Refutatio errorum de Meßia, de Lege, & de sacrificiis.

CAP. IV.

ERISSIME dicunt Iurisco͂sulti: Inuenta Lege, inuenta est fraus Legis, quo dicto significant, sæpe quidem tradi dextra, quæ tamen sinistrè accipiuntur. Sicut enim non est in medico, semper releuetur vt æger,

Interdum docta plus valet arte malum:

ita non semper diligentiæ & assiduitati fidelis doctoris respondet auditorum pietas & obedientia. Idem accidit Moysi summo Prophetæ in populo Dei, & reliquis Prophetis, discipulis Moysi, qui cùm rectè tradidissent doctrinam à Deo acceptam, tame͂ maxima multitudo circumtulit errores de maximis rebus, videlicet de Meßia, de Lege, & de sacrificiis. Quales autem hi errores fuerint, ostendunt narrationes Euangelicæ, vt Matth. 22, cùm Christus interrogasset Pharisæos, quid existimarent de Meßia, responderunt illi, Meßias erit filius Dauid, quasi dicerent, Meßias nobis promissus, tantùm erit homo, non erit in eo natura diuina, & regnum ipsius erit mundanum, quale fuit Dauidis, aut aliorum regum. Hunc errorem refutans Christus, inquit, Si tantùm est filius Dauidis, quomodo Dauid appellat eum Dominum suum, inquiens, Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis &c. Si Meßias tantùm est Filius Dauidis, non rectè appellatur Dominus Dauidis: nunquam enim in eadem natura, & eodem regno filius est dominus patris, aut aui regis. Deinde si regnu͂ Christi non differt à politia mundana, non video, quam vtilitatem afferat regnum Christi patribus, Dauidi, & aliis, qui sunt mortui ante natum Meßiam. Sicut enim Augustus Imperator non profuit Camillo, Scipioni, Fabio Maximo, & aliis: ita Christus non prodesset patribus, Abrahæ, Dauidi, & ceteris, si tantùm haberet politiam perituram. Quid autem senserint Pharisæi, & eorum discipuli de lege morali, & de sacrificiis, id est, ceremoniis Leuiticis, non est ignotum legentibus totam historiam Euangelicam, & Acta Apostolica. Summa autem hæc est: Etsi Lex diuina postulat integram obedientiam sine peccato, tame͂ Pha-

risæi intellexerunt, & enarrarunt Legem tantùm de disciplina externa, quæ est misera & immunda hypocrisis, & folium fici. De sacrificiis ita senserunt: expiari per ea, & tolli peccata, non morte & sanguine Mesiæ, de quo dicitur Zachar. 9: Tu in sanguine Testamenti tui educes vinctos tuos, ex lacu in quo non est aqua. Hæc volui monere iuniores, vt videant, quæ sit occasio quarti capitis, cur instituam hanc refutationem, quę omnino huius loci est propria, in quo disseritur de discrimine veteris & noui Testamenti.

Etsi semper aliqui in populo Israel retinuerunt veterem & incorruptam doctrinam, tamen multi hypocritæ falsas persuasiones habuerunt de Mesia, de Legis vsu, & de ceremoniis. Norant hypocritæ, & celebrabant amplissimas promissiones traditas Abrahæ, recitatas per Iacob, & sæpe repetitas per Prophetas, sed has omnes tantùm de politico regno loqui contendebant. Somniabant, venturum esse Mesiam, qui velut alter Cyrus, aut Alexander, domitis gentibus imperium mundi occupaturus esset, sed futurum imperium iustius, mitius, tranquillius, diuturnius, quàm vllum antea fuisset. Ipsum Mesiam 1000 annos dominaturum esse, ciuem Israelitam victurum esse annos 300 aut 400, sine metu bellorum, seruitutis, famis, aut aliarum magnarũ calamitatum, nec in Mesia aliam fore naturam, nisi humanam. His deliramentis obscurabant totam doctrinam de Filio Dei, de ira aduersus peccatum, de sacrificio & morte Mesiæ. Deinde disciplinam externam putabant esse iustitiam, quæ Legi satisfaceret, & negabant peccata esse prauos affectus, dubitationes de Deo, incendia animorum in odiis iniustis, aut libidinibus, si non accesissent externa delicta. Cùm autem Legis & promissionis vocem ita contaminassent, postea ceremoniis & mactationibus pecudũ in Lege propositis somniabant tolli peccata. Hæ densæ tenebræ habebant opinionem sapiētiæ & pietatis, quas tamen toties Prophetæ taxant.

De primo errore, qui corrumpit doctrinam de Mesia, satis dictum est initio lectionis, nec volo eandem cantilenam repetere. Ex capite 22 Matthæi satis potest intelligi, qualem opinionem habuerint Pharisæi, & alij hypocritæ de persona & regno Mesiæ. Capite verò quinto Matthæi ostenditur, quales opiniones infixæ fuerint animis Pharisæorũ de

de Lege, de vsu & intellectu Legis. Nam in eo capite non solùm enarrat Christus Legem moralem, sed etiam refutat corruptelas Pharisaicas. Dictum est antiquis, inquit Dominus, Non occides, scilicet manu. Ego autem dico vobis, Quisquis irascitur fratri. Item dictum est antiquis, Non mœchaberis, non pollues corpus. Ego verò dico, Quicunque aspexerit mulierem ad concupiscendam eam &c. & sic de ceteris. Ex hoc capite manifestum est, Pharisæos intellexisse Legem tantùm de disciplina externa, & non accusasse peccata interna in corde, illicitas flammas libidinum &c. Quod ad tertium errorem attinet de sacrificiis, & ceremoniis, Esaias 1 & vltimo capite sic taxat falsam persuasionem de sacrificiis Leuiticis, vt dicat, Quid mihi cum multitudine vestrorum sacrificiorum? Item, Qui mactat pecudem, perinde facit, ac si canis cerebrum saxo comminueret. Tales conciones taxant Pharisaicam persuasionem de sacrificiis, quibus fingunt hypocritæ tolli peccata, & placari Deum externis gestibus, ritibus, aut operibus, cùm placatio iræ Dei & deletio peccati sit beneficium proprium solius Messiæ, vt inquit Baptista: Ecce agnus Dei, tollens peccata mundi. Et Esa. 53, Christus factus est peccatum, & multorum iniquitates ipse tulit.

Nam de persona Messiæ manifesta testimonia extant apud Dauidem, Esaiam, Micheam & Zachariam, quæ docent, Dominum illum qui caput serpentis contriturus esset, Filium esse æterni Patris, genitum ab eo, & conditorem omnium rerum cum æterno Patre & Spiritu sancto. In Psalmo 110 Dauid, qui fuit rex Israelis, ex cuius stirpe erat Messias nasciturus, Dominum eum vocat, inquiens, Dixit Dominus Domino meo, sede &c. Ad quẽ autem Angelorum dixit vnquam, Sede à dexteris meis.

Nullus psalmus toties citatur & illustratur in nouo Testamento, vt hic psalmus 110, cuius initium est, Dixit Dominus &c. Nam Christus citat eum Matth. 22 contra Pharisæos. Eundem citant Apostoli in Actis, sed omnium maximè illustratur hic psalmus in epistola ad Hebræos, cuius prima pars discernit Filium Dei ab angelis, à Moyse & Prophetis, & ab omnibus aliis creaturis. Altera pars concionatur de sacerdotio Christi, quod discernit Epistola ad Hebræos sapienter à sacerdotio Leuitico: postrema pars eius epistolæ est concio de applicatione beneficiorum Christi, quæ fit fide, & attexitur admonitio de bonis operibus. Et vt vno verbo o-

mnia complectar, Epistola ad Hebræos nihil aliud est, quàm luculenta enarratio psalmi: Dixit Dominus Domino meo. Sicut enim in tribus capitibus, primo, secundo & tertio vrget pondera verborum primi versiculi, Dixit Dominus &c. ita in sequentibus capitibus vsque ad vndecimum enarrat dextrè & sapienter, versus de sacerdotio Christi, Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Hæc dico, vt studiosi magis ament Epistolam ad Hebræos, & discant imitari exemplum in enarratione Scripturæ. In cap. 1, vt cetera omittam, sic dicitur: Cui Angelorum vnquam dixit Dominus, Sede à dextris meis? Quid enim sunt Angeli, nisi Spiritus conditi ad ministerium Dei & Ecclesiæ? Nemo sit, qui non ad verbum ediscat hunc psalmum, & eius enarrationem sumat ex Epistola ad Hebręos.

Psalmo 45 his verbis compellatur Mesias, Sedes tua, sedes in sempiternum. Virga æquitatis est virga regni tui. Quod autem de Mesia dicantur illa, hoc est, de alio, quàm de Deo Patre, nihil potest esse manifestius, ex sequenti versu, Dilexisti iustitiam, odisti iniquitatem: propterea, ô Deus, vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Vides hîc apertissimè duas personas diuinitatis expressas: alteram sedentis & regnantis in æternum: alteram vngentis hunc regem. Et paulò post: Cōcupiscet rex, id est, Mesias, decorem tuum [*ô Ecclesia*] & quoniam ipse est Dominus Deus tuus, adorabis eum.

Psal. 45 est epithalamium splendidum & copiosum de Mesia celebrante nuptias cum sponsa Ecclesia. Ac prima pars psalmi continet encomium sponsi, cui tribuit sapientiam, iustitiam, eloquentiam, fortitudinem, fœlicitatem in rebus gerendis, & multa alia. Speciosus, inquit, pręfiliis hominum, diffusa est gratia in labiis &c. Altera pars eiusdem psalmi est Apostrophe ad Ecclesiam: Audi, inquit, filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere domum patris tui, & cōcupiscet rex decorem tuum. In hoc psalmo luculento & splendido extat perspicuum testimonium de persona Mesiæ. Nam æternus Pater inquit ad Filium: Sedes tua in seculum seculi &c. & ad sponsam Ecclesiam dicitur, Quoniam ipse concupiscet decorem tuum &c. Et vt sit manifesta distinctio trium personarum diuinitatis, discernitur vngens, vnctus, & vnguentum: pater est persona vngens, id est, ordinans hunc Mesiam in regem & sacerdotē Ecclesiæ.

Ipse Dominus Messias est χριϛὸς, id est, vnctus. Oleum verò, seu balsamum, quo hic Messias perfunditur, est Spiritus sanctus, qui nominatur à Propheta oleum lætitiæ, quia lætificat & viuificat corda credentium. Non est Spiritus tristitiæ, sed Spiritus lætificans & exhilarans.

Psal. 2 scribitur, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Cui autem Angelorum dixit vnquam, Filius meus es tu, ego hodie genui te?

Sunt verba epistolæ ad Hebræos, cap. 1, quæ citat multa dicta psalmorum, & inter alia etiã hoc dictum, quod extat psalm. 2: Dominus dixit ad me &c. Hoc dictũ ita vrget epistola ad Hebr. vt dicat, Cui Angelorum dixit Deus &c.

Esaiæ 9: Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater sempiternus, Princeps pacis. Ne quis autem hoc insigne testimonium eludat, contendens appellationẽ Dei metaphoricè vsurpari, ex cap. 10 eiusdem Prophetæ pauca verba repetantur, quæ euidentissimè declarant, hac forma loquendi, DEVS FORTIS, verum Deum describi ac distingui à commentitiis numinibus. Reliquię Iacob innitentur super Dominum sanctum Israel in veritate [*sine hypocrisi*] reliquiæ conuertentur, & reliquiæ Iacob inquam ad Dominum fortem.

Talem cauillationem quærunt recentes Iudæi.

Quare vocatur Messias admirabilis? Respondeo, primò respectu personę, quia copulatio duarum naturarũ in Christo est verè admiranda, sicut canit Ecclesia, in die natiuitatis, ô admirabile commertium, ô res mirandas! mirando fœdere iuncta est humani generis languida massa Deo. Deinde vocatur admirabilis propter doctrinam & miracula. Nam certè Euangelium est miranda sapientia longè posita supra & extra captum humanæ rationis. Est & mysterium absconditum à seculis, vt Paulus loquitur. Tertiò vocatur admirabilis, propter gubernationem Ecclesiæ, quæ verè est mirabilis, sicut inquit psal. 4: Dominus mirificat sanctum suum, mirandis modis regit Ecclesiam, & pios singulos, & ita regit, vt ratio non perspiciat consilium Dei ante exitum.

Consiliarius] vocatur, non vt Monachi finxerũt ineptè, quòd sit author nouorum consiliorum in Ecclesia, quæ ipsi sic appellant, de quibus dictum est suprà de discrimine præceptorum & consiliorum, sed quia est angelus magni consilij, id est, quia profert ex sinu æterni Patris consilium & decretum de redemtione generis humani, ignotum omnibus creaturis, & quia regit Ecclesiam suo consilio & Spiritu sancto. Tertiò nominatur DEVS fortis, id est, verus & viuus Deus, discernendus ab omnibus creaturis, angelis & hominibus, & omnibus idolis. Hanc esse sententiam tertij epitheti ostendit caput sequens, caput 10. Quartò nominatur Pater sempiternus, non solùm quia ipse est æternus, sed etiam quia regni eius non erit finis. Ecclesia semper manebit in hac vita, etiam post resurrectionem, & semper Deus conseruabit, defendet, instaurabit, & repurgabit suam doctrinam & Ecclesiam. Et subinde nouam sobolem procreabit. Nunquam erit sine sobole, id est, sine Ecclesia. Postremò appellatur Princeps pacis, iuxta dictum, Iustificati fide, pacem habemus, id est, tranquillitatẽ cordis, ortam à fide & spe, & bona conscientia.

Vt autem Esaias vocat illum Patrem sempiternum: sic Micheas cap. 5, egressum eius esse dicit à diebus æternitatis.

Mementote chronologiam. Eodem tempore docuerunt Esaias, Micheas & Oseas. Esaias quidem & Micheas in tribu seu regno Iuda. Oseas verò in regno Israel. Vnde sumitur hæc chronologia? Respondeo, ex titulis horum Prophetarum. Nam quos Esaias reges nominat initio sui libri: eorundem regum mentio etiam fit in titulo Micheæ & Oseæ: hinc discimus, hos Prophetas simul floruisse. Cogitate autem, quale fuerit hoc collegium Prophetarum: ac sæpe hi sancti homines contulerũt de doctrina inter se, & communicarunt consilia de maximis rebus, de gubernatione Ecclesiæ, & aliis.

Zachar. 12: Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum, quia aspicient ad me quem confixerunt. Hîc loquitur Filius Dei, & affirmat, se daturum esse Spiritum sanctum, & venturum, vt fiat victima pro nobis. Testatur ergo hoc dictum, Messiã esse Deum & hominem, quia hic ipse Deus qui loquitur, & qui promittit donationẽ Spiritus

Spiritus carnem & ossa non habet.

ritus sancti ait se futurum esse redemtorem. Zachar. 12: Framea, [*gladius*] suscitare super pastorē meum, & super virum proximum mihi. Dulcis descriptio est, qua significatur, Christum esse pastorem Ecclesiæ, esse proximum Dei, Filium scilicet charissimum æterni Patris, qui semper est apud æternum Patrem, & qui potentia diuina colligit & conseruat Ecclesiam.

Est vox æterni Patris. Proximum, id est, ὁμοούσιον, coessentialem & coæternum.

Quod verò ad regnum & beneficia Messiæ attinet, Prophetæ vtrumque prædicunt, Messiam natum ex semine Dauid interficiendum esse. Et tamen deinceps regnum æternum habiturum esse. Vtrumque membrū est in capite Esaiæ quinquagesimo tertio: Messias abscissus est de terra viuentium. Item, ponet animam suam. Deinde addit alterum membrū. Ex angustia & iudicio ereptus [*per resurrectionem*] videbit semen longæuum.

Daniel cap. 9 clarè dicit, Messias interficietur.

Daniel 9, Et adducetur iustitia sempiterna.

Debetis hoc caput ad verbum ediscere.

id est, vitam suam.

id est, Ecclesiam æternam, lōgæuam posteritatem.

In his dictis mors Messiæ, ratio victimæ, resurrectio & regnum comprehenduntur. Ideo supplicio afficitur, vt fiat victima pro peccatis generis humani. Etsi enim Lex habuit victimas, tamen illæ non placarunt iram Dei. Hæc vna victima placat veram, ingentem & inenarrabilem iram Dei, & nos ex æternis cruciatibus reducit, sicut & Zachar. inquit: Per sanguinem Testamenti tui educes vinctos è lacu, in quo nō est aqua. Hæc satis sit breuiter dixisse de persona & regno Christi, quæ alibi copiosiùs explicātur.

Sicut laborantes morbo oculorum non rectè discernunt obiecta: ita cæci Iudæi versantes in lectione Prophetarum, tantùm excerpunt quasdam figuras verborum, quæ describunt Christū gloriosè regnantem. Interea verò non vident, aut certè videre nolunt ea dicta, quæ de morte Mes-

siæ, de sacrificiis eiusdem, de resurrectione ex morte, passim à Prophetis scripta sunt. Si intentis oculis & apertis, sine ophtalmia legerent caput 9 Danielis, discerent vtrumque, & interficiendum esse Messiam, & non mansurum in morte, sed reuicturum & adducturum iustitiam sempiternam. Vtrumque enim expressè scribitur Dan. 9. De morte dicitur: Messias interficietur. De resurrectione & regno, adducetur iustitia sempiterna. Si enim maneret in morte, non esset efficax, non posset alios iustificare & saluare, sed multò clarius est caput 53, cuius lectione omnes non dementati aut fascinati præstigiis Diaboli, intelligunt describi Messiam, initiò quidem humiliatum, spretum & abiectum, videlicet tempore passionis: postea verò gloriosè regnantem, & colligentem Ecclesiam ex toto genere humano. Ad hanc sententiam pertinent dicta, quæ annotastis: Ponet Messias vitam suam hostiam pro peccato. Item, abscissus est Messias, id est, supplicio affectus, seu interfectus. De resurrectione dicitur in eodem capite: Ex angustia & iudicio ereptus videbit lõgæuum semen. Quo dicto significatur, Christum reuicturum ex morte, atque ita efficacem fore, vt colligat Ecclesiam, tanquam hæreditatem æternam & præclaram, ex Iudæis & gentibus, & eam defendat contra omnes furores Diaboli & mundi.

Secundus error de Lege non longam refutationem desiderat: cùm experientiæ testimonium omnes sanos conuincat, vt fateãtur, se non habere integram dilectionem, qualem Lex postulat. Nam Lex Dei verè hæc duo requirit: ardentem amorem Dei, & purum amorem proximi. Etsi autem scit Deus neminem sine prauis cupiditatibus in hac naturæ imbecillitate viuere posse: Tamẽ concionem de pœnitentia semper in genere humano vult sonare, vt agnoscamns nostra mala, & fateamur nos reos esse, & confugiamus ad Filium Dei. Hanc veram doctrinam de Legis vsu obscurauerũt hypocritæ omnibus temporibus inde vsque à Cain & eius posteris.

Hæc est necessaria occupatio, qua occurritur vsitatæ obiectioni. Sic enim homines imperiti & non admoniti argumentantur:

Doctrina impossibilis, cui nemo potest satisfacere, est inutilis. Nam impossibilia sunt inutilia.

Legis doctrina est impossibilis, seu nemo Legi satisfacit.

Ergo doctrina Legis non est proponenda in Ecclesia.

Respondeo: Est fallacia secũdum non caussam vt caussam. Si Lex tantùm

tantùm ideo proponeretur, vt fieret, certè esset inutilis, respectu nostri. sed propter alias caussas Lex proponitur huic imbecilli hominũ naturæ, videlicet vt sit speculum monstrans peccatum & iram Dei, & vt sit pædagogus noster ad Christum. Agnito enim morbo, homines non furiosi quærunt medicum. Ignoratur autem morbus sine Lege, vt inquit Paulus Rom. 7: Nesciebam concupiscentiam esse peccatum, nisi Lex dixisset, Non concupisces. Hæc sæpe sunt explicata, ideo non volo esse prolixior.

Postremò de sacrificiis sæpe hanc concionem Prophetæ repetiuerunt, non diuinitus ordinatas esse has ceremonias, vt mereantur remissionem peccatorum, sed vt sint commonefactiones de doctrina, & nerui publicæ congregationis, & alimenta docentium.

Obseruate hos fines omnium sacramentorum & ceremoniarum in Ecclesia, siue veteris, siue noui Testamenti, in primis verò duos priores fines. Nam primus & summus finis omnium ceremoniarum non humanarum, sed diuinarum, quæ authoritate Dei versantur in Ecclesia, omnium inquam ceremoniarum, siue sint sacrificia, siue sacramenta, primus & summus finis est, vt sint commonefactiones de doctrina, seu vt sint picturæ promissionis, & sigilla fidei, &, vt Augustinus ait, vt sint verba visibilia incurrentia in oculos. Duæ enim sunt partes totius ministerij in Ecclesia. Vna est verbum, altera est administratio Sacramentorum. Quia cùm sint duo sensus maximè ad docendum & discendum accommodati, videlicet sensus oculorum & sensus aurium: Deus non tantùm vult orationem, sermonem, vocem infundi in nostras aures, atque ita perferri ad cor, sed etiam vult in oculos incurrere quædam visibilia signa, quosdam ritus externos, qui non de alia re nos doceant & commonefaciant, sed de illis ipsis, de quibus dicitur in voce doctrinæ. Si quis igitur plus tribuit ceremoniis quàm verbo, is toto cælo errat. Imò Paulus de se inquit, Ego non sum vocatus ad baptizandum, sed ad docendum Euangelium. Quo dicto non extenuat Baptismum, sed tantùm significat propagationem doctrinæ esse præcipuam partem ministerij, cui debet seruire tanquam ancilla & pedissequa, altera pars, quæ complectitur administrationem Sacramentorum. Secundò, omnes ceremoniæ diuinitus institutæ sunt nerui publicæ congregationis. Ideo institutum est sabbathum, vt certo tempore homines conuenirent ad audien-

dam vocem publicæ doctrinæ, & ad communem precationem & gratiarum actionem. Huius autem congregationis seu horum congressuum publicorum nerui sunt ceremoniæ, quia populus magis mouetur ceremoniis, quàm ipsa voce doctrinæ. Vniuersaliter homines valde mouentur, si non sint ἄθεοι, non Epicurei, quando vident administrari Baptismum, aut Cœnam Domini, quæ certè sunt res diuinæ & sacræ.

Hæc tota doctrina sæpe repetita est à Prophetis, vt Esa. 1 & vltimo, Ieremiæ 7. Oseæ 6. Micheæ 6. Zach. 7 & 8.

Admonitiones de enarratione Scripturæ.

CAP. V.

VANQVAM verum est, aliud esse loqui de libris sacris, aliud de veteri & nouo Testamento: tamen propter cognationem & similitudinem appellationum, etiamsi res distinctæ sunt, non est intempestiuum, nec inutile, hoc in loco iuniores admonere de enarratione Scripturæ Propheticæ & Apostolicæ. Nec disputemus subtiliùs de ratione ordinis, cùm satis sit, res bonas & vtiles proponi, siue hîc, siue alibi.

Etsi interpretatio vera & natiua Scripturæ Propheticæ & Apostolicæ donũ Dei est, quod Spiritus sanctus in piis mentibus accendit:

1 Cor. 12 inter dona Spiritus sancti recensetur interpretatio Scripturæ. Aliud est cognitio linguarum: aliud interpretatio Scripturæ. Sicut in Dialecticis differunt definitio nominis, & definitio rei: ita ingens discrimen est inter cognitionem Hebrææ & Grææ linguæ, & inter enarrationem Scripturæ. Multi sunt boni Hebræi & Græci, id est, periti vtriusque linguæ, Græcæ & Hebraicæ, nec tamen boni interpretes sunt Scripturæ: econtrà multi sunt boni interpretes, qui non habent perfectissimam cognitionem linguarum.

Augu-

Augustinus non fuit peritus linguæ Hebraicæ, vt ipse ingenuè fatetur, & ostendit enarratio psalmorum: sed tamen nullus ex patribus est melior interpres Scripturarum, quàm Augustinus. Alij habuerunt cognitionem linguæ Græcæ & Hebrææ, vt ORIGENES, & tamen sæpe is toto cælo errat in enarratione Scripturarum. Sunt ergo diuersa & distincta dona, quando autem sunt coniuncta in vna & eadē persona, profectò nihil est admirabilius hac copulatione. Quoties versor in enarratione psalmorum, scripta à Diuo Augustino, ex animo doleo vicem optimi & sanctissimi doctoris, quòd non habuit meliorem versionem psalmorum, & quòd defuit ei notitia linguæ Hebraicæ. Si potuisset bibere ille vir ex fontibus Hebraicis: Deus bone, qualem enarrationem haberemus ab ipso editam? Nunc bonus vir sæpe cum insulsa versione conflictatur, & occasione illius nonnihil extra viam currit, quod pace & venia tanti viri dictum sit. Etsi enim sæpe bene currit, tamen interdum currit extra viam, vt dicitur in prouerbio. Mundus putat nihil esse vel interpretationem Scripturæ, vel cognitionem linguarum, vel diiudicationem Spirituum, quia mundus curat hoc, quod suum est, nihil magni facit, nihil miratur, nisi honores vanos, & insinceras voluptates, & earum instrumenta, sed nos qui sumus membra Ecclesiæ, pluris faciamus vnius psalmi veram interpretationem, aut vnius epistolæ Paulinæ natiuam sententiam, quàm opes totius regni Turcici.

Tamen hæc lux excitatur & crescit assidua lectione ac collatione Scripturarum expendente pondera verborum, & considerante seriem diuinarum concionum, ac prospiciente metam, ad quam cælestia dicta referenda sunt.

Paulus in posteriori ad Timotheum iubet dona Spiritus ἀναζωπυρεῖν, id est, quasi scintillas & igniculos cineribus obrutos excitare & accendere. Significat igitur Paulus dona excitanda esse, quia profectò dona crescunt tractando, sicut ferrum acuitur tractando. Econtra dona amittuntur & fiunt languidiora, quando non exercentur. Ideo nemo debet suum talentum abscondere, vt fecit seruus ille nequam in Euangelio: sed vnusquisque pro modulo sui doni seruiat vel Ecclesiæ, vel Reipublicæ, vel Scholæ, vel œconomiæ.

Est enim primum & præcipuum munus interpretis in Eccle-

sia, diligenter & assiduè legere libros Propheticos & Apostolicos, qui sunt fontes Israel, ex quibus haurienda est doctrina.

Recitabo iunioribus historiã de Alfonso rege Neapolitano, & Hispaniarum. Is quater & decies perlegit Biblia, & tamen fuit magnus bellator. Admirandum est enim, potuisse hanc assiduitatem præstare in tanta mole negotiorũ. Hoc exemplum nobis proponamus. Pudeat autẽ nos nostræ ignauiæ, quia non dico decies, sed vix semel in tota vita decimam partem Bibliorum legimus. Quando citãtur dicta psalmorum, aut aliorum Prophetarum, videmur nobis audire dicta Pindari, aut Orphei, aut nescio cuius poetæ veteris, cuius iam nomen vix notum est.

Hoc officium attribuit interpreti primus psalmus, cùm ait, In Lege Domini meditabitur die ac nocte.

Primus psalmus est præfatio in totum opus psalmorum. Est quasi dedicatoria epistola, in qua Spiritus sanctus hortatur totam Ecclesiam & pios singulos ad assiduam lectionem & meditationem verbi diuini. Summa psalmi congruit cum dicto Pauli, Sis assiduus in lectione. Item, Verbum Domini habitet inter vos abundè &c. Ita psalmus inquit, Qui meditatur Legem Domini, is est beatus. Sed dicat aliquis, Quem fructũ mihi affert lectio psalmorum? Audi quid dicat psalmus. Talis assiduus lector Scripturæ erit similis palmæ, quæ semper floret, & nunquam est sine fructibus, & omnia quæ talis suscipit, prosperè euenient. Quid maius potest tibi promitti? Promittitur fœlicitas in omnibus studiis, consiliis & actionibus: quo dono non potest contingere maius homini, excepta redemtione Filij Dei: sicut econtrà nulla maior miseria est, quàm esse infœlicem in omnibus quæ suscipiuntur.

Et Paulus: Sis diligens & assiduus in legendo. Neque verò legi, aut enarrari possunt scripta Prophetica & Apostolica sine intellectu sermonis, quem Grãmatica & linguarum cognitio suppeditat.

Christus iubet nos scrutari Scripturas. Id non est obiter legere, sed expendere Grammatica quadã diligentia singula verba, phrases, figuras, clausulas: deinde est diligenter considerare ordinem & seriem membrorum, quadam dialectica dexteritate. Tertiò est cogitare de applicatione ad

ad vſum, videlicet quem habeat vſum hic vel ille locus, in pœnitentia, inuocatione, cruce &c. Eſt præterea conferre inter ſe Scripturã, id eſt, breuia dicta cum longioribus, obſcura cum clarioribus, figurata cum propriis.

Itaque interpres non ſit rudis linguarum, Hebraicæ & Græcæ: ſed tanquam fidelis Grammaticus, natiuam ſententiam diuini ſermonis inquirat. Dextrè autem intellecto genere ſermonis, conſideret diuerſa membra doctrinæ, ſapienter diſcernat Legem & Euangelium, ſapientiam politicam, & doctrinam Eccleſiæ propriam, & mente totum corpus doctrinæ cæleſtis complectens, iudicet quæ membra coniungenda & coagmentanda ſint, quæ diuellẽda, quærat idoneas ſingulorum definitiones & diuiſiones. Iudicet quid ex ſingulis membris bona conſequentia extruendum ſit, & refutet corruptelas, quæ ſpecie aliqua incautos decipiunt.

Epiſtola ad Hebræos eſt magiſtra enarrationis Scripturæ. Nam exemplo ſuo nos doçet, quid in aliis dictis Scripturæ agendum ſit. Extat in pſalmo, Dixit Dominus &c. hic verſus de ſacerdotio Chriſti, Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum, ſecũdum ordinẽ Melchiſedech. Breuis eſt verſus, & vt apparet, non magni momenti: ſed Epiſtola ad Hebræos ſic enarrat hunc verſum, vt pius lector miretur tantam rerum copiam & bonitatem tam breui ſententiolæ incluſam eſſe. Primùm enim Epiſtola ad Hebræos cap. 6 exaggerat, attollit & amplificat iuramentum diuinum. Etſi, inquit, promiſſio Dei per ſe eſt firma, rata & immutabilis, tamen vt Deus promiſſionem ſuam obſignaret, & aſſenſionem in nobis confirmaret, addidit promiſſioni iuramentum, & cùm non haberet maiorem, per quem iuraret, iurauit per ſemet ipſum. Deinde in capite 7 enarrat particulam, Secũdum ordinem Melchiſedech. Cõfert Chriſtum cum Melchiſedech. Docet cur pſalmus vſus ſit hac forma verborum, Secundum ordinem Melchiſedech, vt videlicet diſcernat ſacerdotium Chriſti à Leuitico ſacerdotio. Poſtea in ſequentibus capitibus 8, 9, 10 vrget reliqua pondera verborum, Tu es ſacerdos in æternum. Hæc particula, in qua fit mentio æternitatis, illuſtre diſcrimen facit inter Aaronem & Chriſtum. Aaron erat ſummus Sacerdos in populo Dei, frater Moyſi, & quidem primus Sacerdos, magna virtute, magna ſapiẽtia,

eloquentia & authoritate præditus: imò etiam ſanctus vir, etiamſi ſemel atrociter lapſus eſt, quando adiuuit fabricationem aurei vituli. Sed hic Aaron non eſt æternus Sacerdos: habuit enim ſucceſſores, filium Eleazarum, & alios. Noſter verò Sacerdos, de quo extat iuramentum Dei, eſt Sacerdos æternus, quia per Spiritum æternum, vt Hebr. 9 dicitur, ſeipſum obtulit Deo, vt nos mundaret ab operibus corporis, id eſt, à peccatis, & æternam redemtionem inueniret. Denique ipſe vnà cum ſua Eccleſia viuit in omni æternitate. Videtis in hoc exemplo, quid ſit ſcrutari Scripturas. Non eſt obiter legere, animo peregrinante & aliud agente, ſed eſt, intentum eſſe in ea, quæ leguntur, & vocare ad calculos exiguè & exiliter ſingulas literas & ſyllabas. Habetis exemplum, quo non poteſt proponi vobis melius, & ſit hoc vobis in primis commendatum, quod ſæpe repetiuit optimè meritus vir Dominus Philippus Melanthon, Textuales Theologi ſunt optimi Theologi. Olim miſeri Theologi cruciabantur miſerè in Longobardo, & ſententiariis: & vix ex multis millibus vnus reperiebatur, qui poſſet vnum pſalmum, aut vnum caput, imò vnam ſententiolam Pauli vel citare vel illuſtrare. Tantum tunc tribuebatur humanis ſordibus & ſcriptis. Nũc verò ſaniores & meliores in templis & ſcholis, omiſſa lectione non neceſſaria, & vagabunda humanorum ſcriptorum ſine delectu (Non enim dico eſſe omnia reiicienda, volo adhiberi delectum) omiſſa inquam illa lectione, quæ nullum habet delectum, conferant ſe totos ad lectionem Bibliorum, & ſentient ſe vno die plus profecturos, quàm ſi totum decennium euoluerent omnes ſententiarios, quæſtionarios, ſummiſtas &c. Videtis in tanta turba librorum opus eſſe delectu. Illos autem libros maximè probate, à quocunque ſint ſcripti, qui vos non procul abducunt à textu, non ſinunt vos euagari, ſed deducunt vos ad Scripturam, quaſi digito, & detinent vos in lectione textus. Reliquas moles commentariorum omittite, quia tantùm ſunt impedimenta veræ ſapientiæ & doctrinæ. Quòd autem omnibus hominibus neceſſaria ſit vera & erudita interpretatio Scripturæ, oſtendunt exempla, & in primis hiſtoria Eunuchi, ſeu cubicularij reginæ Aethiopum, Act. 8. Ea enim perſpicuè demonſtrat lectionem parum prodeſſe ſine interpretatione. Eſt quidem neceſſaria diligentia, quam ſæpe commendamus vobis, aſsiduè legere Biblia. Sed ſi non accedit interpres pius & eruditus, qui moneat aliquid de genere ſermonis, & de ordine partiũ, & de natiua ſententia: profectò

litera

litera manebit litera, & non relinquet aculeos in animis legentium. Sic hodie Iudæi & hostes Christi & Ecclesiæ in suis synagogis & priuatis familiis diligenter & asiduè euoluunt monumenta Moysi & Prophetarum. Sed hoc eis accidit in lectione, quod dicit Paulus 2 Cor. 3: Velamen est positum super cor eorum, quod non auferetur, nisi ad Christum conuertantur. Non igitur reprehendo lectionem asiduam sacræ Scripturæ, imò hortator sum omnibus, vt sint asidui & diligentes in lectione, sed volo accedere ad lectionem, piam interpretationem & considerationem, ne tantùm sit puerilis lectio.

Sciat etiam pius & sapiens interpres, non ex vnico breui & mutilo dicto iudicandum esse, sed doctrinæ summam collectam ex Propheticis & Apostolicis monumentis intueatur, & inde natiuam sententiam breuium dictorum sumat, vt præclarè monet Tertullianus aduersus Praxeā, inquiens: Oportet secundum plura intelligi pauciora. Item: Vnus sermo secundum omnia potiùs, quàm aduersus omnia interpretandus est. Non enim ex singulis verbis, sed ex perpetua sententia æstimandi sunt scriptores.

Scitis, hodie nullam controuersiam agitari in Ecclesia acerbiùs, quàm controuersiam de verbis Cœnæ Domini, Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Si autem volumus hanc regulam Tertulliani sequi, quæ certisima est, non est difficilis diiudicatio huius controuersiæ. Nam Paulus, qui habuit Spiritum Christi, & qui dicit de sua doctrina, Si Angelus de cælo aliud Euangelium annuntiauerit, anathema sit &c. luculenter enarrat verba Cœnæ 1 Cor. 10 inquiens: Panis, quem frangimus, est κοινωνία corporis Christi: calix, cui benedicimus, est κοινωνία sanguinis Domini. Hæc verba Pauli, si conferantur cum verbis Cœnæ, non erit opus multis rixis, & subtilibus disputationibus. Præterea Christus ipse, alibi etiam Ioh. 6 locutus est de re Sacramenti, seu de re Cœnæ Dominicæ. Aliud est enim Sacramentum, vt ait Augustinus, aliud res Sacramenti. Quanquam igitur Cœna Domini tunc nondum erat instituta, cùm Christus haberet concionem Iohan. 6: tamen ibi concionatus est de re Sacramenti, videlicet de carne & sanguine suo, inquiens, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Nisi manducaueritis carnē Filij hominis &c. Hoc caput omnes scriptores Græci & Latini accommodarunt ad Cœnam Domini, hoc est, ad rem Cœnæ Domi-

nicæ. Et Augustinus lib. 3 de consensu Euangelistarum, agitans hanc quæstionem: Cur Iohannes nihil scripserit de Cœna Domini, respõdet, quia alibi, videlicet Iohan. 6 multò vberiùs de hac materia disseruit. Si igitur conferremus longiores conciones, qualis est illa 1 Cor. 10: & alteram Iohan. 6 cum verbis Cœnæ, sublata esset omnis controuersia inter pios & dociles. Pertinaces verò maneant rixatores vsque ad finem mundi, sed sciant aliquando reddituros se rationem suarum rixarum coram tribunali Iesu Christi. Certè non debemus sic interpretari verba Cœnæ, vt pugnent cum tota Scriptura, & cum tribus Symbolis, Apostolico, Niceno, Athanasiano. Item cum Confessione perpetua totius Catholicæ Ecclesiæ, Græcæ & Latinæ. Hæc suo loco dicentur vberiùs.

Denique sit testis veræ sententiæ, & sua confessione aliorum iudicia regat & confirmet. Etsi autem ad veram interpretationem eruditio necessaria est: tamen in veris exercitiis pœnitentiæ, fidei, inuocationis, spei, cælestis sapientia multò fit illustrior. Nam experientia terrorum in contritione, & fidei in cõsolatione illustrat doctrinam, vt experti, Dauid, Ezechias, Paulus, aliter intelligunt dictum, Iustus sua fide viuit, quàm Pharisęi, ebrij ambitione & voluptatibus. Sit igitur mens interpretis non prophana, non fascinata opinionibus alienis ab Euangelio, non ignara exercitiorũ pœnitentiæ & inuocationis, non occupata odio & ambitione, & similibus morbis, qui iudicio officiunt: sed ad Propheticam & Apostolicam lectionem piè & reuerenter accedat, vt ibi Deum loquentem audiat, & agnita Dei voluntate in ipsa voce diuina acquiescat, & lectioni pias preces misceat, sicut inquit Filius Dei: Vigilate, & orate, ne in tentationẽ intretis. Vigilãtia intentionẽ in cogitatione doctrinæ complectitur: precatio petit auxilium à Deo. Nam diligentia humana infelix est, nisi gubernetur & adiuuetur diuinitus.

Non est vobis ignotum dictũ Epiphanij contra Apostolicos. Omnis Scriptura diuinitus tradita indiget partim speculatione, partim sensu. Speculatio significat diligentiam grammaticam & dialecticam, & sobriam collationem Scripturarum inter se. Sensus verò αἴσθησις, nominatur experientia spiritualis, quæ versatur in contritione, in fide, in inuocatione, in patientia, in spe, & in ceteris exercitiis pietatis, de quibus

dicitu

dicitur 1 Cor. 4: Non in sermone, id est, non in rixis disputationum, non in puerilibus cauillatiunculis, non in leptologiis inanibus, sed in virtute consistit regnum Dei, id est, in vera conuersione ad Deum, quæ complectitur contritionem, fidem & reliquas virtutes. Estq; verissimè dictum de hac experientia, à quodam ex veteribus: Tantum quisque scit in rebus diuinis, quãtum operatur. Non est Theologia tantùm speculatio otiosa, vt multi putant, sed vis & efficacia Theologiæ lucet & conspicitur in veris exercitiis pietatis.

Quanquam autem ratio interpretandi Scripturas non potest paucis regulis comprehendi: tamen iunioribus quasdam admonitiones proponam, quæ sunt adminicula dexteritatis ac rectitudinis in enarrando.

PRIMA. Augustinus enarrans psal. 48, Omnia, inquit, diuina eloquia salutaria sunt bene intelligentibus.

Non satis est habere verbum, nisi etiam habeas natiuam verbi sententiam. Sicut in iure non satis est, te habere in promtu multas leges seu textus, nisi caussam legum teneas, id est, veram interpretationem & sententiam, & ideo sunt scholæ Iuris Ciuilis, in quibus enarratur Ius ciuile & Canonicum, ne auditores intelligant calumniosè & præposterè verba legũ. Idem rectè dicitur de sacris literis, Euangelium est potentia Dei ad salutem, cui? credenti. Sic verbum Dei est salutare. cui? bene intelligenti. Multi afferunt ad lectionem sacræ Scripturæ anteceptas imaginationes, & has mordicus retinent, postea detorquent Scripturã ad suas imaginationes, quibus idem accidit quod aliis, qui per vitrũ coloratum volunt res cernere. Quando tu admoues oculo vitrum rubeum, omnia quæ cernis per vitrum, tanquam per medium, videntur tibi simili colore imbuta esse: ita quando tu affers somnium tuum ad Scripturas, videtur tibi tota Scriptura suffragari & patrocinari.

Periculosa verò his, qui eam volunt ad sui cordis peruersitatem detorquere potiùs, quàm suum cor ad eorum rectitudinem corrigere.

Et Basilius: Accommodandus est, inquit, lapis ad regulam, nõ regula ad humanas opiniones flectenda. Non igitur gignat interpres nouum doctrinæ genus, sed sit custos vocis à Deo traditæ,

iuxta regulas, quæ constanter sunt sequendæ. Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit. Item sit analoga fidei interpretatio. Item, Si quis loquitur, tanquam oracula Dei sonet.

Quid vocat Paulus Rom. 12, analogiam fidei? Respondeo: Illa interpretatio est ἀνάλογος fidei, quæ non pugnat cum fundamento, hoc est, cum articulis fidei, & perpetua sententia, & confessione Catholicæ Ecclesiæ. Nisi enim, inquit Samson Iud. 13, vitula mea arassetis, non inuenissetis. Sicut nunc audimus reuerenter ministerium, & debemus audire, & credimus interpretationi, quæ est consentanea Scripturæ: ita nequaquam aspernari debemus confessionem Catholicæ Ecclesiæ à temporibus Apostolorum, vsque ad hanc ætatem. Diximus autē aliâs de periodis tribus, à nato Christo vsque ad hanc ætatem. Admonuimus iuuentutem, optimos scriptores floruisse in prima periodo, quæ cōplectitur annos 400. Nam post mortem Augustini secuti sunt furores Mahometi in maxima parte generis humani, & idola, errores & abusus Papæ, ita cœpit doctrina obscurari, nec tutò petuntur testimonia à posterioribus scriptoribus, qui sunt secuti ætatem Augustini, paucis quibusdā exceptis. Priores autem, qui antecesserunt Augustinum, & vixerūt cum hoc sanctissimo viro, retinuerunt fundamentum, etsi interdū addiderunt aliquid stipularum, quas ne ipsi quidem probarunt, sicut ostendit liber retractationum Augustini.

SECVNDA. Verbum Dei piè intelligendum est sine opinionibus carnalibus. Hanc admonitionem tradit psal. 47, Psallite Domino sapienter. Et Salomon Pro. 30: Omne verbū Dei purgatū. i. rectè enarratū, est clypeus omni credenti. Et Paulus Coloss. 3: Sermo Dei habitet inter vos abundè cū omni sapientia.

Sapiētia opponitur ignauiæ & sophisticæ. Non intelligatur verbum Dei calumniosè, non sophisticè, neque etiam carnaliter, sicut Capernaitæ intellexerunt concionem de manducatione carnis Christi, cùm dicerent: Quomodo potest hic carnem suam dare ad manducandum? Durus profectò sermo. Hos refutans Christus, inquit: Verba quæ ego locutus sum vobis, sunt Spiritus & vita. Caro non prodest quicquam, id est, carnales imaginationes de manducatione Christi. Spiritus autem est, qui viuificat, id est, verba

quæ

quæ locutus sum vobis, spiritualiter intellecta, viuificabunt vos, vt rectè interpretatur Augustinus.

TERTIA. Duæ res in enarratione potissimùm præstentur. Primùm interpretatio illustret lectionem authoris: deinde explicatio sit confessio veræ sententiæ, & testimonium profuturum posteris. Sit igitur interpretatio vera, perspicua, plana, sine ambiguitate, vt tanquam vera confessio posteros erudiat, & confirmet.

QVARTA. Sciat interpres, quid sit docere, & quomodo rudioribus membra doctrinæ sint proponenda, moneat de phrasi, & de ordine partium doctrinæ. Nemo enim, nisi ordine monstrato, perspicuè docere potest, aliqua communia euoluat, monstret genera, & discernat species.

QVINTA. Consideret occasiones Propheticarum & Apostolicarum concionum, & videat ad quæ doctrinæ capita accommodandæ sint singulæ partes, quæ sint Legis, quæ Euangelij conciones, quæ de Ecclesia, quæ de imperiis loquantur. Non enim satis est nosse historiam & dogmata [*id est, articulos fidei*] sed ad quem finem doctrina referenda sit, sciendum est.

SEXTA. Prosper in Epistola ad Ruffinum. Ad defensionem alicuius dogmatis ea promenda sunt, quæ alteri intellectui, à quo videtur dogma dissonare, non cedant, & eam regulam, cui sunt aptata [*id est, accommodata*] non deserant.

In controuersiis dogmatum vtendum est, non quibuslibet testimoniis, sed perspicuis, illustribus, firmis, & immotis, quæ non cedunt contrariis ventis, sed stant immota, neque ab ordine cedunt. Multi, vt scitis, hoc tempore vrgent τὸ ῥητὸν in verbis Cœnæ, & nullam interpretationem audire volunt, non quidem rationi blandientem, sed sacræ Scripturæ consentaneam, & ad naturam ac definitionem Sacramentorum congruentem. Contra hos rectè citatur particula de calice, de quo dicitur 1 Cor. 11, & Luc. 22. Hic est calix noui Testamenti in meo sanguine: vel, hic calix est nouum Testamentum in meo sanguine. Potéstne aliquis in hac descriptione calicis, id est, alterius partis Cœnæ Dominicæ, vrgere τὸ ῥητὸν sine vlla declaratione? Certè si est homo sanus, fatebitur, opus esse figurata interpretatione. Nam neque calix, neque vinum, quod est in calice, propriè & regulariter nouum Testamentum appellari

potest. Si enim vis definire calicem, aut vinum, non potes loco generis aut differentiæ ponere nouum Testamentum, & vicissim nouum Testamentum non potes definire per calicem aut vinum, quia nouum Testamentum est promissio gratiæ & bonorum cælestium, atque æternorum, quæ Christus sua passione & suo sanguine nobis meruit, & nobis per fidem applicat in vsu Sacramenti.

SEPTIMA. Scriptura noui Testamenti præcipuum lumen est Prophetarum, nec discedendum est in enarratione Mosi, psalmorum, & Propheticarum concionum ab ea sententia, quam vel ipse Filius Dei, vel Apostoli monstrant, quia idem Spiritus locutus est per Prophetas & Apostolos, & Filius est, qui enarrauit nobis.

OCTAVA. Epistola Pauli ad Rom. clauis est, qua fores vniuersæ Scripturæ aperiuntur. Historia Apostolica, quam Lucas in Actis recitat, luculentus commentarius est lectionis Propheticæ. Epistola ad Hebræos optimè enarrat Mosen. Denique collatio scriptorum Pauli & Iohannis Apostoli cum Propheticis monumentis recta & compendiaria via est ad interpretationem.

Sæpe solebat dicere reuerendus vir D. Lutherus, se, si adhuc iuuenis esset, & sibi retexēda esset tela studiorum Theologiæ, nihil aliud acturum esse, quàm collaturum Paulum & Iohannē cum Mose, Dauide & Esaia. Ex hac collatione dicebat, maiorem posse se capere vtilitatem & fructum, quàm ex omnibus voluminibus & commentariis, qui sunt editi post Apostolos, sed nemo credit.

NONA. Augustinus in Iohannem tractatu III: Nemo serenissimum sensum nubilosa contradictione perturbet, consequentia perhibeant testimonium præcedentibus verbis.

DECIMA. Videndum est vbi τὸ ῥητὸν retinendum sit, & vbi quærenda sit διάνοια, non rationi blandiens, sed analoga fidei. Præclarè enim à Cyrillo dictū est: Intentio potiùs spectanda est, quàm vrgenda verba contra dicentis mentem.

Sic aliqui defensores τοῦ ῥητοῦ in verbis Cœnæ argumētantur. Non offendit hæc oratio, qua Christus vsus est in Cœna, mentes discipulorum, qui alioquin erant rudes & imperiti, & ferè de singulis rebus etiam minimis, Christum interrogare solebant.

Cùm

Cùm igitur Apostoli non disputarint de sententia horum verborũ, retinendum est mordicus τὸ ῥητόν. Speciosa sanè, plausibilis & popularis est obiectio: sed quid respondet Chrysostomus? Discipuli, inquit, audiuerant Christum Iohan. 6 concionantem de manducatione carnis, & erant assuefacti ad has formulas loquendi: Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, manebit in me, & ego in eo. Quare intellexerunt Apostoli institui in Cœna obsignationem illius manducationis, de qua concionatus erat Christus Iohann. 6. Nemo audiendus est in Ecclesia, qui dicit, quòd in Cœna tantùm percipiamus panem & vinum: ita enim non differret Cœna à conuiuio quotidiano & prophano. Non autem seruit ventri Cœna Domini, sicut domesticus cibus & potus, sed verè est cibus, & verè est potus animæ. Ergo non tantùm percipitur in Cœna panis & vinũ, vt aliqui calumniosè dicunt, sed verè manducatur caro Christi: & bibitur eius sanguis, sed iuxta analogã fidei, iuxta symbola, iuxta enarrationem Pauli & Iohannis.

VNDECIMA. Dextrè concilientur dicta Scripturæ, quæ prima specie inter se pugnare videntur. Pax enim in Scripturis est, vt ait Augustinus tractatu in Iohan. 19, & omnia disposita nequaquam rixantur. Tu abiice litem cordis tui, intellige concordiam Scripturarum. Non enim contraria sibi dicit veritas.

DVODECIMA. Verba de subiecta materia intelligenda sunt. Hanc admonitionem tradit Tertullianus in libro de resurrectione carnis. Ex materia dicti dirigendus est sensus. Itẽ discernere pro sensibus, communionem verborum, & integrè intelliges.

Verba, quæ de Sacramentis loquuntur, sacramentaliter intelligenda sunt.

Iohan. 1 dicitur: Mundus per ipsum factus est. Mundus ibi significat omnes creaturas visibiles & inuisibiles. In Canonica Iohan. dicitur: Quicquid est in mundo, est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Quæro, an hæc per Christum sint facta? Non. Christus non est caussa peccati. Ergo aliud significat mundus in Epistola Canonica, aliud in primo capite Iohannis. In Canonica significat auersionem naturæ conditæ à Deo in Diabolis & hominibus, quæ auersio non est opus Dei, sed opus accersitum à Diabolo, & hominibus per inobedientiam.

DECIMA TERTIA. Hilarius. Ex caussis dicendi sumenda est intelligentia dictorum. Item: Circumstantiæ illuminant dicta.

DECIMAQVARTA. Considerandum est, vnam propriam & principalem sententiam esse Scripturæ, quam videlicet consuetudo sermonis, & rerum, seu argumenti series gignit, nec imaginandum est, vt quidam finxerũt, quatuor esse Scripturæ sensus, videlicet historicum, tropologicum, allegoricum, & analogicum.

Mira hæc fortaßis videntur iunioribus, sed olim ante repurgationem doctrinæ omnes scholæ & templa personabant his nugis, vt cùm incidebat Monachus aliquis in mentionem vrbis Hierosolymæ, primùm interpretabatur vocabulum historicè, seu literaliter de vrbe Palestinæ celeberrima totius Orientis. Deinde accommodabat nomen Hierosolymæ ad mores. Hierusalem significat pacis visionem: ergo nos quoque simus pacifici, amantes concordiæ. Hæc erat τροπολογία, accommodatio ad mores, ethica interpretatio. Tertiò vtebatur Monachus allegoria. Sicut enim in Hierusalem fuit templũ & cultus Dei: ita Ecclesia est domicilium Dei & sedes veritatis. Postremò per ἀναγωγὴν, vt ipsi loquuntur, transferebat nomen Hierosolymæ ad Ecclesiam cælestem. In cælo, inquit, in beata vita verè Ecclesia erit Hierusalem, id est, videbit Deum, fruetur pace. Hæc quanquam non sunt falsa, tamen conuellunt & labefactant authoritatem Scripturæ, quæ laceratur à talibus interpretibus, sicut catelli lacerant panniculos. Interdum est allegoriis locus, sed raro. Paulus vix quater, aut quinquies allegoriis vtitur in suis Epistolis.

Nam oratio quæ non habet vnam ac simplicem sententiam, nihil certi docet. Et hæc ratio interpretandi, quæ discerpit oracula Dei in varias sententias, labefactat authoritatem Scripturæ.

DECIMA QVINTA. Ceterùm quædam facta extant in sacris literis, & ceremoniæ quædam, quæ ad id institutæ fuerunt, vt aliud quiddam significarent. In his est locus allegoriis, quæ prudenter & concinnè tractandæ sunt, ne dulcedine harum imaginum inuitati, extra metas erumpamus.

DECIMA SEXTA. Augustin. lib. 3 de doctrina Christiana, cap 5: Cauendum est, ne fi-

Esa. 2, Ascendent omnes gentes in montem Domini, & con-

guratam

guratam locutionem ad literā accipias. Cùm enim figuratè dictum sic accipitur, tanquam propriè dictum sit, carnaliter sapitur.

uertent suos gladios in vomeres: vult significare, Ecclesiam in mundo quidem habituram esse pressuram, vt Christus Iohann. 16 loquitur: sed in Christo pacē. Hanc pacem describunt illæ figuræ Propheticæ. Quòd si literam vrgere voles, nunquam reperies talem statum Ecclesiæ in hac vita.

EXPLICATIO TEXTVS LOCORVM THEOLOGICORVM PHIL. MELANTHONIS

De veteri & nouo Testamento.

VLLA est melior ratio docendi, quàm eadem dicere de iisdem. Nec discentes plus proficiunt, quàm si eadem subinde audiant de iisdem. Qui enim volunt quotidie noui aliquid legere & audire, seruiunt quidem voluptati, & aliqua delectatione perfunduntur, sed solidum eruditionis fructum nunquam percipiūt. Quanquam enim varietas delectat: tamen repetitio earundem rerum magis auget scientiam & πληροφορίαν, seu certitudinem. Quare, more vsitato, percurram paucis lectionibus vtilissimas & dulcissimas pagellas Domini Philippi.

Vna est Ecclesia]

Eph. 4. Vnum corpus, & vnus Spiritus, quemadmodum & vocati estis in vna spe vocationis vestræ, vnus Deus, & Pater omnium.

Hæc propositio de vnitate Ecclesiæ est articulus fidei, Credo Ecclesiam sanctam Catholicam. Non enim est imaginandum, Ecclesiam esse alligatam vni loco, aut esse tantùm vnius temporis, sed Catholica Ecclesia intelligatur de Ecclesia omnium temporum & locorum, à principio mundi, vsque ad finem. Quando cogitatis

f

de vnitate Ecclesiæ, veniat vobis in mentem imaginis de curru Christi triumphali. Hunc enim currum, in quo sedet Christus triumphans, antecedunt tanquam πρόδρομοι, præcursores patriarchę & Prophetæ, ab Adam vsque ad Iohannem. Nos sequimur eundem currum, ducibus Apostolis, & eorum discipulis. In medio est Christus, qui eadem dona dat suis membris, quæ ad salutem sunt necessaria (non enim iam loquimur de donis vniuscuiusque vocationis, quæ sunt dissimilia) dat omnibus credentibus à principio vsque ad finem remissionem peccatorum, dat iisdem Spiritum sanctum, Spiritum gratiæ & precum, & inchoat in eis iustitiam & vitam æternã. Ideo inquit Paulus de Ecclesia omnium temporum: Vnum caput, vnum corpus, vnus Spiritus. Quid enim est corpus sine Spiritu? cadauer est. Quemadmodum & vocati estis.) Vocatio significat prædicationem Euangelij, qua colligitur Ecclesia. Est autem vna & eadem vox, quam omnes & singuli audiunt. Non enim aliud Euangelium annuntiatur Principi, aliud mendico, sed vterque vnam vocem audit. In summa dicit hoc Paulus, idem esse fundamentum Ecclesię omnium temporum, eundem Deum, Mediatorem, Spiritum, fidem, spem, denique omnia esse eadẽ & similia. Hac hypothesi considerata, certè nemo nostrum fideles huius seculi, vt inquit Augustinus, anteponet patribus & Prophetis, per quos nobis illa sunt prophetata. An putas te meliorem esse Esaia, aut Daniele, aut Abraham? Nequaquam. satis est, si sis miser catellus, vt Cananæa mulier se appellat, colligens auidè fragmenta cadentia de mensa Prophetarum, Dauidis, Esaiæ, & aliorum.

Solam primam]

Septem sunt gradus testimoniorũ de hac asseueratione. 1 Miracula. 2, Doctrinæ antiquitas. 3, Collatio doctrinarum. 4, Experientia spiritualis. 5, Fortitudo martyrum. 6, Stabilitas Ecclesiæ. 7, Pœnæ hostium Euangelij.

Vide præfationem Philippi Melanthonis in quartum Tomum operum Lutheri.

Sacra Bacchi]

Chaldæi post diluuium finxerunt ignem esse Deum, quem nominauerunt Vr id est, lucem. Occasio autem huius idoli fuit, quia audiuerant patrum sacrificia cælestibus flammis consumta esse. Ideo transformarunt creaturam in creatorem, vt ait Paulus

Rom.

Rom.1. & honorem Deo debitum tribuerunt igni. Aegyptij coluerunt bouem, maculam habentem in fronte, quem nominarunt Apim. Syrij coluerunt Venerem, quam vocarunt reginam cæli. Sic aliæ gentes alia habuere idola: sed Græci maximè superstitiosi fuerũt, & ferè tota Græcia fuit repleta templis & sacellis.

Non igitur] Cõuersio per contrapositionem.

Quod certum] August. psal. 119: Fidelis Deus se nostrũ debitorẽ fecit, nõ aliquid à nobis accipiendo, sed tantùm nobis promittẽdo. Parum erat promissio, etiã scripto se teneri voluit, velut faciens nobiscum chirographum promissorũ suorum. Non solùm autẽ scripturam cum hominibus fecit, vt crederẽt, sed etiam fidei suæ posuit Mediatorem vnicum Filium suum.

Verè dicitur in psalmo 118: Confitemini Domino, quoniã bonus, quoniam in æternum misericordia eius. Cogita enim quàm beneficus, & quàm verax sit Deus, qui non tantùm edidit promissionem post lapsum primorum parẽtum, sed etiam eandem iussit mandare literis per Prophetas & Apostolos, & his omnibus addit pignus, quo nullum maius, aut præstabilius cogitari potest, scilicet Filium vnigenitum & dilectum. Obligauit ergo se Deus nobis trìpliciter: 1, verbo non obscuro & ambiguo, & flexiloquo, sed expresso, perspicuo, diserto. 2, scripto se obligauit, quasi chirographo. 3, dedit nobis pignus & arrhabonem ipsum Filium, vnà cum Spiritu sancto.

Intende] id est, Sis assiduus & diligens in cõsolatione & doctrina. Quare præcipit Paulus lectionem? Vt discernat Euangelium à philosophia. Nos ad scholas philosophicas afferimus aliqua seminaria, aliquas scintillas, aliquos igniculos, id est, principia practica & speculabilia, ex quibus omnes artes extructæ sunt. Sed ad Ecclesiam non afferimus naturalem notitiam, sed in ipsa Ecclesia discimus hoc mysterium absconditum à seculis, vt Paulus loquitur. Opus est igitur lectione, nec tantùm lectione, sed & meditatione, vt psal. 1 dicitur: In Lege Domini meditabitur. Ne autem sit puerilis lectio, constituit Paulus duos fines optimos & pulcherrimos. 1, est doctrina. 2, conso-

latio. Philosophiam discimus propter duas caussas. 1, propter liberalem eruditionem, id est, cognitionem rerum pulcherrimarum, propter γνῶσιν seu θεωρίαν. 2, propter actionem virtutis, quia laus virtutis in actione consistit, sed in doctrina Ecclesiæ alius est finis doctrinæ vltimus, scilicet consolatio retrahens nos ex morte æterna.

Scribentur] Esa. 8: Sume tibi librum, & scribe in eo. Hier. 36: Tolle volumen aliud, & scribe in eo omnes sermones priores. Daniel. 12: Tu autem Deniel, claude sermones, & signa librum vsque ad tempus statutum.

Manet notitia] Deus voluit reliquam esse notitiam Legis: 1, vt extet testimonium de Deo in nobis: 2, vt accuset & damnet peccata: 3, vt regat disciplinam.

Hæc debetis meminisse contra Flacianos, qui delēt notitiam Dei & Legis ex mente humana, quantum in ipsis est. Deleant sanè in suis mentibus, fiant prorsus furiosi, non autem deleant in nostris mentibus. Si volunt ipsi furere & insanire, insaniant suo periculo, non alieno, ludant de suo, non de nostro corio. Quid potest dici in Ecclesia furiosius, quàm non esse reliquam in mente hominum notitiam de Deo & Lege? cùm Paulus Rom. 1 & 2 non tantùm obiter dicat, hæc esse in mente humana, sed & prolixè hanc sententiam confirmet?

Semen mulieris] Hoc est primum & antiquissimum Euangelium.

Enoch] Hic fuit septimus ab Adam, sicut etiam Moses septimus fuit ab Abraham. Nam de Enoch scribitur, quòd fuerit excellens Propheta, in Epistola Iudæ, & Gen. 5 scribitur, quòd sit trāslatus ad Deū, nec mortuus, sicut alij Prophetæ. Moses, quantus fuerit vir, testatur Deus ipse, cùm nominat eum seruū fidelē in omni domo sua: & dicit, se cum eo familiariter colloqui ore ad os, sicut amicus cū amico. Denique Mosen Deus ipse sepeliuit. Et in Deut. cap. vltimo scribitur: Non surrexit talis Propheta in Israel. Septenarius numerus dedicatus est rebus diuinis, & putatur aliquid habere mysterij.

Cain] Gen. 4.

Ad

Ad Noa] cap.9.

Qualis est Epistola ad Romanos in Nouo Testamento, talis est Genesis in veteri Testamento.

Abraham] Gen. 22: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Ergo omnes gentes sunt sub maledictione Legis, Gal. 3. Optima est consequentia à contrario sensu. Si enim in solo Christo est benedictio, Ergo extra Christum est maledictio. Si benedicuntur gentes per Christum, antea fuerunt maledictæ.

Propriissimè] Ad differentiam librorum Propheticorum, qui etiam appellantur vetus Testamentum.

Hic finis] veteris Testamenti.

Cur præcipuè Lex] Tres sunt præcipuæ caussæ promulgationis Legis. 1, quia post peccatum caligo accessit, quæ naturalem notitiam fecit obscuriorem. 2, quia voluit Deus extare illustre testimonium, quod ostenderet, has notitias naturales ab ipso nobis insitas esse. 3, quia Deus vult extare discrimen sua voce monstratum, iustitiæ, Legis, & peccati.

Quæratur promissio] Ideo Paulus inquit, Lex est pædagogus ad Christum, Gal. 3. Iudicamur enim, vt agnoscentes peccatum, confugiamus ad Mediatorem.

Mactabant]

Psal. 106: Et immolauerunt filios suos, & filias suas dæmoniis, & effuderunt sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificarunt sculptilibus Canaan.

Moti sunt tales hypocritæ, vt Achas, Manasses, & similes, duabus rationibus, vt mactarēt humanas hostias, contra lucem & affectum naturalem. Prior ratio sumebatur ab exemplo Abrahæ, Deus approbauit obediētiam in immolatione Israel. Ergo & nostram obedientiā in eodem genere approbabit. Respondeo. Duo cùm idem faciunt, non est idem, quia caussæ impulsiuæ & finales faciunt ingens discrimen inter opera quæ foris sunt similia. Abraham habuit singulare man-

datum Dei, quod ceteri non habuerunt, qui debebant ſe continere intra metas mandati diuini, Non occides. Deinde Deus præceperat Abrahæ immolationem filij, non quòd vellet Iſaac interfici, ſed vt hoc opere exploraret fidem & obedientiam Abrahæ, ſicut hiſtoria ordine indicat. Altera ratio erat difficultas operis. Exiſtimabant enim Deo placere opus tam arduum & difficile, ignorantes Deum non velle coli ſumtu aut tragœdiis captiuorum, ſed vera pietate cõgruente ad præſcriptum verbi diuini.

Semen] Exiguum cœtum, eſt metaphora. Sic appellat Dominus Ecclesiam gregem puſillum: Noli timere puſille grex. Verè Eccleſia eſt grex exiguus, & deſtitutus humanis præſidiis, & tamen mirabiliter regitur, defenditur & conſeruatur à Deo. Huc pertinet Sophoniæ dictum valde bonum, cap. 3, Relinquam in medio tui populum pauperem & egenum, & tamen ſperantem in nomine Domini. Quæ poterat tradi melior deſcriptio Eccleſiæ?

Taxabat] Refutatio trium errorum.

Niſi priùs] Primus gradus operum Deo placentium eſt fides, vt Hebr. 11 dicitur, Eum qui vult accedere ad Deum, & ei placere, oportet eſſe fide præditum. Non enim fides ex operibus, ſed opera ex fide naſcuntur, teſte Paulo Gal. 5. & 2 Petri, 1: Præſtate in fide virtutem. Secundus gradus operum, quæ Deus approbat, eſt obedientia moralis iuxta Decalogum, dilectio Dei & proximi. Tertius & infimus gradus eſt vſus ceremoniarum, qui non placet Deo, niſi prælucente fide, & inchoata obedientia morali, vt Rom. 2 ſcribitur: Valet Circumciſio, ſi Legem obſerues. Nam ſine obſeruatione Legis, non differt Circumciſio à præputio, ſed hunc ordinem diuinitus ſancitum humana cæcitas & audacia inuertit. Anteponit enim ceremonias fidei & morali obedientiæ, vt oſtendit exemplum de Miſſa Papiſtica. Hiſpanus Miſſam audiens, pluris facit hoc opus, quàm fidẽ & obediẽtiam, iuxta vtramque tabulam Decalogi: putat, ſe audita Miſſa placere Deo, & non diſplicere Deo omnia peccata, vel præterita, vel futura. Idem intelligatur de noſtris hypocritis, qui non alia intẽtione accedunt ad Cœnam Domini, quàm Hiſpanus ad Miſſam.

Hæc

Hæc & similia] Oseæ 6: Misericordiam volo, non sacrificium, id est, beneficẽtiam erga proximum verè egentem. Hoc fuit symbolum Christi, vt apparet ex Euangelio Matthæi.

Quod]

Confirmatio definitionis veteris Testamenti. Paulus ait, vetus Testamentum esse inane & inutile. Ergo vetus Testamentum non est opus Dei, quia opera Dei sunt bona, vtilia, perfecta. Respondeo. Est fallacia secundum quid. Non est simpliciter inutile vetus Testamẽtum, sed est inutile, quoad iustificationem & saluationem. Etsi enim Lex per se est bona: tamen, vt Paulus loquitur Rom. 8, infirmatur per carnem. Christus inquit Iohan. 6, Caro non prodest quidquam. Hinc imperitus argumentatur. Ergo caro Christi est inutilis. Absit, est vtilissima & saluberrima, est instrumentum nostræ salutis. Non enim voluit Deus perficere saluationem nostri, nisi in carne Filij sui, assumta ex Virgine: & Christus adhuc retinet ad dexteram Patris carnem suam, & veræ carnis substantiam, vt sit nobis vtilis & salutaris. Cur ergo dicit Christus, Caro non prodest quicquam? Caro, id est, carnalis imaginatio de manducatione Mesiæ Capernaitica, siue crassa, siue subtili, quæ fiat instrumentis corporis.

Legi & morti] Vt intelligatis hoc axioma de inchoatione & consummatione, proponã vobis hymnum Angelicum, Gloria in excelsis Deo: pax in terra, & lætitia hominibus &c. Hunc hymnum canunt Angeli, nato Christo, qui ad vtrumque rectè accommodatur, ad inchoationem regni Christi in hac vita, & ad consummationem eiusdem post resurrectionem in vita æterna. In hac vita tribuitur Deo gloria, quando cognoscitur Dei sapientia, iustitia, misericordia, bonitas, clementia, & ceteræ virtutes, quæ Deo verè tribuuntur, & quarum virtutum specimen illustre ipse Deus ostendit in missione Filij sui vnigeniti. Nam missio Christi est speculum iustitiæ & misericordiæ diuinæ, vt iam quotidie auditis in concionibus de passione Domini: speculum quidem iræ & iustitiæ diuinæ, quia tanta est Dei ira, & quidem iustissima aduersus hominum peccata, mea, tua, & aliorũ, vt non potuerit placari, nisi Filius Dei assumeret humanam naturam, & secundum carnem pateretur, moreretur, & victa morte re-

ſurgeret. Speculum verò miſericordiæ eſt, quia ſic Deus dilexit mũdum, vt filium daret vnigenitum &c. Videtis igitur gloriam, de qua Angeli canunt, etiam in hac vita Deo tribui. Deinde in piis eſt pax, id eſt, tranquillitas cordis, orta à fide, ſpe, & bona conſcientia, de qua Rom. 5 dicitur, Iuſtificati fide, pacem habemus apud Deum. Poſtremò etiamſi Eccleſia verſatur in maximis periculis & miſeriis, & ſentit intus pauores & foris pugnas, vt ait Paulus: tamen ſimul ſentit aliquam lætitiam ſpiritualem, quę vincit peccatum, mortem, Diabolum, tyrannos & alios fanaticos doctores, denique omnia ſpectra Diaboli & mundi. Et hæc quidem breuiter dicta ſint de inchoatione gloriæ, pacis & lætitiæ. Si autem hunc hymnum transtuleris ad imaginem futuræ beatitudinis, longè erit illuſtrior ſententia. Nam in vita æterna tribuetur Deo integra & perfecta gloria ſine caligine, ſine errore, ſine dubitatione, quæ mala nunc in nobis hærent, tanquam reliquiæ veteris fermenti, quod iubet Paulus expurgare. Deinde pax erit integra & perfecta, quia tunc Diaboli & impij erunt in æternis pœnis, nec poterunt turbare pacem & tranquillitatem Eccleſiæ. Ad extremum lætitia tanta erit ſine peccato & morte, & ſine omnibus miſeriis, quantam nec oculus vidit, nec auris audiuit in hac vita. Hoc exemplum de hymno angelico propono vobis ad illuſtrandam regulam inſignem & memorabilem in textu traditã, de diſcrimine inchoationis & conſummationis. Non tantùm loquuntur Prophetæ & Apoſtoli de inchoatione beneficiorum Chriſti, quæ fit in hac breuiſsima & fugaciſsima, addo etiam miſerrima vita, ſed omnium maximè concionantur de conſummatione, quæ ſequetur poſt hanc vitam.

De gloria] Sunt enim à primo Paſchate ad reſurrectionem Chriſti 1542. Ex hac chronologia facilè intelligitis veram eſſe orationem, quæ dicit, promulgationem Legis priorem eſſe tempore, quàm ſit reſurrectio Chriſti, & reſurrectio vniuerſalis mortuorum.

In Eccleſia] Hiob cap. 9: Verebar omnia mea opera, ſciens quòd nõ parcis delinquenti. Et pſal. 89: Viſitabo in virga iniquitates eorum, miſericordiam autem meam non amouebo ab eis.

Vaſtatio] Eſa. 64: Iniquitates noſtræ, ſicut venti nos diſsiparunt.

Perfidiæ

Perfidiæ] Nullum atrocius vulnus eſt, inquit Sophocles, quàm perfidia amici.

Frena] Hæc metaphora ſumta eſt ex pſal. 32, In chamo & freno maxillas eorum conſtringe. Chamus ſignificat dura lupata, Ein brech ʒaum, eſt durius quiddam, quàm frenum.

Ad illum populum] Marc. 13: Quod vobis dico, omnibus dico.

Vt multi] πάθος. Mors impiorum peſſima eſt, quia eſt iter ducens ad æternam miſeriam. Econtrà mors piorum pretioſa eſt in conſpectu Domini, quia eſt iter ducens ad æternam beatitudinem. Eius igitur eſt timere mortem, qui ſcit, ſe hinc vadere ad æternas miſerias.

Nouum Teſtamentum] Sequitur explicatio noui Teſtamenti.

In capite] ſcilicet Chriſto. Quare vocatur Chriſtus caput? Chriſtus eſt caput 1, merito. 2, efficacia. 3, ordine. 4, perfectione. Merito, quia ipſius obedientia meretur nobis remiſsionem peccatorum, & vitam æternam, id eſt, omnia bona cæleſtia & æterna. Efficacia, quia propria potentia dat Spiritum ſanctum, & vitam æternam: ſicut inquit, Effundam de Spiritu meo. Item, Ego do vitam æternam eis. Ordine, quia eſt perſona ab æterno Patre miſſa, ab initio generis humani ad Eccleſiam. Protulit enim Euangelium ex ſinu Patris æterni ſtatim in paradiſo. Perfectione, quia etiam humana natura in Chriſto habet perfectiorem ſapientiam, iuſtitiam & ſanctitatem, quàm omnes ſancti, & Angeli, & homines.

In illis abolitam] Chriſtus reſurgens, multos ſanctos ſuis indutos corporibus, & viuificatos, velut in triumpho ad æternam Dei conſuetudinem traduxit, vt Matth. 27 ſcribitur: Et aperta ſunt monumenta, & multi ſancti prodierunt ex monumentis, & apparuerunt in Hieruſalem. Et Euſeb. lib. 1 Eccleſiaſticæ hiſtoriæ recitat dictum

Apostoli Taddæi: Christus solus descendit, sed non solus ascendit, verùm cum magna multitudine sanctorum.

Deus non tantùm tradidit doctrinam de spe resurrectionis, & vitæ æternæ, sed etiam huius doctrinæ proposuit illustria exẽpla, quorum primum est translatio Enoch Prophetæ, qui fuit septimus ab Adam, Gen. 5. Alterum exemplum est Elias, qui viuus raptus est in cælum, & postea collocutus est cum Christo in monte Thabor, Matth. 17. Sed omnium maximè illustre exemplum est Christus ipse, caput nostrum, qui non solus reuixit ex mortuis, sed simul resuscitauit & viuificauit mortuos quosdam alios, patres & Prophetas, vt ostenderet potentiam suæ resurrectionis, & confirmaret doctrinam de spe futuræ gloriæ. Nam exempla magis nos mouent, quàm regulæ, vt scitis, nec subitò Christus migrauit in cælum, relicta terra, sed mansit in terra, & familiariter collocutus est cum Apostolis totos dies 40, teste Luca, Act. 5. Tandem quadragesimo die post resurrectionem, ascendit in çælum, non solus, vt inquit Thaddæus, sed cum magna multitudine sanctorum. Tale spectaculum tam gloriosum nunquam est vllis temporibus conspectum in Ecclesia, nec conspicietur ante finem mundi.

Non recordabor] Deus sancit ἀμνηστίαν veram omnium præteritarum offensionum.

Pacta fiunt] Pactum est consensus duorũ, vel plurium, verbis expressis ad honestum aliquid dandum vel faciendum.

Spiritus Domini] Hoc dictum citat Christus Luc. 4.

Congruunt hæc] Iuxta regulam: distingue tempora, & concordabis sacra Scriptura.

Cessabit] Post resuscitationem vniuersalem cessabunt hæc tria: generatio hominum, politiæ, & ministerium Euangelicum. De fine generationis humanæ dicitur Matth: 22, In resurrectione neque nubent, neque ducent vxores, sed erunt sicut Angeli Dei in cælo.

De

De fine politiarum inquit Daniel.2: Lapis auulsus à monte sine manibus, comminuit statuam. Et cap.7: Vidi, quòd bestiarum ablata esset potestas. Et 1 Cor. 15 scribitur, Abolebit omnem principatum & potestatem. Postremò de cessatione ministerij Euangelici hæc dicta loquuntur. 1 Cor.13: Prophetiæ abolebuntur. 2 Petri 1, Attendito Prophetico sermoni, tanquam lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec exoriatur lucifer in cordibus vestris. Apoc. 22: Non egent lumine lucernæ, quia Dominus Deus illuminat illos.

Verbum comparatur lucernæ, cuius vsus est in tenebris.

id est, ministerio Euangelico.

Peccatis eorum] Micheæ septimo, Quis Deus sicut tu, remittēs iniquitates, & præteriens transgressiones reliquiarum hæreditatis Dei. Non retinet iram suam in æternum, sed misericordiam amat. Reuertetur igitur, & miserebitur nostri, pessundabit iniquitates nostras, proiiciet in abyssos maris omnia delicta nostra, Dabis veritatem Iacob, & Abrahæ misericordiam, quam iurasti patribus nostris, ab antiquis diebus.

Consolationem] Tota Scriptura tradita est propter doctrinam, & propter consolationem, teste Paulo Rom.15: Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. Doctrina est finis medius, vt Dialectici loquuntur. Consolatio est finis vltimus Scripturarum sacrarū. Adiungit autem Paulus consolationi ex vna parte patientiam: ex altera, spem. Quam ob caussam? quia consolatio non potest esse efficax, sine patientia. Donec enim cor fremit aduersus Deum & homines, non potest consolatio in eo agere radices, sed excutitur consolatio. Spes verò adiungitur consolationi, quia spes vitæ æternæ est præcipua consolatio, quæ lenit omnes vitæ miserias, & calamitates, sicut Paulus inquit, Leue momentum tribulationis affert pondus æternæ gloriæ. Item, Gloriamur in afflictionibus, quia spes non confundit.

Litera] Litera opponitur vitæ & motui diuino.

Fœdere] Quia quod semel assumsit λόγος, nūquam postea deseruit neque deseret, nec à corpore, nec ab anima discessit etiam post mortem.

Bene canit Ecclesia in feriis natalitiis de hoc mirando fœdere: ô admirabile commercium! Verè hoc fœdus est admirabile, & inenarrabile, sed tamen liceat nobis tantum de eo dicere, quantum in sacra Scriptura patefactum est. Non dico in humana vita perfectè hoc mysterium percipi & exhauriri, nec dico vlla humana, aut Angelica eloquentia idem posse satis declarari. Si enim hoc sentirem, aut dicerem, essem extremè stolidus & fatuus, sed tamen debemus de hoc mysterio tantum credere & confiteri, tantum dicere & scribere, quantum est nobis in verbo traditum, sicut Gratianus Imperator dixit, scribens ad Ambrosium: Eloquimur, non quātum debemus, sed quantum possumus. Sic tamen, vt nostra confessio congruat ad normam verbi diuinitus traditi. Hac præmonitione & προθεραπεία considerata, sic dico: λόγος Filius Dei, qui erat in principio apud Patrem, assumsit naturam humanam, siue vt Iohan. ait, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & assumsit, seu copulauit, seu vniuit sibi nostram naturam, sine peccato, vnione hypostatica, id est, personali & inseparabili. Quòd ad particulam attinet, in qua dico hanc vnionem esse inseparabilem, mementote declarationem, quam annotastis, Quod semel assumsit λόγος, nunquam deserit. Sed contra hanc declarationem obiiciat aliquis: An non Christus est mortuus, an non in morte separata est anima à corpore, & corpus quidem collocatum in sepulchro, anima verò descendit ad inferos? quomodo igitur verum est, quod dicis, nunquam humanam naturam Christi esse desertam à λόγῳ? Respondeo. Quanquam verissimum & certissimum est (teste sacra Scriptura in historia passionis) animam Christi in morte separatam esse, & verè separatam, non tantùm imaginatione, à corpore, & quidem Domini: tamen non propterea λόγος discessit à corpore in sepulchro, aut ab anima descendente ad inferos, sed adfuit & corpori, ne putresceret, & corrumperetur, vt ait Scriptura, psal. 16: & animæ, ne relinqueretur in inferno, & tamen fuit idem λόγος cum latrone in paradiso. Hæc inter se non pugnant: non sequitur solutio naturarum, non diuellitur persona Christi, etiamsi in morte anima est separata à corpore, & tantùm corpus fuit sepultū, sola anima descendit ad inferos,

&

& λόγος ipse præsens animæ & corpori, affuit etiam latroni in paradiso, quia λόγος est vbique, sicut verus Deus. Quòd si in morte non est facta diuulsio personæ Christi, sed mansit vnio personalis & ὑποστατική, quomodo, & cur diuideretur & solueretur hæc vnio, etiamsi dicamus, Christi carnem non esse vbique, sed diuinitatem Christi esse vbique, & carnem esse in certo & circumscripto loco, manente nihilominùs hoc fœdere, hac vnione, hac copulatione personali & indissolubili, hats der Todt nicht können scheiden/ so wirdts wol vngescheiden bleiben/ etsi suæ proprietates cuique naturæ constét: Aut mera calumnia est, si quis dicat hac doctrina solui Christum, & fieri ex vno Christo duos, aut est crassa ignorantia.

Curæ esse] Clemens Alexandrinus: Diligitur à Deo homo, quomodo nõ diligatur, propter quem vnigenitus ex sinu Patris dimittitur?

Esa.] cap. 9.

Potentia] .i. instrumentũ, quo Deus est efficax. Ministeriũ est instrumentũ Dei. Ideo Paulus appellat ministros συνεργοὺς Dei: σύνεργα in Dialectica significãt vel instrumentũ, vel caussas præparãtes. De Euangelio dicitur: Euangeliũ est potentia Dei, id est, illud instrumentũ, organum, medium à Deo ordinatum, quo Deus vult esse efficax. Sic Sacramenta, quæ sunt pars altera ministerij, sunt instrumenta, per quæ Deus in Ecclesia vult esse efficax. Ideo Baptismus nominatur lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti: & Cœna Domini vocatur κοινωνία corporis & sanguinis Domini. Hæ propositiones loquuntur de caussis instrumentalibus. Euangelium propriè loquendo non est potentia Dei, quia potentia Dei est ipsa essentia Dei, sed Euangeliũ dicitur potentia Dei instrumentaliter, non propriissimè. Quando vis definire potentiam Dei, non dicis, est Euangelium.: per omnipotentiam conditus est mundus, sed non per Euangelium. Ideo intelligas verba iuxta materiam subiectam. Totum ministerium est instrumentum Dei, est organum: Ergo hæ locutiones sunt instrumentales, Euangelium est potentia Dei, Baptismus est lauacrum regenerationis: panis quem frangimus est κοινωνία corporis Christi. Non oportet confundi caussam instrumentalem

cum efficiente principali, aliud est serra, aliud is, qui trahit serram, & impropriè actio instrumento tribuitur.

Dispersos & vagos] Tristis est species Ecclesiæ, quæ est dissipata multitudo. Sicut Daniel cap. 12 vocat Ecclesiam postremi temporis dispersionem.

Perituræ politiæ] Propter quod vnumquodque tale est, ipsum magis est tale. Deus fuit efficax in constituenda vmbra. Ergo multò magis erit efficax, nunc exhibito ipso Messia.

Angimur animis] Non simus ita securi, quin cogitemus, quàm facilè hæ regiones possint à Turcis, vel aliis hostibus opprimi. Vienna distat hinc 70 milliaribus: sed quàm procul nunc absunt castra, vel arma Turcica à Vienna? Buda, quæ iam est sedes Turcica, olim regia regni Vngarici, distat non multis milliaribus à Vienna. Cogitate, si vellet Deus aliquid permittere, quàm exiguo temporis spatio posset ad nos peruenire tyrannis Turcica? Nō sunt anni multò plures, quàm centum, quando cepit Turca Constantinoplim. Distat autem Constantinopolis à Vienna 200 milliaribus. Intra centum annos occupauit Mahometica rabies Thraciam, in qua est Constantinopolis, Macedoniam, Græciam, Seruiam, Bulgariam, Mysiam, & maximam Vngariæ partem. Quare valde metuendum est, ne respondeat euentus vaticiniis S. viri Iohānis Hiltenij, Monachi Isenacensis, qui vaticinatus est, anno 1600 dominaturum esse Gog & Magog in tota Europa, Wir mögen wol zu sehen, quid agamus. Omittantur murium & ranarum pugnæ, & hæc domestica & inutilia certamina, & simus coniuncti fide, dilectione, & beneuolentia, & mutuis officiis, Wir haben sonst feindt genug / den Türcken / vnd den Babst selber / der auch nicht feyret. Nolite dubitare, quin Papa hodie moliatur in suis deliberationibus executionem Concilij Tridentini: & adiunget haud dubiè sibi potentissimos Europæ Principes, quos non volo nominare, sed cupio intelligi à vobis, quibus si fingimus esse pares nostros Principes in Germania, sumus extremè fatui. Non dicimus propter hæc pericula esse desperandum, sed emendandam esse securitatem, & omittenda non necessaria certamina, quæ non ædificant, sed deformant, & dissipant Ecclesiam, & agendā esse pœnitētiam, qua sola mitigatio horū malorū impetrari potest.

Christus] Matth.vltimo: Ecce vobiſcum ſum vſque ad cõſummationem ſeculi. Qui defendunt Vbiquitatem commentitiam, inter præcipua argumenta allegant hoc dictum Christi. Verè eſt puerilis fallacia ſecundum quid, à concreto ad abſtractum.

Vigilius epiſcopus & martyr Tridentinus lib.1: Vide miracula, vide vtriuſque proprietatis myſterium: Dei Filius ſecundum humanitatem ſuam receſsit à nobis: ſecundum diuinitatem ſuam ait nobis, Ecce ego vobiſcum ſum. Non eſt noua hæc gloſſa, ſed Vigilij. Quod ſi dicis, Quid ad me Vigilius? cur ego tibi non reſpondeã, Quid tu ad me, qui nondum es Vigilius? Si eſt audienda vox miniſterij in Eccleſia, certè & Vigilij Tridentini epiſcopi. Si autem probare potes, hæc cum ſacris literis pugnare, tum ego te audiam.

Si nobiſcum eſt, quomodo ait, Venient dies, quando deſiderabitis vnum diem Filij hominis, & non videbitis: ſed & nobiſcum eſt, & non nobiſcum eſt, quia quos reliquit, & à quibus receſsit humanitate ſua, non reliquit, nec deſeruit diuinitate. Per formam enim ſerui, quam abſtulit à nobis in cælum, abſens eſt nobis: per formam Dei, quæ non recedit à nobis, in terris præſens eſt nobis: tamen & præſens & abſens ipſe vnus idémque eſt nobis.

Non propterea ſoluimus vnionem. Eſt inanis metus timere culpam, vbi nulla eſt. Sit maledictus in æternum, qui ſoluit vnionem perſonalem in Chriſto poſt aſſumtionem naturæ humanæ. Etſi Angelus de cælo vellet eam ſoluere, ſit anathema, vt Paulus ait. Sed vitetur etiam alter ſcopulus, videlicet confuſio duarum naturarum. Nam vnio perſonalis non tollit proprietatem naturarum, ſicut è contrario proprietates naturarum non tollunt vnionem. Vt autem ſciant iuniores, quis fuerit Vigilius, cuius teſtimoniis vtor, dicam de eo pauca. Vigilius fuit epiſcopus in vrbe Tridento, cuius nomen nunc etiam notiſsimum eſt, propter concilium Tridentinum: fuit etiam martyr, quia cùm taxaret idolatriam illius gentis, quæ eſt vicina Italiæ, corona martyrij eſt ornatus. Sed quale eſt genus doctrinæ, quod profitetur? an genuit Vigilius nouum doctrinæ genus ignotum Catholicæ Eccleſiæ Dei? Abſit. Defendit Symbolum concilij Chalcedonenſis, quod repetit ſuperiora Symbola, Apoſtolicum, Nicenum, Cõſtantinopolitanum, & Epheſinum: & inſuper addit neceſſariam

& salutarem declarationem de vitandis duabus contrariis hyperbolis, vel scopulis, quarum vna est diuulsio personæ Christi Nestoriana, altera est confusio naturarum & proprietatum Eutychiana. Quàm autem debes fugere, metuere & reformidare vnum ex his duobus, tam debes fugere & alterum: quia vnum non est melius altero, sed vtrumque est malum, & damnatum à Deo. Sicut igitur vnio personalis & inseparabilis non tollit proprietatem naturarum in Christo: sic vicissim distinctio naturarum & proprietatum non soluit vnionem personalem. Vt autem iuuentus intelligat, quàm euidenter Vigilius hunc articulum fidei illustret: legam vobis, non dictabo ex lib. 4 vnicum locum, cui Vigilius ipse attexit insigne Epiphonema, quo doctrinam & confessionem suam confirmat.

Deinde si Verbi & carnis vna natura est, quomodo cùm Verbũ vbique sit, non vbique inueniatur & caro? Namque quando in terra fuit, non erat vtique in cælo: & nunc quia in cælo est, non est vtique in terra, & in tantùm non est, vt secundum ipsam, Christũ speremus venturum de cælo, quem secundum Verbum nobiscum esse credimus in terra. Igitur secundum vos, aut Verbum cum carne sua loco continetur, aut caro cum Verbo vbique est, quando vna natura contrarium quid & diuersum non recipit in seipsa. Diuersum est autem, & longè dissimile, circumscribi loco, & vbique esse: & quia Verbum vbique est, caro autem eius vbique non est, apparet vnum eundémque Christum, vtriusque esse naturæ, & esse quidem vbique secundum naturam diuinitatis suæ, & loco contineri secundum humanitatis suæ naturam: creatum esse, & initium non habere: morti subiacere, & mori non posse: quod vnum illi est ex natura Verbi, qua Deus est, aliud ex natura carnis, qua idem Deus homo est. Igitur vnus Dei Filius, idémque hominis factus Filius, habet initiũ ex natura carnis suæ: & non habet initium ex natura diuinitatis suæ: creatus est per naturam carnis suę, & non est creatus per naturam diuinitatis suæ: circumscribitur loco per naturam carnis suæ, & loco non capitur per naturam diuinitatis suæ: minor est etiam Angelis per naturam carnis suæ, & æqualis est Patri secundum naturam diuinitatis suæ: mortuus est natura carnis suæ, & non est mortuus natura diuinitatis suæ. Hæc est confessio & fides Catholica, quam Apostoli tradiderunt, martyres roborauerunt, & fideles nunc vsque custodiunt.

Dicam vobis, charissimi auditores, quare citem hæc testimonia ex Vigilio. Iam triennium est, ex quo cœpi docere in hac schola. Animaduerti autem, quosdam non candidè interpretari mea dicta, ac falsò tribuere mihi, quasi separem naturas in Christo. Nullum est autem remedium, secundum Græcorum prouerbium, contra Sycophantæ morsum. Ego, Dei beneficio, amplector Symbolum Apostolicum, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense, quod est repetitio & declaratio priorum: & scio (iam enim loquor coram Iudice Christo, non coram hominibus) me vtrumque fugere extremum, id est, reformidare, detestari, & execrari toto pectore diuulsionem personæ, seu separationem naturarum Nestorianam, & confusionem duarum naturarum Eutychianam. Confiteor vnum & eundem Iesum Christum, Filium & Dominum vnigenitum in duabus naturis inconfusè, incommutabiliter, indiuisè, inseparabiliter cognitum, ac deprædicatum, haud quaquam naturarum differentiam vnione tollente, sed potiùs proprietatem vtriusque naturæ conseruante, quæ in personam & substantiam vnam concurrit. Hæc est mea confessio, fides, sententia, quam si quis non vult accipere dextrè, cum eo frustrà prolixiorem disputationem hoc loco instituo: offero autem me ad vberiorem explicationem meæ sententiæ, vbicunque ad Ecclesiæ ædificationem res & tempus postulauerit. Nec ego dico aliquid ad vllius contumeliā, aut suggillationem, aut vellicationē. Non dico hæc, inquam, odio, aut vlla futili caussa impulsus: sed quia necesse est, me vobis ostendere, quòd non imbuam vos erroribus, quòd non tradam falsa & perniciosa dogmata, sed quòd à me accipiatis veræ & orthodoxæ Catholicæ Ecclesiæ sentētiam, quicunque vultis dextrè à me accipere.

Manere] Manente Ecclesia, necesse est manere studia literarum. Valet consequentia à connexis, quia Ecclesia non potest carere studiis doctrinæ.

In hac vltima] Nunc Ecclesia sentit tria maxima onera, quorum primum est infirmitas ætatis, vt in senario Græco dicitur: Time senectam, quia non venit sola: Alterum est moles pœnarum: tertium est furor postremus Diaboli. Hæc

Totus psalmus 71 est precatio senescentis Ecclesiæ ad Deum, in quo petitur mitigatio pœnarū,

omnia ſentiens Eccleſia precatur in pſal. 71, Domine, ne abiicias me in tempore ſenectutis, cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

& defenſio aduerſus poſtremum Sathanæ furorem. Sicut in corpore ſenili & effœto omnia videmus eſſe languidiora: Ita Eccleſia nunc habet ſuam ſenectã, & eſt infirmior propter ætatem. Non eſt tanta longæuitas hominum, quanta fuit ante diluuium, & aliquantò poſt. Deinde minor eſt ſapientia & virtus in hoc delirio ſeneſcentis mundi, quàm fuit antea. Denique, ne ſingula perſequar, omnia ſunt imbecilliora nunc, quàm olim fuerunt. Ad hanc infirmitatem ætatis accedit moles pœnarum publicarum & priuatarũ propter idola, libidines, & alia ſcelera. Sed hæc omnia auget poſtremus Diaboli furor: qui, vt dicitur Apoc. 12, deſcendit ad homines, habens iram magnam, & ſciens, quòd parum reſtet temporis. Quare ſciamus, hunc hoſtem Dei & Eccleſiæ, imò totius generis humani agere nunc poſtremum actum ſuæ fabulæ, quo abſoluto, ipſe poeta vnà cum ſuis laruis abiicietur in lacum ſulphuris & ignis ardentis dies ac noctes, vt in Apocalypſi dicitur.

Hebdomad.] id eſt, annorum. De hebdomadibus dierum dicitur Leuit. 23, in deſcriptione feſti Pentecoſtes, quod fuit numerandum à Paſchate vſque ad Pentecoſten, ſeptem hebdomadibus dierum. Daniel verò loquitur de hebdomadibus annorum, vbi ſingulæ hebdomadæ efficiunt ſeptem annos, quare 70 hebdomadæ conſtituunt 490 annos.

Aboleatur peccatum] Daniel vtitur inſignibus verbis, quibus deſcribit deletioné peccati: Vt, inquit, conſummetur iniquitas, & obſignentur peccata, & expietur delictum. Sicut enim flamma conſumit ſtipulã: ſic mors Chriſti peccata conſumſit. Deinde, ſicut literæ, quæ continent aliquid ſecreti, obſignari ſolent: ita Chriſtus obſignauit peccata noſtra, mea, tua, ne vnquam incurrant in oculos Dei. Poſtremò ait Daniel expiari delicta, vt ſignificet, Chriſti mortem eſſe *λύτρον* pro noſtro peccato, ſeu compenſationem, ſeu ſatisfactionem, ſeu ſacrificium propitiatorium.

De lacu]

Lacus in quo non eſt aqua, Videtur hæc forma verborũ, ſignifi-

ſignificat mortem æternam, in qua nulla eſt recreatio.

qua vtitur Zacharias, ſumta eſſe ex hiſtoria Ioſeph. Scitis enim, Ioſeph priuſquam venderetur à fratribus coniectum eſſe in lacum, ſeu ciſternam, in qua non fuit aqua, alioquin fuiſſet ſuffocatus optimus adoleſcens. Ita nos ſumus præcipitati à Diabolo in lacum, in æternam mortem, in qua morte, vel lacu non eſt aqua, id eſt, recreatio, conſolatio, & laxamentum. Aqua in ſacra Scriptura ſignificat conſolationem, vt Eſa. 55: Omnes ſitientes venite ad aquam hauriendam. Et Chriſtus Iohan. 7: Qui credet in me, flumina aquæ viuæ fluent de ventre eius. Hæc verba Euangeliſta enarrans, inquit, Hæc dixit Chriſtus de Spiritu ſancto. Eſt autem Spiritus ſanctus conſolator. Sic ex Chriſti pendentis in cruce latere fluxit non tantùm ſanguis, qui eſt λύτρον pro noſtro peccato, ſed etiam aqua, id eſt, viua & viuifica conſolatio.

Spiritus gratiæ] quia perhibet teſtimonium ſpiritui noſtro, quòd ſimus filij Dei, quòd ſimus in gratia, Rom. 8. Deinde idem Spiritus nominatur Spiritus precum, quia, vt Paulus ait, interpellat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus, hoc eſt, impellit nos ad ſeriam & ardentem precationem.

Cultus] Audietis aliquando plura de inuocationis & precationis dignitate, neceſſitate, & efficacia. Dignitas precationis hæc eſt, quòd hic cultus eſt proprius ſolius Eccleſiæ Dei. Nam extra Eccleſiam nemo Deum rectè inuocare poteſt, quia ſine Euangelio non agnoſcitur aut eſſentia, aut voluntas Dei. Eccleſia autem audiens vocẽ Euangelij, & amplectens eam fide, ſcit quem Deum inuocet, & cur ab hoc Deo exaudiatur. Hæc eſt magna dignitas precationis. Debes igitur vel ob hanc cauſſam quotidie exercere inuocationem, vt ſeiungas te, tanquam membrum Eccleſiæ Dei, ab omnibus aliis ſectis generis humani, Mahometica, Iudaica recente, Papiſtica, & ceteris. Neceſſitas adeo eſt manifeſta, vt etiam pueri aliquando intelligant, non poſſe nos carere hoc præſidio. Quid eſt enim homo, ſine inuocatione Dei? eſt miſera maſſa, deſerta à Deo, & propoſita omnibus telis Diaboli. Periclitatur hominis non inuocantis Deum, anima, corpus, fama, facultates, denique omnia quæ habet & poſſidet. Nec verò tantùm conſideretur priuata neceſſitas, ſed multò magis publica. Circumferamus oculos per Europam, vt videamus, quales

sint tumultus regnorum, quamdiu inter sese gesserunt bella vicini reges, Danicus & Suecicus. Quanta bella sunt gesta inter Moschos & Polonos? Postremò tanta est efficacia precationis, vt dicat Macarius in quadam homilia: Etiamsi dæmones fuerint montibus robustiores, tamen ab oratione, velut ab igne liquefieri & consumi possunt.

Et plerunque] Regula interpretationis Scripturæ.

Cribro] Ecclesia in mundo sic vexatur, vt concutitur triticum in cribro. Eadem similitudine vtitur Christus in historia passionis, quando dicit ad discipulos, & Petrum, Sathanas expetiuit vos, vt cōcuteret, agitaret, quassaret vos: sed ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua.

Profectò magnæ res significātur his verbis: Diabolus insidiatur Ecclesiæ, & singulis membris dies & noctes, & conatur nos ita quassare, vt tandem fracti diuturnitate quassationis, ruamus vel in Epicureum Dei contemtum, vel in desperationem. Sed consolatur nos contra hæc pericula Filius Dei, inquiens: Ego oraui pro te, ne deficiat fides tua. Et tu conuersus aliquando, confirma fratres tuos. Et Iohan. 10: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis, quia ego & Pater vnum sumus.

Barbaricis] Gotticis, Vandalicis, & Hunnicis.

Si vna vua] Quomodo, si inueniatur granum in horto, & dicatur, Ne dissipes illud, quoniam benedictio est: sic faciam propter seruos meos, vt non disperdam vos: Affirmat Deus, se Ecclesiam ita seruaturum esse, vt cùm in vinea non vberrimo tempore paucæ tantùm vuæ natæ sunt, sed adeo pulchræ & gratæ colono, vt diligenter eas custodiat, & lætus, Deo pro his muneribus gratias agat.

Fontem retinendum] vt Hiob 13 inquit: Etsi occiderit me Dominus, tamen sperabo in eum, & ipse erit Saluator meus, id est, promissio Euangelij firmissimè retinenda est, etiam amissis omnibus corporalibus bonis, sicut tandem in morte ea amitti necesse est.

Siue

Siue viuimus, siue morimur, siue pax est, siue bellũ, aut quæcunque fortuna nobis contingat, tamen retineamus vocem & consolationem Euangelij. Ita experiemur, verum esse, quod Christus dixit Iohan. 8: Qui seruat sermonem meum, mortem non videbit, nec gustabit, id est, sentiet etiam in media morte consolationem, qua vincet omnia spectra Diaboli, & omnes tentationes, & transibit per mortem in vitam.

Membrum] Hoc pertinet ad articulum de communione sanctorum. Non omnes pij possunt esse in vno loco, nullus locus est tam amplus, vt possit capere totam Ecclesiam, & tamen vera est κοινωνία, vel societas, vel communio, vel consociatio inter homines, tam longè dissitos, quorum alius est in Polonia, alius in Gallia, alius in Italia.

Politiæ] In Turcia non sunt congregationes, vnusquisque in suo angulo precatur, quantum scit & potest.

Dolores] Quid potest dici magis patheticè? Christus mutuatur hoc dictum à Prophetis, Esaia, Osea & aliis (est enim communis sententia omnium Prophetarum) cùm inquit Iohan. 16: Vos dolebitis, & eritis tristes, mundus verò gaudebit, & ridebit suauiter: sed erit tantùm risus Sardonius, qui paulò post mutabitur in luctum. Sicut fœmina sustinet labores in partu, qui postea omnino tolluntur è memoria, quando videt infantem suum recens editum: ita mœstitia vestra vertetur in gaudium. Hac similitudine de fœmina parturiente significatur inenarrabilis dolor, quem assiduè circumfert Ecclesia, propter multiplicia scandala, peccata, pœnas, & quæ sunt eiusdem generis, sed quid promisit parturienti fœminæ Oseas? Audi.

Turci] Vereor, ne tandem etiam Germaniam nostram iste dolor parturientis mulieris opprimat. Scribitur ex comitiis ab hominibus fide dignis, Turcicam classem instructissimam parari ad inuadendam Italiam. Occupata Italia, quod omen Deus auertat, quid deinceps futurum sit, facilè vnusquisque diuinare potest: & hoc est persuasum sanioribus, Turcam non priùs facturum impressionem in Germaniam, nisi Italia occupata. Tunc enim haberet nos inter sacrum & saxum, vt dicitur, inter malleũ & incudem. Deinde Turci-

cus Tyrãnus dicitur denuò misisse in Vngariam & Transyluaniam multa millia equitum & peditum. Ideo nunc dicitur præcipua esse deliberatio in comitiis, de auxiliis ferendis contra Turcam. Non dico hæc, quasi delecter nouitate fabularum, sed quia hæc certè pertinent ad hunc textum & considerationem piorum. Non sunt inania terriculamenta.

Dixi] Epilogus.

Fatalibus pœnis] Recitabo vobis dicta sapientum scriptorum de pœnis fatalibus, quæ non possunt humana industria auerti. Fatum, inquit Pindarus, nec ignis, nec æneus murus arcere potest, id est, nulla potentia, sapientia, aut præsidia humana. Sic Herodotus de Troia inquit: Nòn consentaneum est, sapientisimos & fortisimos viros, Priamum, Hectorem, Antenorem, & alios propter raptam Helenam à Paride totum decennium tollerasse excidium Troiæ. Sed fatale erat, vt Troia periurij, libidinum & aliorum scelerum pœnas persolueret. Idé possumus dicere de Europa, quam haud dubiè etiam vrget fatum. Idem conspicitur inter priuatos: omnia regna sunt inquieta, turbulenta, non est vera beneuolétia Principum inter se, vel certè paucorum. Est magna hominum diffidentia, nemo audet se alteri credere, aut aperire tutò, omnia etiam bene dicta aut facta calumniando peruertuntur. Leuia errata immodicè exaggerantur, infirmitates quæ debebant tegi, odiosè amplificantur, & quid non vitiorum hæret in nobis omnibus & singulis?

Sicut autem in politia Israel] In postrema parte huius tituli, de discrimine veteris & noui Testaméti, docet nos author de accõmodatione promisionũ, quæ habuit populus Israel, & pœnarum, quas propter certa delicta sustinuit, denique de ceremoniarum ad nos accommodatione. Necesse est enim occurri multis quæstionibus, quæ agitantur ab imperitis in lectione veteris Testamenti.

Prima obiectio hęc est: Cùm Deus promiserit populo Israel certã sedem inter Iordanem & mare mediterraneũ: item inter Libanum & desertum: & hæc politia fit iam sepulta, quem fructum nos capere possumus ex lectione veteris Testamenti, vbi sæpe promisio terræ Canaan repetitur: nobis enim certè non promittitur terra Canaan. Respõdeo per distinctionem. Duplex est promisio: alia specialis, alia

alia generalis. Specialis pertinet ad ſolos Iſraelitas, generalis ad totã Eccleſiam. Transferamus igitur hypotheſin ad theſin, & quod illis promiſſum eſt in ſpecie, nos accipiamus in genere.

Secunda obiectio maximè neceſſaria eſt: Legimus in libris Moſi, & in libris Ioſuæ, Iudicum, Regum, ac Paralipomenon, multa exempla horribilium pœnarum, quas ſuſtinuit populus propter idolatriam, libidines & alia delicta. Quæri igitur ſolet, an hęc exempla pœnarum rectè ad nos accommodentur? Reſpondeo. Paulus 1 Cor. 10 inquit, omnia quæ populo Iſrael acciderunt, eſſe typos, id eſt, figuras & imagines, quæ ad nos etiam pertineant. Si enim Deus illis non pepercit, quos excerpſerat ex toto genere humano, quaſi quoddam peculium, quantò minùs nobis parcet, qui ſumus fæx generis humani?

Tertia obiectio eſt de ceremoniis. Ceremoniæ ſunt abrogatæ: Ergo earum nulla eſt vtilitas hoc tempore. Reſpondeo. Sunt quidem ipſæ ceremoniæ abrogatæ, quod nemo negat, ſed ſignificatio earum eſt omnium ætatum & temporum: vt quanquam arca fœderis eſt vnà cum politia ſublata, tamen vtiliter nos admonet typus arcæ & propitiatorij de multis magnis rebus, ſed oportet accommodationem rectè inſtitui.

Certa ſede] Non de ſpecie, ſed de hoſpitio in genere.

Ibi polluti] 1 Cor. 10, hæc ſcripta ſunt propter admonitionem noſtri, in quos ætatum termini inciderunt. Paulus in eo capite repetit ſummam hiſtoriæ de eductione Iſraelitarum ex Aegypto, & de gubernatione ac defenſione eiuſdem diuina in deſerto. Recitat autem ſimul exempla lapſuum huius populi, & horribilum pœnarum, quæ fuerunt comites atrocium delictorum. Nam propter idola & libidines (vt eſt Num. 25) 23000 hominum interfecta ſunt, & 12 tribuum Principes ſuſpenſi ſunt, inter quos vnus fuit Nahaſſon, cuius mẽtio fit in genealogia Chriſti Matth. 1, & qui fuit affinis Moſi & Aaronis. Nam Aaron habuit in matrimonio ſororem Nahaſſon, Principis tribus Iuda. Semper enim permixtæ fuerunt familiæ, ſacerdotalis & regia: quia Chriſtus erat futurus rex & ſacerdos ſimul. Cogitate, quàm hoc ſit triſte exemplum. Nõ ſolùm promiſcua multitudo, ſed etiam Principes, viri ſapientes & authoritate præſtantes, qui viderant ha-

ctenus omnia miracula Mosi, qui transierant per mare rubrũ, mandato Dei suspenduntur. Talia exempla considerantes, cogitemus quod res est, Deum non esse προσωπολήπτην, acceptatorem personarum, sed tam punire Principes atrociter violantes ordinem iustitiæ, quàm alias miseras personas & subditos. Hæc igitur & alia exempla cùm recenset Paulus, addit hoc Epiphonema: Hæc scripta sunt propter admonitionem nostri: quasi dicat, Vbi sunt similia delicta, ibi erunt similes pœnæ, quia Deus agit cum genere humano, iuxta vnam & eandem regulam, scilicet iuxta Legem traditam, repetitam & illustratam in monte Sina, & addit πάθος: In quos termini ætatum inciderunt, vel, vt Iohann. inquit, qui attigerunt nouissimã horam. Quòd si ante annos 1500, aut circiter, ita locuti sunt Apostoli, vt dicerent, tunc esse nouissimum tempus, horam, & terminum ætatum, quantò magis nos ita loqui & sentire decet?

Niduli] Metaphora ex psalmo 84.

Viduam] Nónne tu iter faciens per aliena loca, boni consulis nocturnũ diuersorium, etiamsi non sit optimum & commodissimum? Sic etiã cogites: Ego cras relinquam hoc malum diuersorium, quæram aliud melius, & vt maximè non inueniam, tamen in patria mea mihi meliùs erit. Idem est nobis cogitandum de peregrinatione in hac vita. Verè enim sumus in hac vita viatores, mox ituri in vitam æternã. Quare boni consulamus aliquas molestias, sordes, & quidquid est earum rerum, quæ nos offendere possunt.

Promissionum] Promissio bonorum corporalium aut est generalis, aut specialis. Generalis pertinet ad Ecclesiam omnium temporum, vt psal. 132: Virtuti eius benedicam, & pauperes saturabo panibus. Specialis pertinet ad solam politiam Israel.

Regnum Dei] id est, veram agnitionem & inuocationem Dei, firmam consolationem animorum propositam in Euangelio, & normam vitæ Deo placentis, quæ monstratur in Lege. Regnum Dei tria complectitur: primum est vera agnitio & inuocatio Dei, vt Ioh. 17: Hæc est vita æterna, vt cognoscant, te solum verum Deum esse, & quem misisti Iesum Christum. Deinde est firma cõsolatio animorum in Euangelio

gelio proposita, de qua Iohan. 16: Hæc dico vobis, vt gaudium vestrũ sit perfectum. Tertium, norma vitæ Deo placentis, de qua inquit psalmus: Lucerna pedibus meis verbum tuum.

Adiicientur] Metaphora à contractibus sumta, in quibus aliquid ad mercem principalem, de qua conuenit inter emptorem, & venditorem, adiicitur. Sic Deus postquam condixit mihi & tibi principalia bona, quæ promittit, scilicet Filium suum vnigenitum, & Spiritum sanctum, & vitam æternam, postea adiicit tãquam panniculos laceros, panem quotidianum, honestam coniugem, nidulum, hospitium qualecunq;, & reliqua, quæ huic corpori sunt necessaria in vita mortali. Sed nos peruertimus ordinem, pluris facimus panem quotidianum, quàm regnum Dei & iustitiam eius, & tota vita consumitur in curis pertinentibus ad ventrem, interea non valde angimur, nec solliciti sumus de regno Dei.

Ex ore] Viuimus mirabiliter, Deo nos sustentante, vt Act. 17 scribitur: In ipso sumus, viuimus, & mouemur.

Centuplum] Centum modios, pro vno. Hoc nusquam legitur in vllis historiis, quàm in Bibliis. Turingia fertilis regio pro vno, nouem mediocribus annis affert. Olim Sicilia trigecuplum afferebat, quam Cicero ideo cellam promtuariam & penum Reipublicæ Romanæ nominat.

Seruatum esse] Valet consequentia à connexis. Posito corpore, necesse est ei attribui locum. Tolle spatia locorum, & nusquam erunt corpora: Et quia nusquam erunt, nec erunt, inquit Augustinus. Deus potuisset homines condere sicut Angelos, vt non indigerent cibi & potus adminiculis, sed voluit nos condere hac ratione, vt haberemus occasiones multas exercendæ fidei, inuocationis, & gratiarum actionis.

Tribulatio efficit patientiam] scilicet, vt occasio, iuxta dictũ Senecæ: Calamitas virtutis occasio. Item, tolle imperia dura, quid virtus erit? Vt enim hæretici exercent Ecclesiæ sapientiam: ita tyranni exercent Ecclesiæ patientiam.

Obiecta] scilicet totum corpus Ecclesiæ, & singula membra.

Consolationem] Deus nouit eripere suos ex tentatione aut liberatione integra, aut mitigatione, aut interiori consolatione, vt Noah seruat Deus in diluuio. Aliis mitigantur pœnæ, vt Israelitis in exilio Babylonico: martyres verò, & alij pij homines sustentantur interiori consolatione.

Postremò hoc monendus est lector. In Epilogo huius loci traditur vtilis commonefactio de legibus Mosis, partim ceremonialibus, partim forensibus. Etsi ceremoniæ Leuiticæ sunt abolitæ vnà cum sacerdotio & templo, tamen sunt typi maximarum rerum, vt verbi caussa, Christi & Ecclesiæ: sed in accommodatione adhibenda est dexteritas & circumspectio, ne decipiamur κακοζηλίᾳ, id est, inepta & praua imitatione. Deinde etsi leges Mosi forenses sunt abrogatæ, nec magis nos obligant, quàm leges Lycurgi, aut Solonis: tamen commonefaciunt gubernatores de thesi, seu de genere, videlicet de optima forma Reipublicæ, de pœnis scelerum, & de multis aliis neruis gubernationis. Huic autem commonefactioni exempli caussa intertexitur dulcis allegoria de arca fœderis, & de propitiatorio, cuius allegoriæ author est Paulus Rom. 3.

Ceremoniæ] Exemplum restrictionis. Omnes leges forenses & ceremoniales sunt abolitæ, scilicet quæ non sunt naturales. Nam naturalia sunt æterna & immota.

Naturalia] Leuit. 18.

Cetera] Vt enim ceremoniæ sunt exercitia tabulæ primæ: sic politica officia, tabulæ secundæ.

Tot annos] scilicet 40.

Mirabiliter] vt in deserto, & tempore exilij Babylonici. Semper in cruce maxima gloria Ecclesiæ eminet, quia inter ipsas lucet ærumnas decus. Sic Christus pendens in cruce, & mortuus edidit maiora miracula,

cula, quàm antea, cùm doceret in Iudæa. Non enim vnus & alter mortuus reuixit, pendente in cruce hoc Domino, sed multi mortui prodierunt ex monumentis, velum templi scissum est, rupes & saxa dissiluerunt, nulla vi externa adhibita, Sol contra naturæ ordinem obscuratus est: & quis potest oratione complecti reliqua miracula omnia, quæ exhibita sunt, patiẽte Domino in cruce? Ita maior est corporis Christi, id est, Ecclesiæ gloria in cruce, quàm in tranquillitate. Ideo exclamat Bernhardus disserens de hac ipsa sententia: Pax mea est mihi amarissima, inquit Ecclesia. Caro quidẽ valde expetit tranquillum statum, sed spiritui prodest crux, vt ait psalm. Bonum est mihi, Domine, quòd me humiliasti.

Quod enim] Occupatio. Deus remittit peccata.
Ergo non irascitur peccatis.

Nego consequentiam: quia est fallacia secundum non caussam. Remittit Deus peccata per & propter Filium Mediatorem. Non autem remittit peccata, quasi approbans scelera. Est enim vera & vobis nota vox psal. 5: Non volens iniquitatem, tu es.

Alias] scilicet de iustificatione.

Ceterùm] Commonefactio de ceremoniis Mosi, seu Leuiticis.

Certis vicibus] 1 Paralip. 24, recensentur vices seu sortes 24. Huius ordinationis author fuit Dauid.

Diiudicabat] Deut. 17.

Venerabitur] Cicero. Quidquid excellit, habet venerationem iustam.

Euangelium] Duæ sunt partes ministerij: vna vox doctrinæ, altera administratio Sacramentorũ. Quòd autem prior sit principalis pars, testatur Paulus ad Corinthios: Ego neminem baptizaui. Non enim Christus misit me ad baptizandum &c. Hæc non dicuntur ad extenuationem alterius partis, sed vt sciamus administrationem Sacramentorum seruire priori parti ministerij, & esse ministram illius, & non debere pugnare cum doctrina.

Vsu sacrificiorum] Primùm sacrificia fuerunt picturæ vnici sacrificij, quod obtulit Filius Dei pro genere humano in cruce. Deinde, vt hæ ceremoniæ essent exercitia primæ tabulæ. Tertiò, vt hæ ceremoniæ distinguerent Ecclesiam ab aliis gentibus. Quartò, vt essent θρεπτήρια, id est, alimenta Sacerdotum. Nam Sacerdotibus dabantur certæ partes victimarum, pectus, armi, &c.

Arca] Exodi 25. Rom. 3.

Fecisse pactum] Esa. 59: Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus. Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, neque ab ore seminis tui.

Talis erit] Descriptio vitæ æternæ. Quid erit vita æterna? conformitas cũ Lege Dei. Hier. 31: Dabo Legem meam in corda ipsorum: ibi videbimus Deum sine fine, & sine fastidio amabimus, & sine fatigatione laudabimus.

Tabula aurea] Arca tantùm fuit inaurata. Tabula fuit aurea. Ita Ecclesia tegitur iustitia Christi, & tamen in hac vita est imbecillis, & quasi lignea, obnoxia morti & aliis miseriis.

Nunc sumus partim aurei, partim lignei. Aurei imputatione. Lignei, propter reliquias veteris hominis. In vita æterna erimus aurei, sine ligno, sine peccato & morte, quia tunc corpus (Philip. 3) cõforme erit glorificato corpori Christi, scilicet, secundum quale, non quantum.

Conderetur] Tantùm vna fuit parrochia, sed plures synagogæ. Quo consilio? Est vetus dictum: Beata ciuitas, quæ tantùm audit vnum præconẽ, id est, concordia doctrinæ maximè potest retineri, vbi omnes pendent ex vnius, quem Deus eximiis donis ornauit, ore & authoritate.

Duo Cherubim] id est, alatæ imagunculæ.

Admisisset] 2 Cor. 5: Eum qui non nouit peccatum &c.

Doloris]

Doloris] Congeries verborum, quæ significat res inenarrabiles.

Vectes] Quinta pars allegoriæ.

Interiora] In hac vita maior est gloria gubernatorū politicorum, quia seruiunt huic vitæ corporali. In vita æterna maior erit gloria piorum doctorum, vt Daniel 12 dicitur: Docti fulgebunt, tanquam stellæ.

Paulus] 2 Cor. 4.
Pro Christo] 2 Cor. 5.

Ministros] Cogitate de Mose duce omniū Prophetarum, quantis miraculis est vocatus? 1, Cùm esset infans trium annorum, abiectus est in aquam, & tamen seruatus est diuinitus. 2, Educatus est in aula Pharaonis, vsque ad annum 40 ætatis. 3, Fugiens ex Aegypto, mansit in terra Midian apud socerum vsque ad annum 80, vbi vocatus est à Filio Dei, qui se patefecit ei in rubo ardente, qui tamen à flammis non est consumtus, & addita fuerunt huic vocationi ingentia miracula, quæ ordine recensentur in Exodo. Quare sunt hæc facta, an propter solum Mosen? Nequaquam: sed propter totam Ecclesiam, vt sciamus Deo curæ esse ministerium, & hanc verè esse vocem Dei, quam legimus in scriptis Mosi. Sic miranda reuelatio totius Trinitatis in Baptismo non est tantùm propter Iohannem facta, sed propter totam Ecclesiā, vt tu possis Deum rectè inuocare, & eum discernere à creaturis & idolis. Gehe keiner mit allegoriis vmb / er sey dann ein Meister. Omnis definitio est periculosa, inquiunt Iuriscōsulti, quia est multis cauillationibus obnoxia. Est igitur definitio magnorum artificum opus. Sic possum dicere, allegoria est periculosa, nisi tractetur ab artificibus.

Postremò] Commonefactio de politicis legibus Mosi.

Et quia] Laudent alij Platonis Rempublicam, alij Atticam, nos in Ecclesia miremur & suspiciamus formam Mosaicæ politiæ, quæ non à Solone, aut Lycurgo, sed ab ipso Deo est constituta. Interea tamen

retineamus regulam: Lex lata ad tempus, non obligat post illud tempus.

Blasphemos]	Leuit.24.
Impios]	Deut.13.
Pollutos]	Leuit.24.

FINIS LOCI DE DISCRIMINE VETERIS ET NOVI TESTAMENTI.

STVDIOSIS IN ACADEMIA LIPSICA S. D.

SEMPER in inuocatione nobis obstrepit hoc argumentum: Deus non exaudit peccatores: Frustrà igitur clamas ad Deum, cùm sis multipliciter reus iræ Dei. Ad huius argumenti solutionem necessaria est doctrina, quæ traditur in Loco de discrimine peccati venialis & mortalis. Nam verissima est hæc vox Legis: Peccatores Deus non exaudit, de omnibus securis, qui retinent propositum peccandi contra consciētiam. Alij verò pauidi erudiendi sunt, ne desperatione deterreantur ab inuocatione. Afferamus igitur ad Deum cor contritum, vt inquit psalmus, & fide statuamus, nos propter Mediatorem exaudiri, sicut Rom. 5 dicitur, Fide habemus accessum ad Deum: & pœnitentia, ac fide deponamus malam conscientiam, seu propositum peccandi. Hęc doceri in Ecclesia de securis & pauidis necesse est, vt inuocatio, quæ est summus Dei cultus, & proprium Ecclesiæ opus, rectè fieri possit. Cùm autem in Loco de peccato, & in doctrina de bonis operibus discrimen peccati venialis & mortalis à nobis explicatum sit, breuiter percurremus pagellas in libro Locorum communium, vt ad titulum dulcissimum de Ecclesia peruenire possimus.

Bene valete, & Deum orate, vt studiis nostris pacem & tranquillitatem benignè concedat. Die 24 Aprilis. Anno Christi M. D. LXVI.

Victorinus Strigelius.

De discrimine peccati venialis & mortalis.

EMINISTIS, nos hanc materiam sæpe tractasse: videlicet in Loco de peccato, & in doctrina de bonis operibus. Quare non instituam more vsitato methodicam explicationem huius tituli, sed breuiter percurram pagellas in textu, vt possimus rectissimo cursu contendere ad dulcissimum & eruditissimum Locum de Ecclesia, de quo hoc tempore præcipuum certamen est inter nostras Ecclesias & Pontificios. Nam de duabus rebus acerrimè dimicant nostræ Ecclesiæ cum Pontificiis, videlicet de remissione peccatorum, & de Ecclesia. De remissione peccatorum dictum est in Loco de Iustificatione. De Ecclesia, paulò post, Deo iuuante, dicetur.

Paulus] Rom. 7: Ego aliquando sine Lege viuebam. Lex est in prædicamento relationis, cuius fundamentum est notitia de discrimine faciendorum & non faciendorum. Sine hac nemo hominum vixit, aut deinceps vnquam viuet, quia impossibile est deleri hanc notitiam ex mentibus humanis, vt testatur Paulus Rom. 1 & 2: Habent opus Legis scriptum in cordibus &c. Non igitur dictum Pauli Rom. 7 loquitur de fundamento, id est, de notitia, quæ est naturalis, sed de termino Legis, qui est iudicare & accusare peccatum, & iniicere hominibus pauorem & metum iræ diuinæ. De hoc termino, seu de hoc proprio Legis officio dicit Paulus Rom. 7: Ego aliquando sine Lege, scilicet accusante, iudicante, condemnante, viuebam, vt homo securus.

Secura est] Securitas humana magnitudinem suarum miseriarum, & iræ Dei non agnoscit, vt psal. 90 dicitur: Quis nouit potentiam iræ tuæ, aut quis metuit iram tuam?

Pœna primi lapsus] Tres pœnæ tristissimæ secutæ sunt lapsum primū. 1, Mors corporis & æterna damnatio. 2, Tyrannis Diaboli grassantis sophistica & manifesta crudelitate. 3, Est concupiscentia, ἀταξία

omnium

omnium virium, quæ & peccatum est, & pœna peccati.

Mors] Hippocrates. Extremis morbis remedia extrema sunt adhibenda. Potest igitur ex remedij præstantia morbi magnitudo æstimari, vt Prosper verissimè scripsit in carmine de ingratis:

Hoc igitur pretio, captiui cùm redimuntur,
Agnoscant quali conclusi carcere, quóve
Obsessi morbo fuerint, quibus eripiendis
Succurri haud aliter potuit, quàm morte medentis.

Domine ne in furore] Psal. 6. Quid est arguere in furore? Hæc phrasis significat vniuersalem deletionem, vt Deus arguit in furore Sodomam, arguit in furore Pharaonem, Saulem, Iudam & alios impios, quia non tantùm delet eos ex hac vita, sed etiam postea punit eos æternis suppliciis. Hoc igitur petit Dauid, Ne abiicias me inter vasa iræ tuæ, non sinas me excludi à numero filiorum Dei.

In iudicio] id est, in mitigatione, ἐπιεικέια.

Domine, cùm irasceris] Quàm pathetica est hæc precatio? Semper in ira sis memor nostri. Mantuan.

Sit licet in natos facies austera parentum,
Aequa tamen semper mens est, & amica voluntas.

In non renatis] Disertè dicit de non renatis, quia in his nullum est discrimen peccati mortalis & venialis. Omnia peccata in non renatis sunt mortalia.

Etsi magna fuit virtus Pomponij Attici] Cornelius Nepos in vita Pomponij Attici: Nemo minùs fuit emax, nemo minùs ædificator.

Est Noëma alludens ad regulam œconomicam. Multas personas alere, & multas domos ædificare, non est via ad opulētiam ducens, sed proxima ad perniciem. Cato de re rustica: Emas, non quod opus est, sed quod necesse est. Columella, Patremfamiliâs oportet magis esse vendacem, quàm emacem.

Nero] Seneca, præceptor Neronis

natus fuit annos 114, cùm est interfectus ab ingrato discipulo.

Polluuntur] contagione personæ.

Non rectè reguntur] quia non fiunt in agnitione & fiducia Mediatoris, nec referuntur ad gloriam Dei. Quando vis facere bonum opus, & Deo placens, necesse est hæc tria concurrere. 1, vt opus sit à Deo mandatum. 2, vt opus fiat & præstetur in vera fide, prælucente agnitione & fiducia Christi, quia sine Christo nihil placet Deo. 3, vt referatur opus ad gloriam Dei, & celebrationem nominis diuini. Duo desunt operibus Ethnicorum, videlicet agnitio Christi, & gloria Dei.

Cato] Vticensis.

Omne quod non est] Rom. 14.

Nos ipsos pluris faciamus] Catullus. Nemo est, quem nō possis aliqua in re cernere suffenum, id est, φίλαυτον, sibi placentem, sese admirantem, & magnifieri cupientem.

Ægyptio] Regi Neco, id est, claudo, si etymologiam spectes, 4 Regum 23. Herod. lib. 2: Necus fuit rex Aegypti, qui fretus sua potentia & opulentia ausus est bellum inferre Nabuchodonosori. Cùm autem Aegyptus sit vicina Palæstinæ, vel terræ Canaan, non potuit Necus aliter facere, quin transiret per extremam oram tribus Iudæ. Dimicauit enim Necus cum Babylonico rege ad Euphratem notissimum flumen. Cúmque Necus peteret amanter per legatos transitum à rege Iosia, ac promitteret, sese transiturum esse sine incommodo regni Iudaici: Iosias humana quadam vel superbia, vel πολυπραγμοσύνῃ impulsus, recusauit pacem oblatam à rege, & suscepit bellum non necessarium contra vicinum, in quo etiam est interfectus rex bonus alioquin & sanctus. Nam vt in sanctis manent aliqua peccata, ita Deus non semper parcit sanctis, sed sæpe eos punit, & duriter castigat.

Sunt] Summa totius descriptionis peccati, vt nominatur, venialis, comprehendi potest hac breui definitione. Peccata venialia in renatis retinentibus fidem & bonam conscientiam, non sunt cor-

ruptelæ fundamenti, nec sunt delicta contra conscientiam, sed sunt reliquiæ peccati originis, caligo, dubitationes, carnalis securitas, errantes flammæ vitiosorum affectuum, & omissiones, vel ignorantiæ non affectatæ, quibus sancti Spiritu repugnant.

Nulla est functio] 2 Cor. 3. Non sumus idonei ad cogitādum aliquid ex nobis, tanquam ex nobis ipsis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est. Loquitur ibi Paulus, non de qualibet cogitatione, quæ vtcunque est in nostra potestate (non enim dicimus iam de arcana Dei gubernatione, qua fit, vt cogitationes etiam dissimiliter offerantur mentibus) vt tu potes cogitare de tuo parente, aut de alia re, sed loquitur Paulus de consiliis & cogitationibus, in gubernatione Ecclesiastica. Nemo potest explicare doctrinam Ecclesiæ, & diiudicare certamina de doctrina, & salutariter præesse Ecclesiæ, nisi diuinitus gubernetur.

Series capitum in hoc loco est: 1, De peccato veniali in renatis. 2, De peccato mortali in renatis. 3, De appellationibus mortalis & venialis peccati. 4, Explicatio quæstionis, an peccata electorum possint esse mortalia. 5, Appendix de affectata ignorantia, & omissione.

Repugnat incendiis] Theodoretus, oratione 7 de prouidentia: Qui primam scintillam non opprimit, postea rogum inflammatum & ardentem extinguere nulla ratione potest.

Principiis obsta, serò medicina paratur,
Cùm mala per longas conualuêre moras.

Venialia] condonata, remissa peccata. Rom. 6, Non estis sub Lege, sed sub gratia.

Quod verò] Solutio obiectionis.

Omne peccatum est voluntarium.
Multi affectus non sunt voluntarij, sed subiti:
Ergo vitiosi affectus non sunt peccata.

Respondeo ad maiorem. Maior vera est de politico iudicio: va-

let in foro ciuili, ſed non eſt transferenda hæc ſententia ad iudiciũ Dei, Deus aliter iudicat, quàm prætor populi Romani.

Paulus] Rom.7.

Iohan.] 1 Iohan.1.

Manent in gratia] Sedes huius materiæ eſt Rom. 8, id eſt, ibi tractatur principaliter & præcipuè hæc materia.

Actiones corporis]

Actiones corporis ſeu carnis, ſunt prauæ opiniones, & vitioſi affectus. Paulus 1 Cor. 5, vocat veritatem & ſinceritatẽ, veras de Deo opiniones & affectus cum Lege Dei congruentes. Has opponit fermento veteri.

Finis] Summa mandati eſt dilectio Dei & proximi. Dilectio complectitur opera omnium præceptorum Decalogi, ſicut apud philoſophos iuſtitia vniuerſalis. Cor mundum eſt cor fide purificatũ, Act.15: Fide purificantur corda. Conſcientia bona eſt propoſitum non peccandi. Fides non ſimulata opponitur notitiæ, qualis eſt in Diabolis & hypocritis, ſine vera pœnitentia & conuerſione ad Deum.

Spiritu] non tantùm philoſophica moderatione, ſed veris motibus Spiritus ſancti.

Repugnemus] Nõ deſerimur à Deo, niſi nos priores Deum deſeremus, inquit Proſper.

Fruſtra gratiam Dei] Fruſtrà gratiam accipiũt, qui inchoata dona, aut non retinẽt, aut non exercent. Nam otio aut negligentia langueſcunt, aut extinguntur dona.

Sedit populus] In luxu & otio frigidiùs homines Deum inuocant, & maiore audacia fingunt opiniones de Deo. Euripides: Otioſus exercitus eſt ſimilis incendio, Nam homines nihil agendo, malè agere diſcũt.

Salo-

Salomon] Prouerb.28.

Pauidus] Sollicitus in çauendis malis & lapsibus.

Legem Dei] vt Monachi finxerunt.

Dixi de veniali] Secundum caput de peccato mortali. Descriptio peccati mortalis in renatis, sumatur ex regula Pauli: Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam.

Cùm igitur homines non retinent fidem, sed aliquam fundamenti partem, id est, aliquem articulum fidei, siue scientes, siue errore amittunt, & idola approbant, vt multi, qui falsis dogmatibus decipiuntur, aut non sustentant se consolatione fidei, sed superantur dubitatione aut desperatione, aut violant vllum præceptum Dei contra conscientiam, effundunt Spiritum sanctum, & rursus fiunt rei iræ Dei, & pœnæ æternæ, & nisi fiat conuersio, tales morientes abiiciuntur in æternas pœnas. Complectimur autem in hoc numero & peccata omissionis affectatæ; id est, affectatam negligentiam in officio, & affectatam ignorantiam.

Insigne est dictum Tertulliani, quod sæpe citatur: Necesse erit, nos coram tribunali Iesu Christi reddere rationem, non modò operum, sed etiam fidei nostræ. Hoc dictum Tertulliani prorsus congruit cum aphorismo Paulino, Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam. Olim in scholis & templis sic docebantur homines, Lapsus contra conscientiam sunt peccata mortalia. Hoc verè dicitur, sed non est satis dictum. Est dictum insufficiens, mutilũ & mancum, quia homines non tantùm damnantur propter peccata cõtra conscientiam, sed etiam propter corruptelas fundamenti, propter errores, de doctrina diuinitus tradita, quia Paulus non tantùm requirit in Christiano bonam conscientiam, sed etiam fidem. Ergo à contrario sensu non tantùm sunt peccata mortalia lapsus contra conscientiam, sed etiam errores cum fundamento pugnantes, siue tu ipse sis author impietatis, seu prauæ doctrinæ, siue sequaris impium ducem. Hæc caussa est, cur omnes homines, non tantùm studiosi Theologiæ debeant audire diligenter vocem ministerij in templis, & vocem docentium in scholis, quia non satis est, te rectè regere

vitam & disciplinam, nisi etiam habeas in tua mente veram sententiam de omnibus & singulis articulis fidei. Psal. 125: Declinantes ad prauitates suas ducet Dominus cum operariis iniquitatis. Pax autem super Israel. hoc est, non tantùm pœna digni sunt ipsi authores prauorum dogmatum hæretici, sed etiam stulti auditores, qui à talibus decipiuntur, & eos sequuntur sine iudicio, & sine delectu. Videtis esse magnam varietatem opinionum horum temporum. Ergo videat quisque quid sequatur, aut quid discat, vt reddere rationé possit coram iudice Christo. Animaduertitis iam, vt puto, duas esse species peccati mortalis in renatis, vnam quæ pugnat cum fide: alteram, quæ sauciat conscientiam. Sunt igitur peccata mortalia in renatis, aut error pugnans cum fundamento, id est, cum aliquo articulo fidei, aut lapsus voluntarius, qui fit à sciente & volente contra Legem Dei. Hæc doctrina sumitur ex notissimo aphorismo Paulino 1 Timoth. 1, Milita bonam militiam &c.

In regno Dei] id est, vita æterna. Differunt regnum Christi, & regnum Dei, non quidem re ipsa, sed modo rei. Nam Christi regnum administratur in hac vita verbo. Sed regnum Dei post hanc vitam non indigebit ministerio verbi, sed tunc coràm conspicietur Deus in clara luce. Affirmat igitur Paulus Eph. 5, ruentes contra conscientiam & pollutos idolis, seu erroribus pugnantibus cum fundamento, nec esse vera membra regni Christi in hac vita, nec futuros hæredes regni Dei post hanc vitam.

Vanis sermonibus]

Quales sunt Antinomorum, qui fingunt, peccatis contra conscientiam non amitti gratiam. Antinomi sunt hostes Legis Dei, contendentes non prædicandam esse Legem in Ecclesia, sed Legis doctrinam esse relegandam ad curiam. Ex hac falsa hypothesi sequitur error, qui fingit, homines non excutere gratiam & Spiritum sanctum lapsibus contra conscientiam.

Cùm fecerit iudicium & iustitiam] Facere iudicium, est vitare prohibita. Facere iustitiam, est facere mandata à Deo. Lex diuina non tantùm præcipit facienda, sed etiam prohibet contraria, vt Lex præcipit, honore afficiendos esse parentes, & prohibet omnes iniurias verbales & reales, quibus possunt iniuria affici parentes:

Græci

Græci disputantes de iustitia vniuersali, dicunt eam esse partim ἀναίρεσιν, id est, remotionem τῶν κακῶν, malorum, seu vitiorum, partim θέσιν, id est, positionem τῶν εὐεργετημάτων, beneficiorum. Hæc congruunt ad dictum Esa. 1: Desinite malefacere, & discite benefacere. Videtis, Esaiam in sua concione coniungere iudicium, & iustitiam: & sic sæpe loquitur Dauid in psalmis: Feci iustitiam, scilicet vniuersalem iuxta totum Decalogum.

Qui facit peccatum] Aliud est facere, aliud habere peccatum. Sancti habent peccata, sed non faciunt peccata, donec manent sancti. Facere peccata, est amplecti errores pugnantes cum doctrina diuinitus tradita, & ruere contra conscientiam.

ἀγαθὸν] Significat quiddam bonum ordinatum à Deo, & congruens ad normam bonitatis diuinæ, & directum ad certam vtilitatem. Sic omnes creaturæ Dei sunt bonæ, id est, ordinatæ à Deo, cõgruentes ad normam bonitatis diuinæ, & vtiles generi humano, iuxta dictum, Vidit Deus omnia quæ fecerat &c.

Καλὸν] non tantùm significat quiddam honestum, & Deo placens, sed etiam arduum & difficile, quod non potest sustineri sine multis virtutibus. Ideo Aristoteles definiens τὸ καλὸν, dixit in libro de poëtica: καλὸν ἐστὶ ἐν τῇ τάξει, καὶ ἐν τῷ μεγέθει. καλὸν consistit in ordine & magnitudine, sicut in prouerbio dicitur, δύσκολα τὰ καλὰ, difficilia quæ pulchra. Eodem modo intelligatur dictum 1 Tim. 3, de officio Episcopi. Qui episcopatum desiderat, is bonum opus desiderat, καλὸν ἔργον, id est, arduum opus, difficile, periculosum, ad quod requiruntur multæ & magnæ virtutes.

Hæc est gloriatio] Ex hoc Pauli dicto extruitur definitio gloriæ, quam omnes meminisse debent. Gloria est approbatio nostræ conscientiæ rectè iudicantis, & aliorum rectè iudicantium. Rectè iudicare, significat iudicare iuxta verbum Dei. Nam conscientia est regenda verbo Dei, non nostris stultis imaginationibus. Si igitur labores tui & actiones congruunt cum verbo Domini, rectè iudicas de tuis laboribus & actionibus, & verè sunt illæ tuæ actiones res gloriosæ coram Deo & Ecclesia. Ac semper habenti bo-

nam conscientiam respondebunt aliquorum honestorum recta iudicia, vt Siracides inquit, Laus sanctorum in Ecclesia. Nemo autem speret, nemo somniet, se posse omnibus placere, Ne Iuppiter quidem, vt dicitur, omnibus placet, siue pluens, siue efficiens serenitatem. Ita multò minùs homo miser potest omnibus placere, neque hoc est agendum, vt omnibus placeamus. Væ vobis, inquit Christus, si omnes benedixerint vobis. Quid ergo est agendum, vt consequamur veram gloriam, quæ non est inanis vmbra, aut somnium? Hoc est agendum, vt primùm satisfacias tuæ conscientiæ, & regas eam verbo Domini, quod non sinit te errare. Deinde non dubites, quin in Ecclesia vera apud aliquos laudem habiturus sis.

Nec occupabit] Regula de modo appetendæ gloriæ.

Ex aliorum reprehensione] Pindarus oda 6 Olympiorum: Colentes virtutem fiunt clari, & facta singulos ostendunt. Momus verò ex aliis maleuolis pendens, petit Olympicos victores, quibus veneranda gratia decus aspergit.

Summa petit liuor, perflant altissima venti.

Paulus Philipp. 4, tradens regulam vitæ, inter alia inquit: Si qua virtus, si qua laus. Quare coniungit hæc duo? vt doceat nos, fundamentum & fontem veræ gloriæ esse virtutem. Eodem modo dicit Pindarus, Colentes virtutem, fiunt clari.

Iuramentum] Iuramentum diuinũ est propositio copulatiua. Coniungit pœnitentiam & remissionem peccatorum.

Ad quem respiciam] Esaias hæc sua dicta sumsit ex psal. 51: Miserere mei, Deus. Ibi dicit Dauid, Sacrificium Deo, Spiritus contritus, cor contritum & humiliatum, Deus, nõ despicies: quasi dicat, Duplicia sunt sacrificia, alia actiua, in quibus agimus: alia passiua, in quibus patimur. Sed multò magis placent Deo passiua, quàm actiua sacrificia. Mortificatio carnis nostræ, quæ est sacrificium passiuum, magis placet Deo, quàm omnes victoriæ & triumphi. Ex hoc igitur dicto psal. 51, sumta sunt dicta Esaiæ dulcissima.

Infigendam] Impri mendam cordi, tan-

quam imaginem sigilli, vt Basilius loquitur.

Paulus] Rom.14.

Paulus vocat] Tertium caput de appellationibus peccati mortalis & venialis.

Peccatum dominans] In peccato regnante hæc tria insunt. 1, Reatus, id est, æterna damnatio. 2, Efficacia, quia nullum peccatum est solum, sed error parit errorem, & ex vno lapsu plures sequuntur. 3, Moles pœnarum & scandalorum.

Donatus] Spiritu sancto.

Non retinuit] Frustrà accepit gratiam Dei, quia non retinuit eam.

Æmulationem] inuidiæ.

Flammas] Num.12.

Furorem Saulis] Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.

Sacerdotes] In oppido Nobe, quod est inter Ioppen & Arimathian. Ioppe, quæ Hebraicè Iapha à pulchritudine appellatur, est portus in quem solent inuehi nauigantes Christiani ex Europa, & profecturi ad sepulchrum Domini.

Ionathan virum sanctum] Quanta fuit virtus huius sancti viri? Cessit Dauidi de regno, non qualicunque, sed de regno populi Dei. Regnum populi Dei fuit maius, quàm omnes monarchiæ, non quantitate, sed qualitate. Fuit res gloriosior, esse ducem & regem in populo Dei, quàm imperare Persis & Aegyptiis, & gentibus aliis, quæ erant idolatricæ. Hoc regnum hoc decus cessit, vltrò, sua sponte, sine simulatione, sine coactione, vera animi reuerentia & subiectione. Ostendit igitur, se habere Spiritum dilectionis & modestiæ.

Hostibus] Palæstinis. 1 Reg. vltimo.

Incendia odiorum] Superbia est semen, inuidia

mater, Diabolus pater, qui est superbus & inuidus: filia est iniuria. Ideo Paulus hæc tria coniungit, Rom. 1.

Nec opus est] Sequitur quartum caput, in quo explicatur quæstio, an lapsus hominum electorum posſint esse mortales: vt Dauid fuit electus. Quæritur ergo, an Dauidis adulterium & homicidium fuerit peccatum mortale? Ratio autem huius quæstionis hæc est, Quia fundamentum Dei manet æternum, & Deus nouit, qui sint sui. Sic enim Paulus loquitur ad Timotheum. Quare cùm sancti, qui sunt electi, non posſint omnino excidere gratia Dei, quia propositum electionis est æternum & immutabile, videtur absurdè dici lapsus talium esse mortales. Responſio ad hanc quæstionem, breuis, simplex, & vera est hæc. Quanquam electio Dei est immota, tamen de vita & moribus sanctorum iudicandum est ex verbo Dei reuelato. Si enim congruit actio Dauidis cum Lege Dei, rectè pronuntiatur, eam esse bonam, & Deo placentem. Si autem pugnat cum Lege Dei, iurè & meritò damnatur.

Nos iuxta verbum] Ἀξίωμα Theologicum, quod multis testimoniis Scripturæ confirmari potest, sed breuitatis caussa nunc erimus contenti duobus testimoniis. Esa. 8: Ad Legem, & ad testimonium, quòd si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis lux matutina. Et Rom. 10: Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo, cui si credideris, saluus eris. Noli ergo ascendere in cælum, noli descendere ad inferos tuis speculationibus, sed acquiescas in verbo proposito, quod est tibi prope in ore & corde tuo.

Filij iræ] Eph. 2: Omnes natura eramus filij iræ.

Non igitur] concio pœnitentiæ egregia.

Venit ira Dei] Eph. 5.

Nolo mortem] Cogitantes de hoc iuramento exclamemus cum Hieremia, cap. 3, Conuerte me, Domine, & conuertar.

Singula peccata] Singula peccata sunt digna subita morte & interitu: Si Deus nobiscum vellet agere summo iure, nemo nostrum ad hunc vsque diem

diem vixiſſet. Quòd autem viuimus, quòd ſpiramus, id miſericordiæ Dei acceptum ferendum eſt, vt inquit Ieremias, in Threnis, cap. 3: Miſericordiæ Domini, quòd non conſumti ſumus.

In Luca] cap. 13. Illa allegoria commonefacit nos Chriſtus, ne in contemtu Dei & verbi diuini perſeueremus, ſed audiamus vocem Legis & Euangelij, aliquomodo velimus obedientiam, & ſimul in noſtris magnis miſeriis petamus auxilium, ſicut exclamat Hieremias, Conuerte me, Domine, & conuertar. Sana me, & ſanabor. Quòd ſi tanta bonitate Dei differentis pœnam iuſtam, abutemur ad confirmandam ſecuritatem noſtram, & furores noſtros, idem nobis accidet, quod vſu venit ficui ſterili.

Bonitas Dei te ad pœnitentiam inuitat] Rom. 2. & 2 Petri 3. Domini noſtri patientiam, ſalutem, id eſt, ſalutarem (abſtractum pro concreto) arbitremini: hoc eſt, Deus ideo differt pœnas publicas & priuatas, vt cõuertamur ad ipſum, ne nobis deſit ſpatium ad ſeriam conuerſionem.

Dauid] 2 Reg. 12.

Vocem] Luc. 15.

Cathari] Nouatiani.

Patre tuo] Caput quintum. Ignorantia affectata eſt, cùm vel de Lege, vel de proprio facto neſcitur, quod requiri & poterat, & debebat. Peccat enim voluntas non imperans menti inquiſitionem. Ideo hæc ignorantia non excuſat. Affectata omiſsio eſt voluntaria negligentia in officio, pugnans cum præcepto: Hoc requiritur in miniſtro, vt ſit fidelis, 1 Cor. 4. Complectitur autem fidelitas mediocrem ſcientiam eius rei, quam profiteris: & deinde in adminiſtratione ſedulitatem. Excludit igitur fidelitas vtrũque malum, affectatam ignorantiam, & affectatam negligentiam.

Ethnici colentes idola non ſunt excuſati propter ignorantiam, quia & debebant inquirere veram doctrinam de vero Dei cultu, & poterant. Contrà dicat aliquis, Quomodo potuerunt gentes ante Chriſtum natum

peruenire ad veram Dei notitiam? Respondeo. Multæ fuerunt occasiones discendi veram de Deo doctrinam: prima fuit, quòd Palæstina, quæ præbuit populo Israel ad Iordanem hospitium, ferè sita est in medio terræ habitabilis, vt ostendit inspectio tabularum. Ergo sicut lineæ à circumferentia tendunt ad suum centrum, tanquam medium: ita debebant gentes haurire ex fontibus Israel, non procul remotis, non in angulo aliquo obscuro positis, veram de Deo doctrinam. Secunda fuit, quòd Ptolomæus Philadelphus secũdus rex Aegyptius, post Alexandrum Magnum curauit conuerti Biblia Hebraica, & scripta Prophetica in Græcum sermonem, annis ferè 300 ante natum Christum. Tertia: Quòd crebræ fuerunt nauigationes ex tota Græcia, imò ex tota Europa in Aegyptum vicinam Cananeæ terræ seu Palæstinæ. Plato nauigauit in Aegyptum, vt disceret mysteria sacerdotum Aegyptiorum. Cur non eadem opera nauigauit Hierosolymam, & collocutus est cum Sacerdotibus populi Iudaici, à quibus potuisset meliora discere, quàm à Sacerdotibus Aegyptiis? In hoc exemplo discitis, quid sit affectata ignorantia. Ita hoc tempore multi peccant affectata ignorantia, dum temerè pronuntiant de controuersiis dogmatum, quas nondum didicerunt, quas non intelligunt, de quibus nihil habent iudicij. Nemo debet pronuntiare de re ignota, aut non satis intellecta, & damnare aliũ cum dubitatione, quod profectò est horribile scelus. Non satis est, te dicere, Ille condemnauit hunc eandem ob caussam, ergo & ego illum condemnabo. Tu reddes pro te rationem coram tribunali Christi Iesu, ille vel alius non respondebit pro te. Quare nemo peccet affectata ignorantia, sed vtatur quisque occasionibus discendi diuinitus oblatis. Quòd ad affectatam omissionem attinet, vtamur hoc exemplo: Medicus est fidelis, qui didicit artem medendi à veris artificibus. Deinde is medicus est fidelis, qui non tãtùm est doctus, sed assiduitatem & diligentiam præstat in apparandis remediis, vel aliis officiis, quæ à medico requiruntur. Sin autem vel artem ignorat, vel non rectè didicit, vel negligenter curat suos ægrotos, est infidelis. Requiritur autem in ministro quocunque, vt sit fidelis.

Christus]	Iohan. 9.
In Ecclesia]	In populo Israel, in terra Canaan.
Væ mihi]	1 Cor. 9. Hæc est vniuersalis regula,

regula, non tantùm accommodanda ad ministros Ecclesiæ, sed & ad omnes homines. Si quis ornatus est à Deo hoc, vel illo dono, & eo non vtitur ad ornandam gloriam Dei, & ad ædificationem Ecclesiæ, is sciat hoc fulmen Pauli contra se editum esse, Væ mihi, si non euangelizauero. Est aliquis doctus & præstans medicus, & tamen quacunque de caussa non vult exercere artem, nec vult opem ferre miseris hominibus petentibus ab eo opem & consilium. Talis non est minori pœna dignus, quàm minister Euangelij, non faciens officium suum in docendo. Idem intelligatur de omnibus ordinibus & statibus vitæ. Tu es scholasticus, & missus à parentibus in Academiam, vel à Mæcenatibus qui tibi sumtus ad discendum suppeditant. Si igitur nō feceris officium tuæ vocationis, profectò eris reus iræ Dei & mortis æternæ. Non es excusatus, etiamsi dicas, Ego sum diues: oportet etiam diuites aliquid facere, quod Deo sit gratum, & Ecclesiæ salutare, non debemus esse Margitæ Homerici.

Inutilem seruum] Quis est inutilis seruus ille? cui erat concreditum talentum vnum, & qui non contulerat talentum suum ad vsuram, & quamuis reddidit Domino reposcenti suum talentum: tamen quia solam sortem reddidit sine vsura, iudicatus est iudicio iustissimo dignus æterna damnatione.

In Apostolis] Act. 1: Cùm Christus esset abiturus in cælum, quærunt Apostoli, Nunquid hoc tempore restitues regnum Israelis? Deus bone, nondum didicerant intra triennium & ampliùs, quale esset futurū regnum Christi. Disputant adhuc de politia mundana: hanc infirmitatem tolerauit in suis discipulis Christus.

Hunc gradum constituit Paulus] Paulus non est Stoicus, non dicit omnia peccata esse æqualia, neque requirit ideam in nobis Platonicam, sed contentus est mediocritate.

Ignauiam] Quid sit ignauia, manifestum est. Margites Homericus fuit ignauus, quia nec fuit arator nec fossor. Quid sit πολυπραγμοσύνη ostendit exemplum Alcibiadis, qui multas quidem res gessit, sed non necessarias, nec vtiles sibi aut patriæ.

Sedulitas vtrumque agit] Definitio ſedulitatis ſit omnibus nota, tanquam regula vitæ. Eſt enim virtus, quæ conſtanter & firmiter vult propter Deum & communem ſalutem labores facere vocationi congruentes. Extrema ſedulitatis ſunt: otioſa ignauia, & πολυπραγμοσύνη. Promittit autem vox diuina fideliter ſeruiẽtibus vocationi auxilium, & ſalutarem exitum. Quare non exiſtimes, te aut non iuuari à Deo, aut labores fore irritos, ſi intra vocationis metas permanſeris, ſed ſcias & fide auxilium à Deo expectandum eſſe, & ſperandos euentus ſalutares, etſi non ſtatim cernas eos oculis.

FINIS LOCI DE DISCRIMINE PECCATI VENIALIS ET MORTALIS.

LOCVS

LOCVS DE ECCLESIA.

Studiosis in Academia Lipsica S. D.

ICVT Dauid in psal. 27 inquit, Vnam rem petij à Domino, & hanc requiram, vt habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: ita singuli pij ad veram Ecclesiam Dei sese aggregent, vt in ea velut in arca abditi, in his horrendis confusionibus generis humani seruentur. Sed multis hæc dubitatio obstrepit: cùm tot diuersa agmina sibi titulum Ecclesiæ tribuant, ad quam congregationem iubemur accedere? Tot seculorum consensus nominauit pontificiã turbam, Ecclesiam: Nunc alij alios cœtus monstrant, illa velut lacerata nauis relinquitur, alij in alias scaphas desiliunt, vos quam nobis firmam nauim ostenditis? Non difficilis responsio est, si normam iudicij sequaris, quam Deus proposuit. Sunt signa veræ Ecclesię, non fallentia, scilicet scripta Prophetica, & Apostolica, & symbola. Hęc qui sine corruptelis amplectũtur, hi sunt vera Dei Ecclesia. Cùm igitur inter nostros cœtus & turbam Pontificiã præcipuũ controuersiæ certamen sit de Ecclesia, quæ, vbi, & qualis sit hodie, Deo iuuãte, ordiar titulũ: de quo in Symbolo dicitur, Credo Ecclesiã Catholicã, vt nos ei adiungamus, & constanter in ea maneamus. Nihil enim sic debet formidare Christianus, quàm separari à corpore Christi. Si enim separatus est à corpore Christi, non est membrum eius. Si non est membrum eius, non regitur Spiritu eius. Quisquis autem Spiritum Christi non ha-

bet, hic non est eius, vt pręclarè dixit Augustinus, tractatu in Iohannem 27: Nos verò læti, Deo gratias agamus, quòd & seruat in genere humano suas reliquias, & nos ad sui agminis societatem vocauit. Bene valete, & Deum orate, vt Ecclesiæ senescenti, tanquam corpori multipliciter ægro parcat, & iustitiam misericordia temperet. Lipsiæ 24 Maii. Anno Christi,

M. D. L X V I.

Victorinus Strigelius.

I N

IN LOCVM DE ECCLESIA PRAEFATIO OBITER EXCEPTA.



V AE curæ omnium hominum præcipuæ esse debent, prior de agnitione & inuocatione Dei, iuxta dictum: Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli seruies. Altera de consociatione cum vera Ecclesia Dei. De priori cura sæpe aliâs dictũ est, præsertim in explicatione sententiæ Christi, qua describitur vita æterna, Ioh. 17: Hæc est vita æterna, vt agnoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. De altera cura nunc est breuiter dicendum, ad præparandos animos auditorum, vt maiori attẽtione audiant explicationem Loci de Ecclesia. Certissimum est, extra Ecclesiam nullam esse salutem. Quemadmodum enim tempore diluuij extra Arcam Noæ, nulli homines manserunt incolumes: ita extra Ecclesiam nulla est veritas de Deo & de rebus diuinis, nulla salus, denique summa miseria hominis est, separatum esse ab eo corpore, quod vocatur Ecclesia. Est enim huius corporis caput Christus. Qui ergo non coniunctus est cum Ecclesia, is non cohæret capiti Christo, siue vt Paulus loquitur 1 Cor. 6, non est agglutinatus Deo. Iam verò constat, eos qui non sunt membra Christi, non viuificari Spiritu Christi. Qui autem Spiritum Christi non habet, teste Paulo Rom. 8, hic non est eius: & per consequens est damnatus & abiectus inter Diabolos. Ex hac breui commemoratione facilè intelligitis, quàm necessaria cura sit, quærere sapienter, quæ sit vera Ecclesia Dei, & vbi sit, & qualis sit, vt nos ad eam adiungamus, & efficiamur cum ea vnum corpus, cuius, vt dixi, caput vnicum est Christus. Vt autem Deus non potest rectè agnosci & inuocari sine ea doctrina, quæ est diuinitus tradita in Ecclesia: ita ad diiudicationem controuersiæ de Ecclesia, cuius titulum multæ sectæ sibi falsò arrogant, necessaria est explicatio articuli in symbolo Apostolico, Credo Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem, in qua est remissio peccatorum, & certa spes resurrectionis ad vitam æternam.

Distribuam ergo docendi caussa totum locum de Ecclesia, in capita octo. In 1 dicetur de stabilitate seu perpetuitate Ecclesiæ, & de

necessaria adiunctione ad veram Ecclesiam. In secundo recitabitur definitio, quæ docet, quæ sit, & vbi sit Ecclesia. In tertio dicemus, qualis sit Ecclesia, & quæ ad eius vnitatē requirantur. 4, Exponemus discrimē politiarum & Ecclesiæ. 5, Audietis, quid sit existimandum de authoritate Ecclesiæ, Synodorum, Conciliorum & scriptorum Ecclesiasticorum, seu Patrum, vt vocantur. 6, Refutabimus architectantes seu fabricātes Ecclesiam, sine Euangelio. 7. Refutabimus opinionem falsam Donatistarum de Ecclesia. Ad extremum dicemus aliquid de regno Antichristi, id est, de Papatu, quod regnum falsò putatur Ecclesia. Distinctè autem dico, de regno, ne quis dicat, nos condemnare omnes homines, qui sunt oppressi cōtra voluntatem, tyrannide Pontificia. Loquor de ipsis Episcopis Papisticis, & eorum satellitibus, non de afflictis reliquiis Ecclesiæ, quæ sunt sparsæ in diuersa imperia.

De stabilitate Ecclesiæ, & de adiunctione ad veram Ecclesiam.

CAP. I.

RIMA quæstio methodica est, an sit res, vt cùm quæro, an sit cometa, an sit cælum. Ita hoc loco prima quæstio est, an sit Ecclesia, an semper fuerit inde vsq; ab initio, & an deinceps semper sit mansura vsque ad finem mundi. De hac quæstione respondet Symbolum Apostolicum: Credo Ecclesiam, id est, firmiter statuo, semper fuisse post conditum genus humanum, & nunc etiam esse in tanta perturbatione religionis: denique semper mansuram esse aliquam Ecclesiam, aliquem cœtum in genere humano Deo placentem, qui sanctificatur verbo & Spiritu sancto. Postquam autem constat semper esse Ecclesiam, nostrum est, expetere consociationem, copulationem, & arctissimū fœdus cum Ecclesia, sicut dicitur in psal. 119: Socius sum omnium timentium te, & diligentium nomen tuum, Domine: id est, Ego volo esse, & manere constans amicus, & fidelis socius veræ Ecclesiæ, nunquam ab ea deficere volo, nunquam ero hostis & inimicus Ecclesiæ.

In

In tantis confusionibus opinionum, cultuum & morum semper quæsiuerunt, & quærunt multi: An sit aliqua Ecclesia Dei distincta à ceteris gentibus, & quæ, & vbi sit, præsertim cùm in eo ipso cœtu, qui nomen Ecclesiæ sibi tribuit, horrenda sint exempla licentiæ in moribus, & in fingendis monstrosis deliramẽtis. Quis enim ignorat, statim post Apostolos portentosas opiniones vagatas esse? Nam præter Ethnicos & Iudæos fuerunt Ebionitæ, negãtes diuinitatem Christi. Marcionis colluuies, obscœna factio Carpocratis, & alij multi. sicut nunc est Anabaptistica colluuies. Postea magis distractum est genus humanum in Samosateni, Manichæorum, Arrij, Pelagianorum sectas.

Legite Epiphanij libros de hæresibus, & Irenæum in libris quinque aduersus hæreticos.

Hoc tempore, quàm terribilis est gigantomachia? Hæc scandala ita turbãt mentes, vt vix ex dubitationibus posśint eluctari, An & quæ sit Ecclesia Dei. Sed contra has dubitationes articulus in Symbolo propositus est, Credo Ecclesiam sanctam Catholicam. Hac professione affirmamus, non abiectum esse totum genus humanum à Deo, sed inde vsque ab initio fuisse, esse & mansurã esse aliquam veram Dei Ecclesiam. Propter hanc commonefactionem & consolationem articulus in Symbolo recitatur, cùm quidem hęc ipsa doctrina de conseruatione & adiunctione singulorum ad veram Ecclesiam sæpisśimè repetita sit in concionibus diuinis. Nam de duratione Ecclesiæ in hac vita mortali, vsque ad resurrectionem, hæc perspicua testimonia expresśè loquuntur.

Matthæi vltimo: Ecce ego vobiscum sum, vsque ad consummationem seculi.

Matth. 24: Sic erit aduentus Filij hominis, vnus assumetur, & alter relinquetur.

Et in ipsis Cœnæ Dominicæ verbis, 1 Cor. 11 promisśio est comprehensa, Hoc facite, donec veniat. Quid dulcius dici potest, quàm promitti duraturum esse ministerium Euangelij, donec Filius Dei resuscitatis mortuis, ostendet se in iudicio, vniuerso

Similia dicta pasśim alibi recitãtur, vt Matth. 16 inquit Christus: Portæ inferorum non præualebunt aduersus Ecclesiam, id est, tota mundi & Diaboli potẽtia nõ euertet ædificium Christi,

generi humano? Et Esa.59: Hoc est fœdus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, & ab ore seminis tui deinceps in æternum.

cuius ipse est fundamentum, id est, lapis angularis. Item Iohann. 10, Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & nemo rapiet eas ex manibus meis. Sic in psal.129 scribitur, Sæpe oppugnarunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israel, sed non præualuerunt mihi: quasi dicat, nunquam desunt Ecclesiæ hostes, sed nec fraude impia hostium, nec vi manifesta funditus deleri poterit vera Ecclesia. Ex his & similibus dictis, non tantùm sumamus doctrinam de stabilitate Ecclesiæ, sed etiam consolationem, qua nos ipsos confirmare posſimus, & sustentare in tantis ruinis imperiorum, & tantis mutationibus, quæ partim acciderunt, partim adhuc impendent.

De adiunctione verò singulorum ad veram Ecclesiam, nota sint hæc testimonia.

Psal.26: Odi cœtum malignantium, Domine, dilexi decorem domus tuæ.

Psal.27: Vnam petij, hanc requiram, vt habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: id est, vt sim membrum & ciuis veræ Ecclesiæ, & à numero filiorum Dei nunquam excludar.

Psal.35: Confitebor tibi in Ecclesia magna.

Psal.84: Beati qui habitant in domo tua, Domine.

Psal.92: Plantati in domo Domini florebunt.

Psal.122: Rogate, quæ ad pacem sunt Hierusalem, pax multa diligentibus eam.

Necesse est igitur, vnumquemque sese adiungere ad veram Ecclesiam, confesſione doctrinæ, & inuocatione Filij Dei, & statuere, sese membrum esse veræ Ecclesiæ, vbicunque est.

Definitio

Definitio Ecclesiæ.

CAP. II.

VM autem sciamus & duraturam esse Ecclesiam, & nos oportere eius membra esse, necesse est simul considerari, quæ, & vbi sit vera Ecclesia, & qualis sit, & quæ res ad eius vnitatem requirantur. Quid, & vbi sit Ecclesia, ex definitione intelligi potest.

Ecclesia visibilis in hac vita est cœtus amplectentium Euangelium Christi incorruptum, & rectè vtentium Sacramentis, in quo Deus per ministerium Euangelij est efficax, & multos regenerat ad vitam æternam, in quo tamen cœtu sunt multi nõ sancti, sed de vera doctrina dissentientes.

Hæc est breuis, vera, & erudita descriptio Ecclesiæ, non à me cõposita, sed tradita ab aliis artificibus, quos omnes meritò approbamus. In hac descriptione dicimus Ecclesiam esse cœtum visibilem. Contra hanc particulam docendi caussa sic argumentor:

Fides est notitia rerum inuisibilium. Heb. 11.

Ecclesiam esse, est articulus fidei.

Ergo Ecclesia non est cœtus visibilis in hac vita, & per consequens est idæa Platonica, quæ nusquam cernitur, nusquam monstrari potest.

Respondeo ad Maiorem. Aliud est loqui de propositionibus integris, aliud de subiectis propositionum. Propositiones de Ecclesia sunt articuli fidei, vt cùm dico, Ecclesiam semper esse mansuram. Item, Ecclesia est cœtus, cui Deus donat remissionem peccatorum, iustitiam & vitam æternam. Has propositiones necesse est accipi fide, quia non incurrũt in oculos, aut sensus reliquos, sed subiectum cerni potest, & monstrari, videlicet homines, qui sunt membra Ecclesiæ, iuxta dictum Christi, Matth. 18, Si te nõ audiuerit frater tuus, dic Ecclesiæ. Certè nemo potest caussam referre ad inuisibilem iudicem, qui nusquam conspicitur. Declarabo rem alio exemplo illustriori. Tu cernis Solem, qui est oculus mundi, vt ait Plato: sed hanc propositionem, Sol est creatura Dei, Sol non semper fuit, nec erit

ſemper:item, Sol in conflagratione mundi peribit, oportet te fide accipere. Ita videtis aliud eſſe loqui de totis propoſitionibus, aliud de ſubiectis. Deinde conſiderandum & hoc eſt, duplicia eſſe membra Eccleſiæ viſibilis, alia viua, alia mortua. Viua ſunt, quæ viuificantur Spiritu ſancto, ſeu quæ habent Spiritum Chriſti, iuxta dictum Rom. 8, Qui Spiritu Dei ducuntur, hi ſunt filij Dei. Spiritus autem viuificat: ſi quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius. Mortua, ſunt omnes hypocritæ & Epicurei, qui etſi doctrinam non oppugnant, & vtuntur Sacramentis, tamen ideo dicuntur mortua membra, quia non habent Spiritum viuificantem, non ſentiunt in corde timorem Dei, conſolationem, fidem, & reliquos effectus fidei. Dicitur ergo Eccleſia ſancta per Synecdochen, quia vſurpatur nomen totius pro parte principali. Nam à principali fit denominatio.

Huius definitionis fontes ſunt plurima dicta cæleſtia, vt Paulus inquit Galat. 1: Si quis vobis aliud euangelizauerit, præter id quod accepiſtis, anathema ſit.

Ioh. 10: Oues meæ vocem meam audiunt.

Ioh. 14: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud ipſum faciemus.

Sermonem Chriſti ſeruare, eſt Euangelium amplecti fide & bona conſcientia, ídque profiteri ac propagare, ſcilicet pro modo vocationis. Pater diliget eũ, id eſt, erit in gratia Dei.

Ioh. 17: Sanctifica eos in veritate, ſermo tuus eſt veritas.

Philoſophia eſt veritas ſecundum ſubiectam materiam, id eſt, in iis rebus, de quibus philoſophatur, vt Rom. 1: Veritatem (id eſt, veras notitias Legis & alias) captiuam tenent in iniuſtitia, tanquam in carcere. Euangelium eſt vnica veritas, etiam ſecundum materiam ſubiectam, id eſt, de eſſentia & voluntate Dei.

Eph. 2: Eſtis domeſtici Dei, extructi ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum, exiſtente angulari lapide Ieſu Chriſto, in quo omnis ædificatio coagmentata creſcit in templum ſanctum Domino, per

Chriſtus vocatur fundamentum Eccleſiæ merito & efficacia: ſed Apoſtoli & Prophetæ vocantur fundamẽtum Eccleſiæ propter miniſterium & teſtimonia de Chriſto. Eſt igitur Chriſtus fundamentum, vt architectus & quem

quem ædificati estis]

1 Cor. 3: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, qui est Christus Iesus.

caput Ecclesiæ. Prophetæ & Apostoli vt fabri, vt ministri, vt testes veræ doctrinæ de Christo. Sic Christus in psal. 118: Lapis angularis appellatur, quia coniungit duos parietes, Iudæos & gentes. Idem vocatur ab Esaia 28 lapis scandali per accidens, id est, multi sapientes, iusti & sancti offenduntur humili specie Christi, & doctrinæ Euangelij absurditate, denique mole calamitatum, qua opprimuntur & exercentur pij.

Hac definitione confirmati, sciamus hostes esse Ecclesiæ Dei, vniuersam illam generis humani multitudinem, quæ aut Prophetica & Apostolica scripta palàm abiicit, videlicet Ethnicos, Mahometistas, fæces Iudaicas, aut etsi iactitat, se retinere scripta Prophetica & Apostolica: tamẽ manifesta idola defendit, videlicet sacrificulos & monachos, & horum satellites, qui idola Papæ tuentur, inuocationem hominum mortuorum, adorationem panis, venales missas, dubitationem in inuocatione, fiduciam propriorum meritorum, vagas libidines. Hęc Ethnica exempla cùm incurrant in oculos, manifestè ostendunt eorum defensores non esse Ecclesiam Dei.

D. Philippus rectè dicit, nullam doctrinam de Deo posteriorem Apostolis, quibus Filius Dei resuscitatione mortuorum testimonium dedit, dissentientem ab Euangelio, veram esse.

Manifestum est autem, Mahometi doctrinam plus 500 annis posteriorem esse Apostolica, & ab Apostolica dissentire.

Non est ergo vera.

Huic argumento & hoc addatur.

Impossibile est esse Ecclesiam Dei, cœtum ex professo reiicientem scripta Prophetica & Apostolica.

Mahometistæ ex professo reiiciunt scripta Prophetica & Apostolica.

Ergo non sunt Ecclesia Dei.

Papa cum satellitio, cuius appellatione non tantùm complector miseros Monachos & sacrificulos, turbam vilem & abiectam, sed etiam magnos reges & Principes, Papæ coniuratos, qui pertinaciter

tuentur idola Papæ, hi, inquam, non sunt membra Ecclesiæ, nec viua, nec mortua, sed hostes Ecclesiæ. Non sunt viua, quia non habent Spiritũ Christi, sed mendacij & homicidij, & reguntur, non à Spiritu Dei, sed à Spiritu immundo, qui est Princeps mundi. Sicut Christus Iohan. 8 inquit, Vos ex patre Diabolo estis. Quisquis enim sitit sanguinem fraternum, non est ex Deo. Deinde Papa cum suis non est membrum mortuum, quia non consentit de doctrina cum vera Ecclesia, sed hostiliter oppugnat & persequitur. Quare nec viuum nec mortuum membrum est Ecclesiæ, sed hostis Filij Dei & Ecclesiæ, colit Deum Maozim, vt ait Daniel, auro & argento, & extollit se supra omne id quod appellatur Deus, id est, super Scripturam & cultum Dei. De recentibus Iudæis & Mahometistis res est manifesta. Mahometistæ enim in vniuersum abiiciunt Prophetica & Apostolica scripta, & preferunt eis suum Alcoranum horrendum illud monstrum, conflatum ex diuersis blasphemiis, Iudaica & Ethnica doctrina. Iudæi autem etsi non reiiciunt scripta Mosi & Prophetarum, tamen prorsus abiiciunt scripta Apostolica, & ipsum Mosen & Prophetas non aliter lacerant, quàm catelli panniculos.

Habet etiam Ecclesia vera, quædam signa minimè fallentia, quibus agnosci potest, vocem Euangelij incorruptam, legitimũ vsum Sacramentorum, & obedientiam debitam ministerio. Hæc signa auribus & oculis iudicari possunt, quæ quidem & necesse est considerari, vt sciamus cui cœtui nos adiungere debeamus.

Diximus antea, quid sit Ecclesia. Nunc postremo loco respondemus breuiter de quæstione vbi sit Ecclesia. Si enim est visibilis in hac vita, haud dubiè habet certa signa & certas notas, per quas potest agnosci & discerni ab aliis sectis damnatis. Sunt autem tria signa, veram Ecclesiam monstrantia, & discernentia ab impia multitudine. 1, Est pura & incorrupta vox Euangelij. Sed dicat aliquis, an non sunt aliqui errores in Ecclesia? an tu fingis Ecclesiam Donatisticam, in qua nihil sit vitiorum? Respondeo. Semper in Ecclesia sunt & manent aliqui errores, sed non euertentes fundamentum, id est, articulos fidei, nec defendentes manifesta idola, & vera Ecclesiæ membra admonita de aliquo errore sunt docilia, non pertinaciter propugnant falsa dogmata, aut manifesta idola. Ita enim omnes, & singulos articulos fidei necesse est teneri, vt nullus omnino ignoretur, aut ne contrarium

trarium asseueretur. Quare Papa non est Ecclesia, quia, vt alia omittam, delet expressè articulum in Symbolo Apostolico, Credo remissionem peccatorum. Imò, inquit, non credas, sed dubites, & maneas perpetuò in hac dubitatione, an Deus sit tibi propitius & placatus, an habeas reconciliationem cum Deo. Hanc dubitationem ornant titulo humilitatis & modestiæ, & singularis cuiusdam reuerentiæ erga Deum. Hoc exemplum docet, cauendum esse nobis, & diligenter prouidendum, ne vllum articulum fidei, aut deleamus, aut corrumpamus nostris carnalibus imaginationibus. Alterum signum monstrans Ecclesiam, est legitimus vsus Sacramentorum, qui conuenit institutioni Christi. 3, est obedientia debita ministerio, iuxta Euangelium: Si quis autem aliud docet, aut præcipit, anathema sit. Cùm igitur non tantùm doctores, sed etiam discipuli & auditores in templis & scholis sint, aut certè debeant, & velint esse membra Ecclesiæ, non tantùm ad doctores reiiciatur cura de doctrina, sed singuli pio studio quæramus doctrinæ veritatem, & ita eam quæramus, vt non tantùm verba articulorum fidei, puerorum more recitemus, sed & natiuam singulorum sententiam teneamus.

Qualis sit Ecclesia, & quæ ad vnitatem eius requirantur.

CAP. III.

DIXIMVS quid sit, & vbi sit Ecclesia: nunc dicendum est, qualis sit Ecclesia, & quæ ad eius vnitatem requirantur. Est enim Ecclesia dissimilis politiis & imperiis. Nam imperia tum dicuntur florere, quando latè dominantur, & habent neruos rerum gerendarum: verbi caussa, exercitus, arma, opes, commeatus, & quæ sunt eiusdem generis. Ecclesia verò tunc maximè floret, quando cruce premitur & exercetur. Est enim Ecclesia similis ilici, quæ duris tonsa bipennibus ab ipso ducit opes, animúmque ferro. Et psalmus comparat Ecclesiam palmæ, Iustus vt palma florebit. Sicut igitur palma non cedit oneri imposito, sed quò magis premitur, eò magis in altum assurgit:

ita in persecutione crescit Ecclesia, cuius sententiæ exemplum habetis Exod.1, vbi scribitur populum Israel accepisse maxima incrementa, illo ipso tempore, quo duriùs premebatur à regibus Aegyptiis. Videtis igitur aliam esse formam Ecclesiæ, aliam Imperiorũ. Deinde & hoc sciendum est, quæ res sint necessariæ ad vnitatem Ecclesiæ. Vnitas Ecclesiæ, siue concordia pia non consistit in similitudine humanarum traditionum, & ceremoniarum, sed consistit in puritate doctrinæ, in vsu Sacramentorum conueniente institutioni diuinæ: denique in obedientia debita ministerio iuxta Euangelium.

In consideratione qualis sit Ecclesia, necesse est vtrumque scire, & in hac vita admixtos esse sanctis multos non sanctos, & Ecclesiam esse subiectam cruci, & sparsam esse in diuersa mundi imperia, nec Euangelio constitui vnum aliquod regnũ, quod corporalibus præsidiis sanctos defendat.

In quæstione, qualis sit Ecclesia, hæc tria sunt consideranda. 1, Quòd Ecclesiæ, quæ vocatur sancta seu sanctorum communio, sit admixta magna turba nõ sanctorum, seu mortuorũ membrorum. In Ecclesia visibili in hac vita, sunt duplicia membra: alia viua, alia mortua, sicut in corpore humano sunt quædam partes sanæ, aliæ ægræ. Hanc hypothesin necesse est nos tenere, ne fiamus Donatistæ, aut Anabaptistæ, qui fingunt Ecclesiam sine hypocritis & Epicureis, & prorsus ἀναμάρτητον, id est, sine peccato. Talẽ nusquam reperiemus Ecclesiam in hac vita. Estq́ue vanissimum somnium cogitare, Ecclesiam in hac vita sic esse sanctã & mundam, vt sit prorsus segregata ab omni contagione hypocritarum. Secunda hypothesis de qualitate Ecclesiæ hæc est, quòd Ecclesia sit subiecta cruci. Quia enim Christus pendet in cruce inter duos latrones, qui est caput Ecclesiæ, necesse est Ecclesiam etiam stare sub cruce, sicut de Maria & Iohanne scribitur. Esset enim indignum & absurdum, nos expetere meliorem fortunam, quàm qualẽ habuit Christus caput nostrum. Tertia hypothesis est, quòd Ecclesia non sit alligata vni regno & imperio, vni prouinciæ aut vrbi, sicuti nunc Flaciani alligant Ecclesiam suis angulis, & dicunt nusquam extra illos angulos esse veram Ecclesiam, sed nos sciamus Ecclesiam esse

sparsam

ſparſam in diuerſa imperia, non tantùm in Germania, ſed etiam alibi extra Germaniam.

Huc pertinent dicta Matth. 13, Simile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare, quæ comprehendit bonos & malos piſces.

2 Cor. 10: Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia. .i. non ſunt humana præſidia.

Matth. 16: Si quis vult me ſequi, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.

Hìc prodeſt etiam cauſſas cogitare, quare Deus velit Eccleſiam eſſe ſubiectam cruci.

Porrò ad vnitatem Eccleſiæ, conſenſus in his tribus rebus neceſſarius eſt, videlicet in doctrina fundamenti, in vſu legitimo Sacramentorum, & in præſtãda obedientia debita miniſterio. Cùm autem nomino conſenſum in fundamento, intelligo conſenſum in Decalogo, & in articulis fidei, etiamſi ſupra fundamentum alij aurum, alij ſtipulas extruunt, & aliquid erroris habent multi, & aliquid eſt diſſenſionum. Manet enim aliquid caliginis & infirmitatis in ſanctis. Ideo Paulus Rom. 14 inquit: Infirmos in fide aſſumite. Nequaquam verò ad vnitatem Eccleſiæ neceſſaria eſt ſimilitudo ceremoniarum humanarum: ideo dictum eſt Col. 2, Nemo vos arguat in cibo & potu.

Hanc doctrinam ſcire neceſſe eſt, ne alij alios cõdemnent propter diſsimilitudinem in ritibus humanis, vt ſunt contentiones de pane fermentato, de ieiuniis, de diſcrimine ciborum. Vult autem Deus conſpici libertatem in his ritibus humanis, ne delabantur homines in errores phanaticos, & putẽt tales externas obſeruationes eſſe iuſtitiã Euangelij. Item, eſſe merita remiſſionis peccatorum.

Diligenter cogitate, qui ſint nerui concordiæ Eccleſiaſticæ, ſeu vnitatis Eccleſiæ, quod idem eſt. Sunt autem tres nerui, ſeu tria, quæ præcipuè requiruntur ad conſenſum Catholicæ Eccleſiæ. Inter quæ primum ſeu præcipuum eſt conſenſus de fundamento, cuius appellatione complectimur Decalogum & Symbolum, id eſt, articulos fidei: & diſertè nominamus fundamentum, ad differentiam ſtipularum & lignorum, ac fœni, ceterarúmque rerum, quæ aliunde aſſuuntur fundamento.

Sumitur autē hæc forma loquendi ex Pauli concione 1 Cor. 3: Fundamentum aliud non potest poni, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Supra hoc alij extruunt aurum, alij gemmas, alij stipulas, alij ligna. Quale sit autem vniuscuiusque opus, ignis probabit, & dies Domini declarabit. Hac concione Paulus discernit errores fundamenti ab aliis infirmitatibus & sordibus, quas adhuc circumferunt etiam sancti. Non enim fingamus sanctos sine infirmitate & aliquo errore. Aliud est autem error pugnans cum fundamento, seu euertens fundamentum, id est, contraria asseueratio de articulis fidei: aliud est error, quem vocat Paulus stipulas, fœnum. Augustinus, Basilius, Nazianzenus, & reliqui patres Græci & Latini ante Papatum retinuerunt fundamentum, id est, Decalogum, & articulos fidei, nec vllum corruperunt, aut euerterunt contraria asseueratione, sed tamen in his, quanquam excellentibus doctoribus, & scriptoribus bene meritis de vniuersa Ecclesia & posteritate, est aliquid stipularum, quia interdum incommodiùs loquuntur, & nō satis circumspectè de cultu sanctorum, præsertim martyrū, & quodammodo spargunt semina inuocationis sanctorum. In his exemplis concio Paulina intelligi potest. Sic Bernhardus retinuit fundamentum, vt ostendunt eius scripta, sed tamen quia fuit Monachus, addidit aliquid stipularum, id est, opiniones quæ non sunt optimæ, & meritò reprehenduntur. An verò propterea damnabimus eum? Nequaquam: quia ignis & dies Domini discernit stipulas à fundamento. Bernhardus vocatus ad vitæ exitum deplorauit non tantùm infirmitates in moribus, sed etiam errata in doctrina, & confugit ad solam misericordiam promissam propter Christum. Ita in igne tentationis (nam ignis per metaphoram tentationem significat) didicit, quid intersit inter fundamentum & stipulas, & dies Domini, id est, repurgatio doctrinæ facta diuinitus, tales stipulas patefacit & refutat.

De

De diſcrimine politiarum, & Eccleſiæ.

CAP. IV.

N imperiis neceſſe eſt eſſe ordinem perſonarũ, ordinem iudiciorum, poteſtatem & ferendi, & interpretandi leges, executionem pœnarum, gloriam & præſidia, vt in regno Gallico eſt ordo perſonarum. Nam omnes Magiſtratus & ciues Gallici alligati ſunt ad vnum regem & eius hæredes. Deinde eſt ordo iudiciorum, valet regia interpretatio propter gradum & munus perſonæ, vt ſit aliquis finis ciuilium diſcordiarum, & mediocris ſit tranquillitas, nec licet priuatis rerum iudicatarum authoritatem labefactare, etiamſi quid erroris eſt in interpretatione regia. Habet etiam Rex Gallicus poteſtatem condendi leges probabili ratione, quibus debetur obedientia, & quarum violatio eſt peccatum mortale, iuxta illud Rom. 13, Neceſſe eſt obedire propter conſcientiam. Præterea punit contumaces gladio ſeu vi corporali. Eſt & gloria in regno Gallico, videlicet præſtantia conſilij & virtutis, & felicitas in rebus gerendis. Poſtremò hoc regnum munitum eſt præſidiis neceſſariis, & neruis rerum gerendarum, vt verbi cauſſa, opibus, exercitibus.

Hæc omnia aliter ſe habent in Eccleſia, quàm in Imperiis. Ordo Eccleſiæ deſcribitur Eph. 4: Aſcendit, dat dona hominibus, Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, paſtores, & doctores. Nam Filius Dei eſt ſummus Sacerdos, vnctus ab æterno Patre: qui, vt non funditus intereat Eccleſia, miniſtros Euangelij ei attribuit, partim à ſe immediatè vocatos, vt Prophetas & Apoſtolos: partim vocatione humana electos. Nõ enim dubium eſt, quin & Eccleſiæ electionem approbet, & immenſa bonitate efficax ſit, etiã ſonante Euangelio per electos ſuffragiis aut nomine Eccleſiæ.

Eccleſia eſt Monarchia reſpectu ſui capitis, ſcilicet Chriſti. Vt enim in Monarchiis vnus eſt rex, cui parent & obediunt reliqui ordines & ſtatus regni: ſic

Ecclesia habet vnicum caput, regem & Sacerdotem Christum, qui ideo ascendit in altum, vt daret dona hominibus, videlicet Apostolos, Prophetas, Euangelistas, pastores &c. vt ædificetur corpus Ecclesiæ, & ne circumferamur omni vento doctrinæ, Eph. 4. Huius igitur capitis, regis & sacerdotis respectu, Ecclesia verè est Monarchia. Respectu verò membrorum, hoc est, quando membra inter se conferuntur, Ecclesia est ἀριϛοκρατία, id est, status optimorum. Nemo enim in Ecclesia vsurpat sibi regiam dominationem, sicut fecit Papa, & adhuc facit, sed is antecellit cæteris, quem Deus vocauit ad res maiores gerendas, & quem instruxit maiore sapientia, virtute, fælicitate: quales fuerunt nostra memoria Reuerendi patres, D Lutherus, & Philippus Melanthon. Hi præstantes viri non sumserunt sibi regiam potestatem, vt quidam calumniantur, sed quia homines sani & modesti agnouerunt hos viros excellere donis & vocatione, ideo quadam reuerentia se eis subiecerunt, & præstiterunt obedientiam iuxta Euangelium. Alij, qui non habuerunt similem vocationem, aut similia dona, agnoscant suum locum, & tueantur virtute, nec tamen comparentur his summis viris, quos Deus præfecit senescenti Ecclesiæ. Papæ regnū est tyrānis Diabolica. Neque enim monarchia est, neque aristocratia, sed regnum mendacij & homicidij.

Deinde in forensibus iudiciis conuincitur homo voce legitimi Magistratus. In doctrina verò Ecclesiæ conuincitur mens propriis & immotis testimoniis vocis diuinæ: quia de omnibus necessariis articulis, seu de fundamento extant firma & immota testimonia in doctrina diuina. Quòd autem aliqui conuinci nolūt, fit peruersitate ipsorum, sicut Iudæi nolebant conuinci, etsi videbant resuscitari mortuos, & quia iudiciis veræ Ecclesiæ pertinaces & blasphemi non cedunt, dissidia Ecclesiastica manent, sed tamen Deus refutat pertinaciā impiorum, deleta tota factione, sicut deleuit Pharaonem, Hierosolymam post prædicationem Apostolorum, Manichæos, Arrianos & alios. Talia sunt Ecclesiæ certamina, nec dirimi possunt per homines au-

Hoc est secundum discrimen inter Ecclesiam & Imperia. In Dialectica fit mentio Elenchi. ἐλέγχειν significat conuincere. Inde ἔλεγχος, probatio firma, cui omnes sani libenter cedunt & assentiuntur. Quæritur ergo, quomodo homines possint cōuinci? Respōdeo. In philosophia

thoritate

thoritate regia, aut prætoria, sicut controuersiæ de ciuilibus negotiis dirimuntur. omnes sani homines cōuincuntur certitudine principiorum, experientia vniuersali, & demōstratione, quæ ex his extruitur. Hæc est ratio conuincendi in philosophia. Nam contra negantem principia, vt ait Aristoteles, non est disputandum. Et Galenus de experientia ait: Sophisticum est negare manifestam experientiam. Quantus esset furor negare ignem esse calidum, aut niuem esse albā? In foro homines conuincuntur voce, interpretatione, & authoritate legitimi Magistratus. Quando rex Gallicus, aut eius Parlamētum, id est, supremum iudicium in Gallia pronuntiat sentētiam de aliqua controuersia ciuili, necesse est, ciues Gallicos in ea sententia acquiescere, & ei cedere, etsi videatur esse iniquior. Sed quomodo in Ecclesia conuincuntur homines? Non aliter, quàm firmis, perspicuis & immotis testimoniis vocis diuinæ, quia de omnibus articulis, seu de fundamento extant certa testimonia in sacris literis. Quòd autem aliqui sunt pertinaces, & nolunt cedere veritati, id nō fit vitio Scripturæ, sed ipsorum culpa & peruersitate. Quare cùm non posſint controuersiæ Ecclesiæ authoritate regia, aut prætoria dirimi, tandem Deus ipse, non verbis, sed re ipsa, hoc est, deleta altera parte blasphema refutat pertinaciam, & diiudicat controuersias dogmatum. Sic Turca diremit disputationes & controuersias in Oriente, quæ fuerunt inter Arianos & Ecclesiam. Deus auertat talem diiudicationem certaminum à nostra Germania.

Quòd verò ad potestatem ferendi leges attinet, sciamus ministris Ecclesiæ mandatum esse, vt doceant Euangelium, & administrent Sacramenta, & deberi eis obedientiam in his, quæ sunt iuris diuini, nec tamen vllam creaturā posse & debere noua dogmata de Deo gignere, & nouos cultus instituere, sed manendum esse intra metas & septa doctrinæ à Deo nobis commendatæ, iuxta illud, Si quis aliud docet Euangelium, anathema sit. Ideo refragari necesse est, cùm alia dogmata & alij cultus proponuntur. Sed pastores boni ordinis caussa distribuere lectiones & tempora, & similia quædam possunt. Hîc tamen retinenda est sententia, tales ritus nec iustitiam, nec cultus Dei esse, nec violationem extra casum scandali peccatum esse, sicut dicitur Coloss. 2: Nemo vos arguat in cibo & potu. Hæc libertas maneat in Ecclesia, nec vincula conscientiis iniiciantur.

Politicæ potestatis legibus obligantur conscientiæ, quia Deus ita sanxit, & vult hoc modo vitã hominũ corporalem regi. Potestas verò Ecclesiastica nõ obligat conscientias propriis legibus, quia hanc libertatem Deus sanxit, & ministeriũ propriè non pertinet ad vitam corporalem.

Rom.13, Obedite non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.

Mirabile est consilium Dei, qui vult in hac vita magis obligari homines legibus politicis, quàm traditionibus humanis in Ecclesia. Videtur hoc absurdum esse, magis armare Magistratum politicum, quàm ministerium Euangelij in Ecclesia. Nam reuera maior est dignitas & amplitudo ministerij & muneris docẽdi in Ecclesia, quàm politicæ gubernationis: & tamen quia hæc vita ciuilis est corporalis, Deus ante resurrectionem vult maiorem obedientiam præstari legibus Magistratuum, cum lege naturæ non pugnantibus, quàm traditionibus & ordinationibus, quas sanciunt Episcopi. Nõ est subtiliter caussa quærenda, sed simus contenti hac simplici respõsione, quia Deus hoc discrimen ita sanxit, non vult iniici laqueos conscientiis authoritate Episcoporum sine verbo Dei. Politicum verò ordinem ita muniuit, vt ad obedientiam obstringat duobus vinculis, quorum vnum est metus pœnæ, alterum reatus conscientiæ.

Quartò magna dissimilitudo est politicæ potestatis & ministerij Euangelici in modo executionis. Etsi enim oportet vtramque potestatem habere ius cohercendi: tamen hoc discrimen est: Magistratus politicus cohercet vi corporali, sed Ecclesiastica potestas tantùm punit verbo, scilicet legitima excommunicatione. Hoc discrimen semper in conspectu sit, & norit vtraque potestas sui muneris metas.

Virga oris, vt Esaiæ 11 dicitur.

Duplex est iurisdictio: alia Ecclesiastica, alia politica. Ecclesiastica est legitima excommunicatio. Quæ autem pertineant ad legitimam excommunicationem, & quo ordine sit procedendum, priusquam hoc fulmen edatur, quod certè terribile fulmen est, alio loco dici solet. Christus Matth. 18 tradit hanc regulam de modo procedendi: Si peccauerit in te frater tuus, admone illum: si te non audierit,

dierit, assume alium: si hunc quoque non audierit, dic Ecclesiæ: & si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus. Iurisdictio verò politica est corporalis, id est, vel carcer, vel mulcta pecuniaria, vel supplicium capitale.

Propria veræ Ecclesiæ gloria in hac vita est vera Dei agnitio & inuocatio, professio veræ doctrinæ, firma consolatio in ærumnis, conseruatio perpetua corporis, etiamsi aliqua membra interficiũtur, magnitudo animorum in vincendis omnibus illecebris & terriculamentis impiis, multarum virtutum decus, in quibus præsentia Dei cernitur.

De his gradibus gloriæ Ecclesiæ dicitur psalm. 45: Omnis gloria filiæ regis ab intra est.

Postremò etsi Ecclesia non aliter oppugnatur quàm lapis æquoreis vndique pulsus aquis: tamen hac se consolatione erigit, quæ in psal. 27 recitatur: Pater & mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me, & scit Deo placere obedientiam, & animi moderationẽ in ærumnis perferendis, & se Filio Dei curæ esse, & hunc solum esse fidum & firmum amicum.

Ecclesia est similis gregi ouiũ inter multa luporum agmina, vt Christus Matth. 10 inquit: Ecce ego mitto vos, sicut oues in medium agmen luporum. Vt autem ouicula, etsi est inermis, & non potest se defendere aduersus dentes luporum: tamen defenditur à suo pastore fideli: ita Ecclesia etsi non habet præsidia humana, quibus tutò niti & confidere possit, tamen defenditur mirabiliter in hac vita, & protegitur à Filio Dei, qui est vmbraculum & caput Ecclesiæ: sicut olim significatum est per columnam nubis, quæ interdiu præbebat vmbram, & noctu lucebat in castris Israelitarum.

Hanc totam commemorationem de discrimine politiarum & Ecclesiæ, veram esse certum est, & profuturam esse piis spero, quia hinc discunt, Ecclesiam non esse similem regno mundano, sed esse populum egenũ & pauperem.

Philip. 3: πολίτευμα nostrum in cælis est. Ioh. 19: Regnum meũ non est de hoc mundo. Sic inquit Soph. cap. 3: Relinquam in medio tui populum egenum & pauperem, id est, destitutum hu-

manis præsidiis, vagantem sine certis sedibus, & tamen sperantem in nomine Domini. Arma Ecclesiæ duo sunt, verbum & precatio, De his armis inquit psal. 118: Omnes gentes circundederunt me, sed in nomine Domini excindam eas, id est, verbo & precatione vincam eas. Filius Dei in deserto non machinis æneis vincit Diabolum, sed partim verbo, partim inuocatione. Nam singulis tētationibus Diaboli opponit verbum Dei. Et de precatione dicitur, Christum 40 dies ieiunasse, & consumsisse in precatione. Vt igitur caput nostrum vicit Diabolum his armis, ita singula membra sperent victoriam, si sunt munita & instructa similibus armis.

De authoritate Ecclesiæ, Synodorum, & Ecclesiasticorum scriptorum.

CAP. V.

VALDE necessarium est hoc caput, vt vitentur duo extrema, videlicet petulantia & superstitio. Sunt quædam ingenia tanta leuitate, vt non dubitent ex alto despicere authoritatem omnem Ecclesiæ, de qua dicit Christus, Dic Ecclesiæ. Si Ecclesiam non audiet, sit tibi instar Ethnici & Publicani. Eadem ingenia non minore audacia & petulantia reiiciunt omnium Synodorum decreta seu symbola, sine vlla exceptione: denique scripta patrum seu scriptorum Ecclesiasticorum à multis simili leuitate extenuantur, aut omnino abiiciuntur. Hæc petulantia, leuitas, audacia humanorum ingeniorũ iustissima reprehensione digna est, nec tantùm reprehensione, sed etiam pœna. Nam certè vox ministerij omnibus temporibus est audienda, vt Christus inquit: Qui vos audit, me audit. Item: Sedent in cathedra Mosi, quæcunque dixerint, facite. Loquitur autem de voce ministerij incorrupta. Alterum extremum est superstitio, qua nimium tribuitur Ecclesiæ, Conciliis, & Patribus, sicut factum est in Papatu, & adhuc fit. Multi enim in Papatu pluris faciunt Augustinum, quàm Paulum, & decretum alicuius Synodi anteferunt sacris literis. Non igitur simus contemtores Ecclesiæ, Synodorum, aut Patrum,

Patrum, nec etiam simus adulatores, qui solent Tyrannorum sputa excipere, & affirmare ea esse dulciora quouis nectare & melle. Fugiamus vtrumque extremum, & teneamus regiam viam, tribuamus Ecclesiæ, Synodis, & patribus, quantum est tribuendum.

Cùm Pontifices & eorum satellites obiiciant nobis tanquam caput Gorgonis, nomina Ecclesiæ, Synodorum, consensus catholici, necesse est certis includi septis authoritatem Ecclesiæ, decreta Synodorum, & scriptorum dicta, vt maneat summa authoritas verbi Dei, iuxta illud: Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema sit.

Legite fabulam de Perseo, & de Medusa apud Ouid. in Metam. Est enim fabula insignis & cognitione dignissima propter allegoriam. Perseus amputauit caput Medusæ, seu Gorgonis, hoc postea circumtulit, & homines in saxa conuertit, quoties eis monstrauit caput Gorgonis. Hoc caput Gorgonis pingebatur in clypeo Mineruæ, propter hanc significationē. Pallas poetis significat sapientiam politicam, rectricem Rerumpublicarum, de qua dixit Salomon Prou. 20: Vt oculus videat, & auris audiat, Deus facit vtrumque. Caput verò Gorgonis in clypeo Palladis significat authoritatem, qua Deus armat magistratum. Si enim Magistratus non esset armatus authoritate, non posset subditos retinere in officio. Voluerunt igitur significare poetæ, diuinitus ornatos esse magistratus illo dono eximio & singulari, quod vocamus maiestatem, seu authoritatem. Hac enim magis terrentur homines non extremè furiosi, quàm omnibus pœnis, carceribus & suppliciis. Cogitate, quanta fuerit Caroli V authoritas: ipsum nomē Caroli fuit terribile, & Carolo ferè omnia cesserunt, omnia prona fuerunt vsque ad extremū actum vitæ, qui fuit tristior & infelicior. Prouerbiali autem figura caput Gorgonis in genere significat quamcunque rem, qua terrentur alij, quasi in stuporem quendam versi.

Quemadmodum enim taxanda est petulantia, quæ prorsus aspernatur consensum veræ Ecclesiæ, & omnes Synodos sine discrimine: ita è regione vitanda est superstitio, quæ complectitur omnes nenias, modò commendationem habeant anti-

Neniæ sunt carmina funebria, lugubres cantiones, siue lamentationes, de quibus Menā-

quitatis. Etsi igitur fides non pendet ex vlla authoritate humana, sed nititur ipsius Dei verbo & testimoniis: tamen tenenda est regula, audiendam esse Ecclesiam, quæ Euãgelium sonat, sicut dixit Samson Iud.14: Nisi mea vitula arassetis, non inuenissetis, id est, non audiuissent vocẽ Euangelij gentes, nisi Ecclesiam populi Israel docẽtem & testificantem audiuissent. Nam Ecclesia populi Israel testabatur hanc doctrinã à Prophetis, & à Christo acceptã esse.

Legite historiã Samsonis, quæ multas imagines dulcissimas Christi & Ecclesiæ cõtinet. Samson est imago fortissimi ducis Filij Dei, qui Leonem Diabolũ discerpsit in frusta, vt scribitur in Apocalypsi: Vincit Leo de tribu Iuda. Olim in conuiuiis non certabant hospites poculis, vt nunc fit, sed certabãt inter se quæstionibus eruditis, & ænigmatis, id est, tectis sermonibus, qui aliud significant. Cùm autem Samson interfecisset Leonem, & ex aliquo interuallo ad cadauer rediens, inuenisset in faucibus Leonis mortui fauos mellis, & examen apum, sumsit inde materiam ænigmatis, & conuiuio nuptiali Palæstinis affinibus & hospitibus aliis hoc ænigma proposuit: De forti exiuit cibus, & de comedenti dulcedo. Hoc ænigma intra aliquot dies, nemo conuiuarum soluere & explicare potuit. Tandem igitur hospites orant sponsam, vt à Samsone impetret communicationem sententiæ, quam habebat ænigma. Sponsa suis blanditiis impetrat, quod petebat, & rem postea narrat Palæstinis popularibus suis. Cùm igitur Palæstini soluissent ænigma de Leone & melle, exclamauit Samson: Nisi mea vitula arassetis, nõ inuenissetis. Christus est Samson, Ecclesia laborans in verbo Domini, est vitula arans agrum cælestem. Vt igitur conuiuæ Samsonis nõ potuerunt sentẽtiam ænigmatis inuenire, nisi sponsa monstrante: ita nisi audiamus vocem Euangelij & ministerij, non intelligemus quæ sit essentia aut voluntas Dei de nostra salute.

der inquit, Amor sine audacia est nenia.

Ita postea Catholica, id est, vniuersi orbis Ecclesia testatur, eandem doctrinam, quam amplexi sumus & profitemur, ab Apostolis esse traditam. Est enim Ecclesia testis de monumentis Propheticis & Apostolicis: sed vt non licet testi mutare narrationem, quam recitat: sic non licet Ecclesiæ doctrinam horum librorum mutare, quæ quidem aliunde habet authoritatem, scilicet à Deo ipso,

ipso, qui addidit illustria miracula, quæ authorem monstrent.

Quare credis Decalogum esse doctrinam veram? 1, Propter Deũ sese patefacientem, & de Decalogo testificantem. Sic enim inquit, Ego sum Dominus Deus tuus: quasi dicat, tu non amplecteris fabellas poeticas, quando assentiris Decalogo, sed certò scias, Deum esse authorem huius doctrinæ, cui addidit testimonia minimè fallentia miraculorum, quæ non possunt fieri ab vlla creatura, sed verè sunt opera naturæ omnipotentis. Quod autẽ de Decalogo dixi, idem cogitetur etiam de doctrina Euangelij. Quare tu credis Euangelio? Quia Christus non tantùm docuit Euangelium, tanquam persona missa à Patre, sed & hanc doctrinam obsignauit sigillis minimè fallentibus, resuscitatione mortuorum & aliis.

Suus igitur honos Ecclesiæ tribuendus est, nec est contemnenda veræ Ecclesiæ confessio, nec omnes Synodi sine discrimine reiiciendæ sunt, sed teneatur præceptum 1 Ioh. 4: Explorate spiritus, an ex Deo sint, consideretur quæ dicta Prophetica & Apostolica, & quæ testimonia purioris Ecclesiæ Synodus secuta sit. Si dissidet à scriptis Propheticis & Apostolicis Synodorum sentẽtia, necesse est eam reiici, vt Paulus præcipit, Si Angelus è cælo aliud Euangelium docebit, anathema sit.

Sumite exemplum de Synodo Tridentina. Inter alia decreta Synodi Tridentinæ, hoc est præcipuum, quod pertinet ad articulum de remissione peccatorũ: Credo remissionem peccatorum. Si, inquit Synodus Tridentina, audet aliquis affirmare, quòd certò habeat remissionem peccatorum, propter Christum gratis sine vlla operum nostrorum accessione: item, quòd non debeat dubitare de voluntate Dei, vtrum sit in gratia, anathema sit. Hic est sensus decreti Synodici. Quæro, quid est iudicandum de hoc decreto? Iudicandum est secundum regulam Pauli, Si Angelus de cælo aliud Euangelium docuerit, anathema sit. Paulus autem docet, quòd fide iustificemur gratis, gratia Dei, per redemtionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem in sanguine suo per fidem. Denique multa sunt similia dicta in Paulo, quæ confirmant sententiam de gratuita peccatoris iustitia coram Deo, fide, sine nostris meritis. Habemus etiam in tota Scriptura plura testimonia contra dubitationem Academicam vel Tridentinam. Quare potiùs assentiamur verbo Dei,

quàm conciliabulo Episcoporum Tridentino.

Sed cùm agnoscimus decretum alicuius Synodi cum testimoniis Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ sine Sophistica intellectis congruere, & esse veterem & incorruptam Ecclesiæ doctrinā, veritati obtemperandum est, & pias mentes confessio rectè sentientium confirmat. Sic dicit Christus ad Apostolos Ioh. 15: Vos eritis testes horum. Non vult eos noua dogmata gignere, sed testari de doctrina diuinitus tradita.

Sumite exemplum de Synodo Nicena, quæ est vna ex Oecumenicis Synodis. Quatuor sunt Synodi celeberrimæ, quæ vocātur Oecumenicæ. οἰκυμένη significat terram habitabilem. Multa loca sunt inhabitabilia propter frigus & calorem nimium. Illæ igitur Synodi dicūtur Oecumenicæ, id est, vniuersales, quæ fuerunt collectæ, non ex vna aut altera prouincia, sed ex præcipuis prouinciis totius habitabilis orbis, ex Europa, Africa & Asia, ex insulis, & ex continenti, vt in Synodo Nicena conuenerunt ex diuersis partibus orbis terrarum 318 Episcopi, quorum multi fuerunt miraculis clari, multi etiā circūtulerunt in suis corporibus vestigia martyrij. Altera est Constantinopolitana. Tertia est Ephesina. Quarta est Chalcedonensis, quæ non tantùm repetit superiorum trium Synodorum symbola & confessionem, & pia decreta, sed etiam addit appendicem, & ἐπίσαγμα egregium, vt Græci loquuntur, de duabus naturis in Christo, & earum proprietatibus distinctis & inconfusis. Summa eius decreti hæc est: Sicut vnio personalis in Christo non tollit, non delet, non miscet, nō confundit proprietates vtriusque naturæ diuinæ & humanæ: ita vicissim proprietates vtriusque naturæ non tollunt vnionem hypostaticam & inseparabilem in persona Christi. Est enim vitanda hyperbole vtraque, Nestoriana & Eutychiana. Nestorius naturas Christi diuulsit in duas personas. Eutyches confudit & miscuit naturas, & earum proprietates.

Quòd autem de Synodis dixi, hoc eodem modo de Ecclesiasticis scriptoribus dici potest. Etsi enim hi quoq; benemeriti sunt, præsertim quia sunt testes veteris ac primæ Ecclesiæ Apostolorū: tamen alij in aliis materiis fuerunt diligentiores, & vt est humanum errare, labi, decipi, sæpe inconsideratè effundunt absurdas & falsas opiniones, quas admoniti haud dubiè fuerant correcturi.

Sæpe cùm non malè sentirent, tamē non satis perspicuè dicere potuerunt, quod volebant. Sæpe propter temporum consuetudinē præsentes traditiones duriùs defenderunt, aliquas etiam falsas opiniones interdum habuerunt. Quare non sunt sine delectu omnia patrū scripta probanda, sæpe ipsi inter sese pugnant, nec rarum est dissentire aliquem à se ipso.

Scio D. Philippum à quibusdam maleuolis flagellari propter παῤῥησίαν, qua vsus est in suo libro de Ecclesia, & de Ecclesiasticis scriptoribus, qui certè liber est aureus, & perpetua vita dignus, sicut haud dubiè perueniet vnà cum aliis eius scriptis ad posteritatem gratam. Reprehendunt hoc aliqui in isto libello, quod dicit Philippus, eis interdum defuisse facultatem explicandi, id est, proprietatem & perspicuitatē sermonis. Sed facilè potest defendi contra tales vellicatores Philippus, quia constat plerosque patres fuisse Rhetores, & declamatores, priusquam accederent & vocarentur ad munus Episcoporum, vt Cyprianus, Augustinus, Tertullianus, & multi alij fuerunt exercitatissimi in scholis rhetorum, potuerunt scribere declamationes populares & plausibiles. Dum autem in hoc genere exercentur, non assuefiunt ad methodum, ad proprietatem & circumspectionem in dicendo & scribendo Dialecticam. Id considerent discētes etiam suorum studiorum caussa. Est quidem aliquid posse declamare, posse ex tempore aliquid dicere aut scribere, non reprehendo, non reiicio aut contemno simpliciter hanc celeritatem linguæ & calami, sed longè vtilius est, & plus conducit ad veram sapientiam, & ad formanda iudicia, non ex tempore, & ex manica effundere quidlibet sine delectu, & sine discrimine, sed potiùs bene meditari, quid dicturus sis, & quo ordine, qua lege verborum, quas ambiguitates, improprietates, ἀκυρολογίας velis vitare. Sæpe vnius verbi σφάλμα parit longa certamina. Etsi igitur declamatoria consuetudo facit homines confidentiores & audentiores ad garriendum, tamen altera ratio dicendi Dialectica, est simplicior, melior, & tutior. Quando legitis scripta Cypriani, Tertulliani, Augustini, legitis longas declamationes, quæ sæpe sunt valde molestæ lectori, & nisi quis sit probè instructus & assuefactus ad Methodum Dialecticam, vix potest inde summam excerpere. De stylo Augustini dicebat Philippus: Augustinus, quod ad stylum artinet, est declamator. Hæc dico, propter studia vestra, vt

ametis proprietatem Dialecticam in docendo & discendo, quam ad rem nihil magis proderit, quàm frequẽs exercitatio styli. Sed redeo ad scripta patrum, quæ inde quoque constat opus habere iudicio & delectu, quia ipsi patres interdum secum, aut cum aliis pugnant. Quantum certamen extitit inter Augustinum & Hieronymum de loco Pauli Gal.2, vbi Paulus reprehendit Petrum non rectè incedẽtem. Nam Hieronymus contendit, Paulum simulatè loqui, & finxisse aliquid, vt suam authoritatem tueretur, & defenderet. Contrà verò, & rectè quidem contendit Augustinus, nihil esse in Scriptura sancta simulatum, sed omnia esse vera, & non esse tribuendas simulationes verbo Dei. Sic inter Cyprianum & Augustinum est controuersia maxima de Anabaptismo, vtrum baptizati ab hæreticis sint iterum baptizandi. Cyprianus sentit iterum esse baptizandos. Augustinus verò negat, & rectè: sic tamen vt nihil detrahat authoritati Cypriani. Nam quando Patres inter se dimicant, non miscent conuitia ipsi caussæ, non sunt scurræ, vt sunt Flaciani, sed modestissimè alij de aliis sentiunt, loquuntur, & scribunt: tribuunt alij aliis honestissimum locum, vt fecit Augustinus in Epistola de Cypriano. Dicit omnia scripta sua non esse paria vni Epistolæ Cypriani, sed tamen non propterea discedit à veritate. Idem & nos faciamus. Si volumus disceptare, pugnemus non conuitiis, sed argumentis.

Sit igitur iudicium penes Propheticam & Apostolicam Scripturam, vt Augustinus piè & grauiter in epistola 48 monet. Non sic loquuntur scripta veterum, tanquam ita ex eis testimonium proferatur, vt contrà sentire non liceat, sicubi fortè aliter sapuerint, quàm veritas postulat. Vbi enim scriptores dissentiũt à manifestis testimoniis Propheticis & Apostolicis, necesse est anteferre vocem Dei dictis hominum, cùm ne ipsi quidem voluerint anteferre sua dicta doctrinæ Christi.

Gratianus collector iuris Canonici collegit magna diligẽtia, distinctione nona in Decretis, multa insignia dicta Augustini, ex epistolis & aliis scriptis, quæ sapienter monent pium lectorẽ, quantum sit tribuendum authoritati Patrum, hoc est, scriptorũ Ecclesiasticorum. Summa autem illorum dictorum hoc ferè sensu comprehendi potest. Non simus Patrum contemtores, nec assentatores, sed teneamus mediam viam. Non simus contemtores, quia

certè

certè vox ministerij audienda est. Quid autem sunt scripta Patrum, nisi vox ministerij. Vt igitur non debemus Cyclopica barbarie & audacia aspernari conciones & lectiones, quæ hodie habētur in scholis & templis: ita Cyclopicum & barbaricum est contemnere omnia scripta patrum, & dicere, sicut multi fatui dicunt: Quid ad me Augustinus? quid mihi commercij est cum Basilio, & cum Chrysostomo? Non simus tam agrestes, vt vsurpemus talia coquorum verba. Deinde vitemus alterum extremum, videlicet assentationem, quæ applaudit omnibus dictis sine discrimine, & sine delectu, sed adhibeamus candorem & dexteritatem in iudicando, nec æstimemus scriptores ex vno & altero verbo, sed ex perpetua sententia. Videamus, vbi ex professo materiam aliquam tractarint, & vbi tantùm obiter eam attigerint. Videamus etiam, vbi versentur in disputatione, & vbi sint extra disputationem. Nam omnibus hominibus hoc accidit, etiam sanctis, piis, & moderatis, vt calore disputationis, & amore victoriæ longiùs prouehantur, & extra metas interdum excurrant. Cùm autem homines placidè extra disputationem, secum deliberant, quid velint dicere & scribere, sententiæ plerunque sunt rectiores & simpliciores.

Refutatio architectantium Ecclesiam sine Verbo.

CAP. VI.

TAMMERVS & multi alij similes fingunt, Philosophos, Aristotelem, Platonem, & alios: item gubernatores politicos, Solonem, Augustum, Scipionem, Fabium, Aristidem & similes esse saluatos etiam sine agnitione Filij Dei: & dicūt, Deum non tantùm cognosci ex sacris literis, sed multò meliùs & rectiùs ex creatura. Ita miseri homines confundunt discrimen Legis & Euangelij, putant non fuisse maiorem sapientiam in Abraham, quàm fuit in Socrate: in Paulo, quàm in Platone. Hic error perniciosus est, & dignus refutatione.

Dolendum est, multos architectari Ecclesiam sine Euangelio,

& sine Filio Dei, & quærere extra cœtum vocatorum hæredes vitæ æternæ, & domicilia Dei, cùm quidem disertè scriptum sit, Quos elegit, hos vocauit. Item, Fides ex auditu, auditus per verbum. Quomodo credent, nisi audiant? quomodo audient, nemine docente? Nos verò quærentes, quæ, & vbi sit Ecclesia, referamus mentem & oculos ad cœtum vocatorum, ac certò sciamus, esse in eo aliquos electos, nec somniemus Fabium, Scipionem, Aristidem, & similes qui ignorant Euãgelium, esse sanctos & domicilia Dei. Etsi enim sapientia & virtute excelluerunt, & suas politias fœliciter gubernarunt: tamen his vmbris fugacibus anteferamus sapientiam Euangelij, & agnitionem Filij Dei. Non enim frustra tradidit Deus doctrinam de Filio, sed omnes iuxta hanc normam recipit aut reiicit, nec vllam prærogatiuam extra hanc normam admittit, recipit omnes sine προσωποληψία, qui laborantes & onerati ad Filium vera pœnitentia & fide confugiunt, iuxta illud, Omnis, qui credit in Filium, habet vitam æternam. Contrà verò omnes sine exceptione reiicit & damnat, qui Filium aut ignorant, aut horribili furore contemnunt, vt Baptista Iohan. 3 inquit, Qui non credit in Filium, iam iudicatus est. Et Iohan. 16 dicitur: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, quia non credunt in me. Et Pater è cælo clamat, Hic est Filius meus dilectus, quo delector, hunc audite. Magna vis est horum verborum, delector hoc Filio. Diligi à se hunc Filium adfirmat, & se eo lætari, & in eo acquiescere. Hoc autem ideo prædicat, vt statuamus vtrumque, & vero atque ingenti amore nos diligi à Deo, quia Filij membra sumus, & reiectos, ac damnatos esse omnes ignorantes, aut contemnentes hunc Filium.

Diligenter considerate verba, in quibus dixi nos diligi ab æterno Patre, quia sumus membra Filij. Potestis enim hanc sententiam ad plura verè & dextrè accommodare, & multos locos Scripturæ alioqui obscuriores illustrare hac cogitatione pia de arctissima copulatione Christi & Ecclesiæ, vel quod idem est, capitis & membrorum. Christus dicit Iohan. 3 ad Nicodemum, Nemo ascendit in cælum, nisi Filius, qui descendit è cælo, Filius hominis, qui est in cælo. Hoc dictum videtur esse non consolatio, sed terribile fulmen, si non rectè intel-

intelligatur. Ita enim conſcientia trepidans argumentatur.

Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit:
Ego non deſcendi è cælo, quia ex terra natus ſum, & in terram reuertar:
Ergo non patet mihi aditus ad cæleſte regnum.

Ad hanc obiectionem, qua conſcientia tenera ſæpe duriter cruciatur, reſpondet vno verbo Auguſtinus: Si vis aſcendere in cælum, ſis membrum Chriſti, vbi enim caput, ibi membrum. Sic Paulus inquit, nos eſſe ſepultos cum Chriſto, Rom. 6, & iterum reſurrexiſſe cum Chriſto, & iam ſedere in cæleſtibus, Eph. 1. Quomodo hæc fieri poſſunt? dicat aliquis: quomodo ego poſſum ſepeliri, & reſurgere cum Chriſto, aut ſedere cum eo in cæleſtibus, cùm adhuc ſim in terra? Reſpondeo. Si es membrum Filij Dei, es cum eo ſepultus, & reſuſcitatus, & cum eo aſcendiſti, & ſedes in cæleſtibus cum eo. Quomodo? Fide & ſpe. Nam ſicut fide iuſtificamur, & non aliter: ita viuificamur & efficimur membra Chriſti, & conſociamur cum eius corpore, vel inſerimur eius corpori, non alio glutine, non alia κόλλα, quàm fide, ſicut plurima ſacræ Scripturæ dicta teſtantur, quæ ſuo loco citabuntur. Quando igitur clamat de cælo æternus Pater, Hic eſt Filius meus dilectus, quo delector, ſtatuas hanc vocem ad te quoque pertinere, ſi modò es, aut fieri vis membrum Chriſti. Sicut enim diligitur caput: ita & diliguntur membra. Quis poteſt odiſſe corpus aut membra, qui diligit caput? De hac dilectione non modò Filij, ſed etiam Eccleſiæ extat illuſtre teſtimonium Iohan. 17, vbi ſic dicit: Sit dilectio tua in eis, qua me diligis, quaſi dicat: Sicut me amas vera & naturali στοργῇ paterna, quæ non eſt ſimulata, ſed ardentiſsima: ita eadem beneuolentia, eodem amore, eadem στοργῇ complectaris mea membra, meos fratres & cohæredes.

Refutatio Donatistarum.

CAP. VII.

VIT quidam in Africa Donatus, qui fuit author non necessariæ separationis ab Ecclesia Catholica Christi, & quæ fuerint occasiones, iam mox ex Augustino cognoscetis. Quando autem fit mentio Donatistarum, cogitate in historia illorũ propositam esse imaginem Flacianorum. Nam propter easdem caussas & olim in Africa tumultuati sunt Donatistæ, & propter easdem nunc tumultuantur in Ecclesia senescente Flaciani, non amore veritatis, vt ipsi gloriantur falsò, nõ amore Dei & Ecclesiæ, quem simulant & prætexunt suis furoribus, sed odio certarum personarum, quibus oppressis & extinctis sperãt se crescere posse. Quid impulerit Flacium ad excitandum horribile dissidium in Ecclesia, cuius nondum prospicitur finis & exitus, sciunt honesti homines in his regionibus, & præsertim VVitebergæ & Lipsiæ. Non est enim ignotus homo his terris, & scitur, qua de caussa fecerit non necessariam separationem. Iam includit suam Ecclesiam suis sordidis angulis. Regnũ Christi certè latiùs patet, quàm vt possit tam angustis finibus terminari. Non enim regnum Christi est septum vna & altera ditiuncula & regiuncula, sed tam latè patet, quàm ipse orbis terrarum, iuxta psalm. 18: In omnem terram exiuit sonus eorum. Item, dominabitur à mari ad mare. Sicut igitur olim Donatistæ incluserunt Ecclesiam angulis Africæ, & negarunt alibi Dei Ecclesiam esse, & tantùm suos asseclas & assentatores annumerarunt membris Ecclesiæ: ita nunc quoque faciunt scurriliter & impudenter Flaciani. Hæc dico non odio vel cupiditate vindictæ, sed quia certus sum hæc se ita habere. Ego meo magno dolore sum expertus.

Vt studiosi intelligant, sæpe ex paruis seminibus ingentia certamina esse orta, & priuatis cupiditatibus non raro prætexi publicas caussas, breuiter ex Augustino repetam historiam de origine Donatistarum.

August. in epistola 162: Cæcilianus cùm adhuc esset Diaconus, mulierem quandam Lucillam pecuniosissimam, pro disciplina Eccle-

Ecclesiastica corripiendo offenderat. Hæc postea pecunia corrupit Episcopos 70, & aduersus Cæcilianum incitauit. Inerat etiam illis Episcopis nonnullus dolor de typho superbiæ veniens, quòd non ipsi ordinauerāt Carthaginis Episcopum. Itaque Cæcilianus Episcopus Carthaginensis à concilio, vel potiùs factione 70 Episcoporum absens, & indicta caussa condemnatus est, & in locum eius alius Episcopus electus.

Videtis ipsam imaginem Flacianorum. Quid est Flacianis hominibus audacissimis & impudētissimis, tam familiare, quàm absentes indicta caussa condēnare? Tātum sibi sumunt licentiæ Flaciani in Ecclesia, quantum sibi nusquam sumsit Pontifex Romanus. Et si ita perrexerit, vt cœpit hæc factio Flacianorū, habebimus nouum Papatum alio titulo. Etsi enim Flacius non habet regnum, sicut Pontifex: tamen non minus licentiæ sibi vsurpat & arrogat, quàm vnquam Pontifices Romani sibi sumserunt. Accusatur Pontifex, quòd quædam fecerit iniusta decreta in Synodo Tridentina, nec immeritò: sed quot ibi fuerunt homines, si volumus iniusta cum iniustis comparare? Vnus verò & alter Flacianus in angulo obscuro & sordido audet condemnare totam Ecclesiam, regiones, vrbes, Academias, scholas, magnum numerum honestissimorum & doctissimorum hominum.

Cùm autem iudicio transmarinorum Episcoporum, hoc est, Miltiadis, qui tunc gubernauit Ecclesiam Romanam, & collegarum eius, Cæciliani innocētia, & Donatistarum improbitas patefacta esset: ab his prouocarunt Donatistæ ad Imperatorem Constantinum, qui dedit aliud, Arelatense iudicium, aliorum scilicet Episcoporū, non quia necesse erat, sed eorum peruersitati cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere. Sed his repudiatis, denuò ad Imperatorem prouocāt, qui caussa cognita, Mediolani Cæcilianum innocentissimum, illos improbissimos iudicauit. Hinc orta est Donatistarum separatio à reliqua Ecclesia, hinc ortus est Anabaptismus.

Vtinam haberemus hodie Constantinum: quo certè nobis etiam opus esset ad reprimēdos audaces, improbos, & impudentes Flacianos.

Non ouum ouo, vt ait Plautus, neq; lac lacti tam est simile,

quàm hæc historia de Donatistis similis est conatibus & machinationibus Flacianorum. Certè intra annos 18 non alia pararunt & meditati sunt in perniciem Ecclesiæ & bonorum singulorum Flaciani, quàm olim Donatistæ. Videtis quàm sint leuia dissensionum magnarum initia & occasiones leues. Quémque suæ rapiunt scelerata in prælia caussæ. Alium impellit æmulatio, alium cupiditas vindictæ, alium πλεονεξία, alium alia caussa iniusta.

Idem in epist. 166: Scitote, quòd primi maiores vestri, caussam Cæciliani ad Imperatorem Constantinum detulerunt, sed quia Constantinus non est ausus de caussa Episcopi iudicare, eam discutiendam atque finiendam Episcopis delegauit, quod & factum est in vrbe Roma, præsente Miltiade Episcopo illius Ecclesiæ cum multis suis collegis, qui cùm Cæcilianum innocentem pronuntiassent, & Donatum, qui schisma Carthagini fecerat, sententia percussissent: iterum vestri ad Imperatorem venerunt, de iudicio Episcoporum, in quo victi fuerant, murmurarunt. Quomodo enim potest malus litigator laudare iudices, quibus iudicantibus victus est? Iterum tamen clementissimus Imperator alios iudices dedit Episcopos apud Arelatum Galliæ ciuitatem: & ab his vestri ad Imperatorem appellarunt, donec etiam ipse caussam cognosceret, & Cæcilianum innocentem, illos calumniosos pronuntiaret: nec sic toties victi quieuerunt, sed de Felice, per quē Cæcilianus fuerat ordinatus, quotidianis interpellationibus Imperatori tædium fecerunt, dicentes eum esse traditorem, hoc est, formidine persecutionis impulsum, Dominicos libros cremādos tradidisse, & ideo Cæcilianum Episcopū esse non posse, quòd à traditore fuerat ordinatus, donec & ipse Felix iussu Imperatoris, caussa cognita ab Heliano proconsule innocens probaretur. Tunc Constantinus contra partem Donati seuerissimam legem dedit, & quæ sequuntur.

id est, excommunicauissent.

Ex hac commemoratione intelligi potest, quàm leuibus caussis excitatum sit ingens & exitiale incendium, quo penè tota Africa conflagrauit. Non enim voce solùm & literis Donatistæ Ecclesiam turbarunt, sed etiam manifesta vi grassati sunt, & à se dissentientes

ſentientes aut interfecerunt, aut malè mulctarunt. Hi tumultus edictis & ſeueritate Imperatoris vix tandem ſedati ſunt. Etſi autem leuis ambitio & vindictæ cupiditas occaſionem tanto malo præbuerunt, tamen conſentaneum eſt, aliud fuiſſe αἴτιον, ſeu principalem cauſſam non neceſſariæ ſeparationis Donatiſtarum à reliqua Eccleſia. Nam hypocritæ inde vſque à Cain immodicè admirantur diſciplinam, & ſomniant ſe iuſtos, & ſine peccato eſſe. Ideóque pingunt Eccleſiam ſimilem ciuitati Platonicæ, in qua nihil ſit vitij & infirmitatis. Sed hæc quidem de Donatiſtis breuiter dixiſſe ſatis eſt, quos Auguſtinus multis voluminibus luculenter refutat.

Diximus in definitione Eccleſiæ, ſemper Eccleſiæ admixtos eſſe nō ſanctos, ſed tamen de doctrina cōſentientes, & nondum excommunicatos propter manifeſta delicta. Hanc partem definitionis oppugnarunt Donatiſtæ, & finxerunt Eccleſiam ſimilem Ideæ Platonicæ, in qua nihil ſit vitij aut infirmitatis, in qua nullus næuus cerni poſsit. Hunc errorem refutat Chriſtus multis parabolis apud Matth. 13. Dicit enim, regnum cælorum eſſe ſimile agro, in quo ſimul creſcit triticum & zizania, ſiue lolium. Item comparat regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare, qua cōprehenduntur boni & mali piſces. Vt autem alia fuit πρόφασις ſeu ἀφορμὴ. i. occaſio alia, αἴτιον ſeu principalis cauſſa, impellens Donatiſtas ad faciendā non neceſſariā ſeparationē ab Eccleſia: ita eadē cauſſa principalis impulit noſtra ætate Flacianos. Volūt enim Flaciani videri ſancti, immaculati, ſine peccato, nō obligati ad vllas rationes reddendas. Hac magnifica de ſe opinione & admiratione ſui faſcinati, negligunt trabem in ſuo oculo, & ſeuerè obſeruāt & accuſant feſtucam in oculo fraterno, quod eſt proprium hypocritarum in quarto modo, à Cain vſque ad finem mundi. Et ſicut Diabolus non tantùm eſt mendax, ſed etiam homicida, non tantùm graſſatur ſophiſtica, ſed & manifeſta vi, vbi poteſt, Deo permittente: ita fecerunt & olim Donatiſtæ, & faciunt hodie Flaciani in Germania. Sed Dei beneficio accidit Flacianis ſitientibus ſanguinem fraternum, quod pauperibus Iudæis accidit, de quibus in prouerbio dicitur: Tu exerces vſuram inani ſpeculatione, ſicut pauper Iudæus. Non deeſt malefica voluntas Flacianis, & cupiditas nocendi ſanguinaria, ſed adhuc, Dei beneficio deeſt eis gladius: quo ſi eſſent armati, interficerēt me, & alios multos bonos viros. Nam quales ſint eorum

conatus, & quid agitent in animo, & quid habeant consilij, res ipsa ostendit. Et nisi Deus per Magistratum eos reprimeret, haberemus in Germania factionem circumcellionum, id est, latrunculorum Flacianorum, qui vagarentur per omnes ciuitates & pagos, per omnes prouincias Germaniæ, & interficerẽt, & malè mulctarent à se dissentientes. Hæc necesse est me hoc loco monere auditores, vt sciãt à quibus hypocritis crudelibus & mendacibus sibi debeant cauere.

De regno Antichristi, quod falsò nominatur Ecclesia.

CAP. VIII.

EXTANT in concionib⁹ Propheticis & Apostolicis, vt Dan. 11. 2. Thess. 2. 1 Timoth. 4. 2 Petri 2. & Apocal. 17, horribiles picturæ Antichristi, quas lector diligentiùs aspiciat, ac deinde circumferat oculos in eo cœtu, qui nominatur Ecclesia Dei, & consideret, vbi maximè talem confusionem doctrinæ, cultuum & morum inueniat. Ego quidem in has imagines intuens, nullam cõfusionem, ἀνομίαν & tyrannidem magis ad ea congruere statuo, quàm regnum Pontificis Romani, in quo non parui næui, nec tantùm anicularum superstitiones hærent, sed manifesta idola & errores cõspiciuntur, qui Deum & Filium eius contumelia afficiunt, & Ecclesiæ perniciem afferunt.

Noui oratores Pontificij, vel potiùs κόλακες & parasiti aulæ Romanæ, vt Iesuitæ, & similes, populo imperito hunc fucum facere solent: dicunt, nos nimium esse morosos, & parum candidè iudicare de Papatu. Fateri quidem se, conspici in Papatu quosdam næuos deformantes faciem Ecclesiæ, & hærere in quibusdam aniculis quandam δεισιδαιμονίαν, id est, superstitionem: sed non propterea accusandos esse Pontifices idolomanias & errorum pugnantium cum fundamento. Non enim, inquiunt, sinit Deus Ecclesiam tamdiu errare, cui promisit Spiritũ veritatis, quam columnam appellat

appellat, & ſedem veritatis. Valde ſpecioſè, populariter, & plauſibiliter hæc dicuntur à nouis oratoribus, qui pingunt idola Papæ, ſicut olim in feſtis, ſtatuæ ſanguineis ebuli baccis, minióque rubente. Sed nos agnoſcamus in Papatu non tantùm reprehendi næuos, aut ſuperſtitiones aniles, ſed idola craſsiſsima & verè Ethnica, & errores qui delent præcipuos fidei articulos. Omiſsis autem ceteris idolis & erroribus, tantùm duo nunc exempla proponam. Sicut olim Perſæ habuerunt pompam, in qua 365 ſacrificuli ſunt comitati ignem ſacrum, qui Perſica lingua Orimasda vocatur: quem ignem adorabât non ſolùm Perſici ſacrificuli, ſed etiam vniuerſus populus Perſicus: Ita Ethnico more, quotannis in pompa Pontificia circumfertur & adoratur panis, quem dicunt eſſe corpus Chriſti. An non hæc eſt Ethnica idolatria, vt ſilentio cetera prætereamus? Error verò delēs caput præcipuum in Symbolo, Credo remiſsionem peccatorum, eſt decretum non aniculæ, non deliri ſenis, ſed totius Synodi Tridentinæ, de dubitatione perpetua, de quo dogmate aliâs plura ſunt dicta. Videtis igitur Papatui rectè obiici Ethnicam idolatriam, & errores pugnantes cum fundamento, imò euertentes & delentes fundamētum, quantum in ipſis eſt. Quòd adhuc pij credunt, ſe habere remiſſionem peccatorum gratuitam propter Chriſtum, non propter opera, id non acceptum referimus Synodo Tridentinæ, ſed gratiæ Dei, & Spiritui ſancto, teſtificanti publicè in miniſterio de voluntate ſua & veritate ſuæ doctrinæ, & priuatim in ſingulorum cordibus.

Nam Pontificij doctores non rectè docent de peccato, & de iuſtificatione, & de fide. Confirmant impium dogma de dubitatione: non rectè docent, quæ opera ſint cultus Dei, & quomodo placeant Deo, fingunt hominem inſtituere poſſe cultus Dei, & eos neceſſariò eſſe ſeruandos: corrumpunt totam doctrinam de pœnitentia, dicunt contritionem oportere eſſe ſufficientem, & mereri remiſsionē. Dicunt, neceſſariam eſſe enumerationem omnium delictorum in petenda abſolutione. Fingunt ſatisfactiones Canonicas, & aiunt eſſe compenſationes pœnarum purgatorij: defendunt inuocationem hominum mortuorum, præcipiunt adorationem falſam ſignorum, cùm nihil habeat rationem Sacramenti extra vſum diuinitus inſtitutum. Horribili profanatione Cœnam Domini conferunt in quæſtum, & prorſus Ethnico more fingunt ſacrificulos mereri facienti & aliis, & quidem ex opere

operato, ſine bono motu vtentis, prohibent coniugium iis, id eſt, ſine conuerſione & fide. qui non ſunt idonei ad cælibatum. Fingunt Eccleſiam velut regnum, in quo dominari dicunt Romanum Epiſcopum, & habere authoritatem inſtituendi cultus, & transferendi imperia politica. De his tantis rebus, cùm Epiſcopi Papiſtici & eorum ſatellites defendant impios & pernicioſos errores, non ſunt Eccleſia Dei, & regula tenenda eſt, Fugite idola.

Diligentiſsimè omnes homines in noſtris Eccleſiis cogitare debent de cauſsis grauiſsimis, propter quas neceſſe eſt deſeri Papatum, & fugere tyrannidem Antichriſti, ſicut dicit Iohannes in Apocalypſi: Fugite ex Babylone, ne fiatis participes pœnarum. Cùm autem nimis longa ſit enumeratio ſingulorum idolorũ, & errorum Pontificum, proponamus nobis dictum Chriſti, vt ſummam teneamus. Chriſtus iubet Lucæ vltimo prædicari in nomine ſuo pœnitentiam & remiſsionem peccatorum. Et in Symbolo noſtro Apoſtolico dicimus, Credo Eccleſiam Catholicam, ſanctorum communionem, remiſsionem peccatorum. Iam cogita, quid dicāt Papiſtæ pertinaces de pœnitentia & remiſsione peccatorum, item de Eccleſia. Fecerunt Papiſtæ tres partes pœnitentiæ, contritionem cordis, confeſsionem oris, & ſatisfactionem operis. Audíſne aliquā mentionem Chriſti fieri in his tribus partibus pœnitentiæ? audíſne aliquam mentionem fidei in Chriſtum? Hîc eſt ſilentium altum de Chriſto, de fide in Chriſtum, tantùm concionantur de noſtris operibus, quæ nos debeamus facere, nihil dicunt de merito, de beneficiis Chriſti, de fide applicante nobis beneficia Chriſti. Et quòd verum dicamus, teſtantur hoc omnes libri ſententiariorum, monachorum, & ſummulariorum, qui ſcripſerunt intra annos 400 poſt Bernhardum, vſque ad tempora Lutheri. Et quanquam noſtri Papiſtæ, qui nunc viuunt, conantur palliare hæc mendacia, & pingere fucis: tamen retinent neruos eorundem errorum, ſicut poteſt ad oculum demonſtrari, ſi neceſſe eſſet. Ergo non prædicant Papiſtæ in nomine Chriſti pœnitẽtiam, ſed in alio nomine, ſcilicet, noſtrorum operum, noſtri cordis, oris & operis. De hoc errore, vel potiùs corruptela audietis aliquando in titulo de pœnitentia. Secundò, non docent & prædicant remiſsionem peccatorum in nomine Chriſti, ſed in nomine ſuorum operum. Aliud eſt autem Chriſtus, aliud noſtra

ſtra opera. Si ex Lege, inquit Paulus, ſumus iuſti, & ex operibus, Chriſtus fruſtrà eſt mortuus. Et in ſumma delent totum caput Symboli, Credo remiſſionem peccatorum, per dogma impium & blaſphemum de dubitatione, quòd homo debeat perpetuò dubitare, vtrum ſit in gratia, an habeat remiſsionem peccatorum. Tertiò de Eccleſia docent multa falſa, fingunt Eccleſiam eſſe ſimilem politiæ mundanæ, & huic præficiunt viſibile caput, Pontificem Romanum, & huic attribuunt authoritatem condendi leges, de cultibus Dei, & de mutatione Sacramentorum, ſicut Papa in concilio Conſtantienſi mutauit formam Cœnæ Dominicæ, iuſsit Laicis dare tantùm panem ſine poculo & calice. Cogitate, quanta hæc ſit tyrannis, quanta audacia & ἀνομία. Sic enim dicit decretum Conſtantienſis concilij: non obſtante eo, quod Chriſtus dixit, Bibite ex hoc omnes, tamē ſancta Synodus Conſtantiēſis præcipit vt Laici abſtineant à poculo, & ſint contenti ſolo pane. An non hoc eſt eſſe Antichriſtū, aduerſarium Chriſti, hoſtē & inimicū Filij Dei, & ſeſe collocare ſupra Deum & Filium Dei, & quaſi pedibus conculcare Dominum regnantem ad dextram Patris? Hæc non fruſtrà dico, chariſsimi auditores: non ſemper erunt halcyonia, non ſemper fruemur hac pace & tranquillitate, quam nunc Deus benignè concedit, ſed fieri poteſt, & fortaſsis paulò pòſt futurum eſt, quod omen Deus auertat, vt Papa cum ſuis ſatellitibus conetur exequi decretum Synodi Tridentinæ, & poſtea ſinguli vocemur ad examen durum & aſperum, in quo non modò puerorum more Catechiſmum recitabimus, ſed ſimul etiam præbenda erit ceruix lictori, ſi non velimus abiicere veram doctrinam, quam amplectimur Dei beneficio. Ibi Ieſuitæ & alij diſputabunt: Quare tu diſceſsiſti ab Eccleſia ſancta Catholica, orthodoxa, Romana, quæ ſucceſsit ſanctis Apoſtolis, Petro & Paulo: cur tu imitaris Donatiſtas, qui fecerunt non neceſſariam ſeparationem ab Eccleſia, cur propter paucos næuos, & quaſdam aniles ſuperſtitiones, audes Papatum damnare, & dicere, quòd ſit regnum Antichriſti? Si hæc & ſimilia audiueris, ſis armatus hac tabella, & ſimilibus cogitationibus, vt ſcias, quid debeas reſpondere talibus diſputatoribus. Niſi enim bene ſcias, & cogites cur patiaris, vix eris conſtans in confeſsione.

EXPLICATIO TEXTVS LOCORVM THEOLOGICORVM PHIL. MELANTHONIS

De Ecclesia.

VOD Plato in 5 libro de legibus dixit de amore patriæ, id nos de amore Ecclesiæ dictum putemus. Patria, inquit, magis est amanda, quàm mater, quia est quiddam diuinum. Est autem Ecclesia verè mater nostra, sponsa Christi, templum ac domicilium totius diuinitatis, columna veritatis. Vt igitur nemo sanus non libenter audit crebram mentionem matris suæ: ita nos sine fastidio audiamus repetitionem doctrinæ de Ecclesia. Si quis enim diligit Christum spōsum, is non potest facere, quin etiam amet Ecclesiam. Hæc ideo dico, ne quis fastidiosè, aut cum quadam satietate audiat eadem de iisdem. Sunt autem dulcissimæ pagellæ in libro locorum communium de Ecclesia, quia hic artifex de nulla re suauiùs aut locutus est, aut scripsit, quàm de hac nostra matre, & laudatissima patria.

Semper nobis] Exordium à γνώμῃ, id est, sententia: Moribus antiquis stat res Romana, virísque.

Nec alibi] Valet hæc consequentia per contrapositionem, hoc modo: Quos elegit, hos & vocauit. Ergo non vocati non sunt electi.

Patefecit] Hoc ἀξίωμα est fundamentū & basis vniuersæ Theologiæ.

Vox Euangelij] Nomine Euangelij complectimur doctrinam pœnitentiæ, & æternæ promissionis, imò & capita in symbolis collecta. Sicut Apostoli appellatione Euangelij vtuntur de tota ministerij sui doctrina. Non igitur feramus in Ecclesia λογομαχίας, est sarcasmus Diaboli mouere certamina in tanta luce doctrinæ de appellatione Euangelij. Christus ita loquitur sine metu cauillationis Lucæ vltimo: Prædicate in nomine meo pœnitentiam & remissionem peccatorum.

rum. Hoc idem est cum eo, quod alibi dicit Christus apud Matthæū & Marcum, Prædicate Euangelium in nomine meo. Nihil igitur est opus rixis & cauillationibus de vocabulo Euangelij.

Cœtu vocatorum] Vocati sunt audientes, discētes & profitentes doctrinam Euangelij.

In omnem terram] Psal. 19. Rom. 10 de Apostolis dicitur, Exiuit sonus eorum in omnem terram.

Adiungamus] De adiunctione ad Ecclesiam, quia extra eam non est salus.

De visibili Ecclesia] Quòd Ecclesia sit visibilis cœtus, hæc testantur testimonia: 1 Cor. 4: Spectaculum facti sumus Angelis & hominibus. Quale autem spectaculum esse potest, si non cernitur? Matt. 18, Dic Ecclesiæ. Iam si nulla est visibilis Ecclesia in hac vita, quæ iudicia Ecclesiæ erunt? Sed obiiciunt aliqui contra hanc veram sententiam, tenuem & frigidam cauillatiunculam.

Quod creditur non videtur.
Ecclesiam esse creditur.
Non igitur videtur.

Respondeo. Multæ sunt propositiones, quarum etsi subiecta cernuntur, tamen prædicata fide adduntur, vt cùm dicimus, Sol est à Deo creatus, hîc fides est assensio, qua integram propositionem amplectimur.

Errones] Qualis est Tammerus.

Ad hanc nos adiungamus] Adiunctio ad Ecclesiam fit fide, confessione, inuocatione & officiis, quæ ad eius conseruationem Deus præstari iussit.

Sic Cyrus] Exemplo declarat propositā sententiam, quia exempla ad docendum maximè prosunt. In regno Turcico sunt quatuor maxima mala, ipsa morte tristiora, quæ debetis considerare diligenter, vt acuatur studium precandi contra Turcicam tyrannidem, quæ certè nunc machinatur exitium Germaniæ. 1 est blasphemia manifesta contra Christum. Negāt enim Mahometistæ Christum esse Filium

Dei, & missum esse ad Ecclesiam, vt fiat victima pro genere humano, & colligat æternam Ecclesiam. Hæc omnia negant, & ipsum nomen Christi delere conantur. Iam cogitate, quantum mali sit in contumelia nominis diuini. 2, est tyrannicum mandatum de interficiendis omnibus sanctis profitentibus Christum esse Filium Dei. Nam Alcoranus expressè præcipit, vt Mahometistæ, qui nunc sunt Turci, persequantur Ecclesiam Christi, & interficiant sanctos, à quibus inuocatur Filius Dei. 3, est teterrima confusio libidinum. Nulla enim reuera sunt coniugia apud Turcos, quia licet Turcico latroni ducere quot vult, & dimittere cùm vult, & rursus ducere dimissas. 4 ferè omnium atrocissimum est, quòd liberi Christianorum, qui sunt oppressi Turcica seruitute, auelluntur à complexu parentum, & transferuntur in aulam Turcicam, vt ibi imbuantur Mahometicis blasphemiis, & fiant ex membris Christi, cui iam pridem inserti fuerunt per baptismum, ex professo hostes immanes & crudeles Filij Dei & Ecclesiæ, & cælo bellum inferant, more gigantum, & sanctos trucident.

Vt Maria] Exempla definitionis. Quicunque olim futuri estis doctores in scholis vel Ecclesiis, assuefacite vos ad hanc rationem docēdi, vt sententias generales & definitiones declaretis per exempla, quia vt Aristoteles inquit, exempla & similitudines habent maximā vim in docendo.

Sadducæi] Fuerunt Epicurei, quia negarunt resurrectionem mortuorum. Qui negat hunc articulum, est Epicureus.

Textus dicit] 3 Reg. 19. Rom. 11: Reliqui mihi 7000, qui non curuarunt genua sua coram Baal, id est, quæ retinuerunt puritatem doctrinæ & inuocationis. Sic non est dubiū, quin etiam Deus in Papatu aliquas reliquias conseruarit, quas ipse nouit: quia fundamentum Dei stat firmum, inquit Paulus, Dominus nouit suos, nouit & Dominus eripere suos ex tentatione. Nullum est argumentum hoc, quando dicunt Papistæ: Si nos non sumus Ecclesia, Ergo superioribus seculis nulla fuit Ecclesia.

Quòd autem] ἀνάλυσις definitionis.

Non enim fingimus] Prior particula de ministerij neces-

necessitate: altera de ministeri efficacia. Virtus est conseruatrix speciei, & indiuidui, iuxta dictum: Omne bonum est conseruatiuum sui & aliorum.

Credentes esse saluos] 1 Cor. 1: Triplex est sapientia. 1 est naturalis notitia de Deo. 2 est ratiocinatio, quæ sumitur ex opificio mundi. 3 est, quæ hauritur ex fontibus Israel, seu ex patefactione verbi Dei. Cùm igitur mundus non agnouisset Deum per priores duos gradus sapiētiæ, hoc est, per notitiam naturalem, & per ratiocinationem, Deus proposuit tertium gradum longè ceteris antecellentem, & certiorem, scilicet verbum suum, Legem & Euangelium.

Pastores & doctores] Pastores sunt gubernatores Ecclesiarum, qui habent potestatem non solùm docendi, sed etiam administrandi Sacramenta, & ordinandi ministros, & excommunicandi legitimo modo defensores falsorum dogmatum, & authores prauorum exemplorum: hoc est, qui pascunt gregem Domini potestate ordinis & iurisdictionis, vt veteres loquuntur, Doctores sunt interpretes Scripturæ in scholis. Ac longè maior est dignitas Pastorum, quàm Scholasticorum.

Ventis agitemur] Venustissima metaphora. Sicut venti dissipant & euertunt domum, sicut in Prouerb. Salomonis dicitur: Qui accersit ventum, destruit domum: ita falsæ opiniones destruunt Ecclesiam. 1, Ethnici finxerunt turbam Deorum. Varro, diligentissimus scriptor apud Romanos, quem sæpe Augustinus citat in libro de ciuitate Dei, collegit 30000 idolorum, quæ Ethnici Romani, Græci & Aegyptij adorarunt. Quò quæque gens fuit sapientior, vt Græci & Aegyptij, eò magis fuit dedita cultui idolorum, quod est valde dolendum. Tota Græcia fuit referta sacellis. Sic Aegyptij omnibus creaturis & animalibus tribuerunt honorem Deo debitum, solum porcum non habuerunt pro Deo. 2, Ethnici mactarunt humanas hostias, vt ostendunt exempla in poematis apud Euripidem, Homerum, Virgilium, & in historiis. 3, Ethnici ignari Euangelij, nō tantùm idolis, sed etiam horrendis libidinibus se contaminarunt, quas cultus Dei esse existimabant. Sed quia hac de re non potest apud honestos satis verecundè dici, satius est ista silentio præterire, quàm explicare, præsertim inter adolescentes.

Aliud nomen] Act. 4.

Obsigna] Precatio Esaiæ pro discipulis, Obsigna Legem in discipulis, ist eben so viel als sanctificetur nomen tuum. Obsigna, scilicet Spiritu sancto. 2 Cor. 1 Paulus describit his tribus appellationibus Spiritū sanctum. 1, χρίσμα eum vocat, id est, balsamum, quo vngimur. 2, arrhabonem vel arram. 3, sigillum. Precatio Esaiæ cum antithesi est intelligenda: quasi dicat, Ego velut in specula sedens, futuras prospicio tempestates, videlicet secuturas tenebras, confusiones opinionum, & fanaticos furores. Nam conciones nostræ prolatæ ex sinu Dei, à Pharisæis audacissimè dilacerabuntur & corrumpentur. A Sadducæis verò, qui sunt Epicuri de grege porci, abiiciētur & subsannabuntur. Interea tamen, tu Deus, immensa misericordia iuxta promissiones tuas seruabis aliquod semen sanctum, aliquam veram Ecclesiam, custodem tui verbi. His meis auditoribus, discentibus & legentibus scripta Prophetica, imprime quæso, tuum sigillum, seu σφραγῖδα, hoc est, Spiritum sanctum: accende in mentibus eorum lucem veræ agnitionis Dei, & flecte mentes ad veram inuocationē, ne afficiaris contumelia à toto genere humano, sed vt semper sint aliqui rectè te agnoscentes, inuocantes & colentes.

Tenebras] Pharisæorū & Sadducæorū.

Intellectus verus] Natiua verbi sententia sine sophistica intellecta, vt Coloss. 3 dicitur, Verbum Dei habitet inter vos abunde cum omni sapientia. Nullus vnquam fuit hæreticus, nec est, nec deinceps erit, qui nō suo furori prætexat speciem verbi diuini. Arrius pinxit suam blasphemiam prætextu dicti Christi, Ioh. 14: Pater maior me est. Sic Anabaptistæ detorquent Scripturæ dicta ad suas imaginationes, vt illud Rom. 12, Non vindicantes vosmet ipsos. Ergo, inquiunt, omnis vindicta à Deo prohibita est, nec licet magistratibus punire sontes. Etsi igitur Arrius & Anabaptistæ habent verbum, tamen non habent natiuam verbi sententiam, sed sophisticè corrumpunt oracula cœlestia. Sic Diabolus in deserto Christum tentans, citat dictum psal. 91, Angelis suis mandauit de te &c. Quid igitur faciendum est, an Biblia sunt abiicienda, quoniam materiam præbent nouis opinionibus? Nequaquam. Sicut nemo extirpat vites propter abusum vini: ita non est abiicienda lectio sacrorum librorum, etiamsi aliqui abutuntur

tuntur

tuntur Scripturis ad suam & aliorum perniciem.

Deinde & hoc] Altera particula de efficacia ministerij. Sæpe dixi, & adhuc dico, tribui efficaciam ministerio, non vt caussæ principali, sed vt instrumento. Sicut serra dicitur secare, quia trahitur & agitatur à fabro: ita ministerium dicitur efficax esse, quia Deus hoc organo vtitur à se instituto & ordinato. Deinde hoc discrimen considerandum est: aliter medentur herbæ, aliter medetur ministerium Euangelij. Herbæ sunt efficaces in nostris corporibus naturali quadam facultate, sicut sunt à Deo conditæ, sine nostra cogitatione, quia quæ naturaliter agunt, semper agunt vno & eodem modo, & ad vnum, vt ait Aristoteles, sunt determinata. Ministerium verò Euangelij aliter est efficax, scilicet in cõsideratione verbi, & in ratiocinatione. Non enim satis est audire verbum, nisi etiam cogites, cuius sit hoc verbũ, & quid tibi promittat Deus. Sic nõ satis est, te accedere ad vsum Sacramenti, nisi piè consideres, à quo sit institutum, & cur sit institutum, & quomodo Deus per Sacramẽtum velit impertiri nobis promissa bona. Est igitur calumniosa interpretatio dicti Paulini, Rom. 10: Fides ex auditu, quando dicunt Flaciani, Non dicit Paulus, est ex consideratione verbi, sed tãtùm dicit, ex auditu, quasi verò excludat Paulus considerationem, & tribuat verbo magicam vim, qualem habent herbæ in officina pharmacopæi. Quando vel legis, vel audis verbum Dei, debes adhibere considerationem & quandam ratiocinationem, vt cogites quis sit author huius verbi, cur se patefecerit, cur tradiderit hoc verbum, quare certum sit hoc verbum, quæ bona in eo promittantur. Et tamen alia quæstio est, vnde sit efficacia verbi: alia verò est de ordine quo vult Deus agere in homine.

Vocem Euangelij] Hæ sunt locutiones instrumentales.

Quæstiones de personis] Nobis in vmbra versantibus hę quæstiones videntur exiguæ & leues, sed versantibus in acie & cõflictu cum hostibus, nihil est difficilius, quàm de his quæstionibus respondere, quia oratores Pontificij sunt instructi eloquentia, valent authoritate inter suos, & habent adiunctum brachium, vt loqui solemus, seculare. Quando igitur tales declamitant de ordinaria succesione Episcoporum in sede Romana, de collegio Cardinalium, de vetustate, de præscriptione

longi temporis, & de similibus rebus, hoc opus, hic labor est, rectè, grauiter, constanter eis obuiam ire, & detrahere laruam, seu fucum. Sapientis est in pace cogitare de bello. Ita sapientis & pij Christiani est cogitare de futuris certaminibus, séque ad ea præparare verbo & inuocatione.

Hæc sententia] Quantum nos dicimus & scribimus de veritate, tantum Pontificij oratores declamitant de pace & concordia, & nulla est speciosior oratio, quàm quæ habetur de communi trãquillitate, de studio concordiæ, de consociatione omnium ordinum & statuum. Nam profectò turbata pace & cõcordia, quid sequatur, videmus. Vt enim venti contrarij eruperunt ex vtriculo Aeoli apud Homerum, quem, dormiente Vlysse, socij eius aperuerant: ita soluto vinculo pacis & concordiæ crescit hominum audacia & petulantia, & sumit vnusquisque sibi licentiam faciendi, dicendi, scribendi, opinandi quod vult. Hæc mala (quæ valde incurrunt in oculos, & mouent animos hominum malorum) norunt amplificare, attollere & exaggerare Pontificij. Sic enim dicunt, Ante annos 50, id est, ante hæc dissidia de dogmatibus, quàm erat tranquillus & quietus status Ecclesiæ & Reipublicæ, quanta erat ordinis concinnitas, quàm suauis connexio omnium statuum politicorum & Ecclesiasticorum? In eo statu poterant coherceri petulantia ingenia, poterant reprimi seditiosi. Nũc quid fit? est mera ἀναρχία, est barbaries Cyclopica, in qua nemo audit alterum, & vnusquisque sibi maximè placet, reliquos ex alto despicit & negligit. Sed nos his declamatoribus de pace & concordia, quæ sunt per se magna bona & salutaria, opponamus dicta cælestia de veritate & puritate doctrinæ, quæ est anteferenda omnibus rebus humanis, quantumuis bonis, suauibus, vtilibus, salutaribus, & necessariis. Vbi hoc scriptũ est? Christus Mar. 9 inquit, Retinete salem, id est, puritatem doctrinæ, & postea sitis inter vos concordes. Et idem Dominus dicit in precatione sua vltima, recitata ante agonem Iohan. 17: Pater, sanctifica eos in veritate tua, sermo tuus est veritas. Hæc est prima precatio, postea sequitur altera de cõcordia, Da, Pater, vt sint vnum in nobis, & inter sese. Et in oratione Dominica, prima petitio est, Sanctificetur nomen tuum. Quarto loco sequitur, Da nobis panem quotidianum, id est, inter alia bona corporalia da etiam concordiam & pacem. Sic Propheta Zacharias cap. 8 inquit, Quæ verba debetis perpetua memoria obseruare: Diligite

ligite veritatem & pacem. Quid potest melius, quid iucundius dici? Primò iubet veritatem diligere, deinde pacem. Si potes vtrumque retinere simul, agas Deo gratias. Sin autem alterutro carendum est, malis carere pace, quàm veritate, quia veritas nos liberauit, non pax, vt inquit Christus Iohan. 8: Vtrumque est optandum, & à Deo petendum, quia nihil est melius copulatione veritatis & pacis, sed si alterutro sit carendum, in eo casu longè veritatem paci anteponas.

Regnum Francicum] Regnum Gallicum est antiquissimum, & optimè inter regna Europæ constitutum. Si nihil boni esset in regno Gallico, tamē parlamentum, id est, supremum iudicium esset magnifaciendum.

Amat enim humanam] σχῆμα λόγου, politicum schema, id est, politica species, quæ hominibus fucum facit: hoc est, non satis est legere Biblia, nisi bonum habeas interpretem. Ratio est, quia multa dicta sacræ Scripturæ sunt obscura, quædam etiam, vt ipsi dicunt (hæc enim dico μιμητικῶς) sunt ambigua, & quotidie oriuntur nouæ contentiones de scripto, & de sententia scripti. Quis igitur erit iudex harum controuersiarum? Certè à sola sacra Scriptura non possumus petere, inquiunt, remedia horum malorum. Quęrendus est igitur præter Scripturam alius medicus, qui sine longis ambagibus sua authoritate, & executione in pœnis compescat alteram partem. Hæc profectò magnam habent speciem. An non putatis quotidie aures magnorum regum in Papatu personare his vocibus? Et quidem in consiliis Regum & Principum hæc acuuntur.

Ad pacem] Puritas doctrinæ est anteferenda paci & concordiæ (sed durum est dissentire ab iis quos amas & colis) iuxta dictū Marci 9: Retinete salem (Sal est puritas doctrinæ, quę prohibet putrefactionem) & concordiam. Et Zachar. 8: Diligite veritatem & pacem.

Cœtum scholasticum] Plerunque scholastici sunt pauperes, ideo confertur Ecclesia egeno cœtui scholastico.

Excerpere] Psalm. 2, Postula à me &c. Et psalm. 16: Sanctis qui sunt in terra, omnis voluptas mea in eis. Item, Funes ceciderunt mihi in amœnis. Etenim hæreditas præclara est mihi.

Prædicabunt] Duæ personæ loquuntur in psalmo 2, Pater æternus, & Filius coæternus missus ad Ecclesiã. Aeternus Pater dicit: Ego constitui regem meum, id est, Mesiam super Sion, sanctum montẽ meum. Hæc est vox æterni Patris, Ego vnxi, ordinaui, præfeci Ecclesiæ eũ. Quare non dimouebitur loco, non deiicietur de fastigio regni. Mox sequitur vox Filij ad Ecclesiam: Prædicabo, id est, hæc erit meæ prædicationis summa, Dixit Dominus ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te: & postea sequitur, Dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Videtis Apostolos in maximis periculis hausisse consolationem & precationem ex psal. 2. Ideo debetis eum amare; plus habet in recessu, quàm in fronte promittit.

Anteferenda] Man sagt vulgò, Maior pars cõcludit: de politicis verum est, sed sæpe minor vincit maiorem bonitate caussæ.

De imperio mundano] Act. 1: Domine, quando constitues regnum Israel?

Respondeo] De norma iudicij in Ecclesia. Anno 1557 in colloquio VVormatiensi hæc fuit præcipua quæstio inter nostros & Pontificios de norma iudicij, de κριτηρίῳ, quis deberet esse iudex nostrarum Ecclesiarum. Papistæ contenderunt iudicandum esse de controuersiis dogmatum iuxta Patrum dicta, & decreta conciliorum, & iuxta consuetudinem longi temporis. Nostri acerrimè contenderunt, solum verbum Dei debere esse κριτήριον, hoc est, regulam & normam iudicij, postea suum locum tribuẽdum esse patribus, & Synodis probatis, sicut ostendunt acta illius colloquij.

Dirimit] Deus diiudicat cõtrouersias, quia quicquid non est ex Deo, dissoluetur, & omnis planta, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur. Hierosolyma bis est deleta, primò à Nabuchodonosore rege Babylonico: secundò à Tito Vespasiani filio. Primum excidiũ fuit diiudicatio dura & tragica controuersiæ inter Ieremiam & reges ac Pontifices Iudaicos. Tanta fuit petulantia regis Ioakim, qui fuit vnus ex tribus filiis Iosiæ, vt iusserit comburi librum Ieremiæ. Ita Sedecias postremus rex ante excidium Hierosolymæ, acerrimè aduer-

aduersatus est Ieremiæ. Cùm igitur reges filij Iosiæ, & Pontifices pertinaces non cederent Ieremiæ, qui erat doctor à Deo excitatus, Deus diiudicauit hoc certamen, deleta altera parte. Nam rex Sedecias est abductus in Babylonem, oculis effossis, & in carcere detentus vsque ad finem vitæ, cùm priùs fuisset spectator necis filiorum & consiliariorum. Postremum excidium longè fuit tristius, quia deinceps nunquam instaurari potuit politia Iudaica, iuxta vaticinium Christi & Danielis. Hæ sunt tristes diiudicationes, ac metuendum est, ne Deus etiam in Germania hoc modo certamen dirimat.

Est igitur discrimen] Discrimen iudiciorum Ecclesiæ & politicorum iudiciorum. Supremus iudex & certissimus, & omni exceptione maior, cui contradicere, aut de cuius sententia dubitare non licet, est verbum Dei purgatũ ab omni scoria, ab omnib⁹ & fæcibus & sordibus humanarũ traditionum & opinionum: item sine sophistica intellectum. Sed hic iudex non reiicit consiliarium fidelem, scilicet confessiones piorum incorruptas, quia Deus vult audiri vocem ministerij, sicut alibi audistis, Nisi vitula mea arassetis, non inuenissetis.

Doctrix] Iohann. 4: Non ampliùs propter tuam orationem credimus: Ipsi enim audiuimus, & nouimus, quòd hîc verè sit saluator mundi Christus.

Vtramque partem] Hyperbolæ contrariæ: Dum stulti vitant vitia, in contraria currunt. In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte. Sæpe homines vitato fumo, in ignem incidunt.

Consuetudo] Praua consuetudo est maximus tyrannus. Cicero in Bruto, Prauissima est consuetudinis regula. Quando hodie aulicus interrogatur, Cur tu heluaris? Respondet ille, quia est consuetudo harum regionum.

Seruetus] Vide suprà in Loco de Filio Dei.

Samsonis] Iud. 14.

In Ecclesiis] In cõgregationibus publicis.

Tua Biblia sunt fontes Israel. Sicut enim paradisus irrigabatur quatuor fluminibus ex eodem fonte manantibus in partes diuersas: Ita Ecclesia tanquam hortus cælestis rigatur riuulis horum fontium, scriptorum Propheticorum & Apostolicorum.

Basilius] Quæ hoc loco de patribus sanctis, Græcis & Latinis dicuntur, ea accommodemus etiam ad huius ætatis doctores & scriptores, quanquam optimè meritos de Ecclesia. Non enim debemus imaginari & fingere eos esse sapientiores aliis ætatibus mundi.

Consuetudo sui seculi] Vt fluminum impetus secum abripiunt nauigantes: sic errores temporum trahunt homines, vt minùs improbent præsentia. Cicero in paradoxis: Sed quid ego de me loquor, qui morum ac temporum vitio, aliquantum etiam ipse in huius seculi errore versor? Ita singula secula miscent aliquid contagij, hominum naturæ, quæ in hac imbecillitate nunquam est sine vitiis.

Alius superædificat] Metaphora à materia ædificantium. Vnusquisque ædificat pro sua facultate: diuites qui habitant in foro, extruunt lapideas ædes, pauper in suburbano ædificat vel ligneas casulas, vel luteos nidulos.

Polycarpus] De tyrocinio, militia & morte Polycarpi legatur liber quartus historiæ Ecclesiasticæ apud Eusebium, in quo hæc dicta Polycarpi memoria digna sunt. Magistratui tribuendus est honor, qui non est religioni contrarius. Item octoginta sex annos seruio Christo, & nunquam me læsit: quomodo igitur possum maledicere & blasphemare regem meum, qui salutem mihi dedit? Et in eodem libro recitatur insignis precatio, quam recitauit Polycarpus senex & martyr, impositus ardenti rogo: Deus Pater dilecti Filij tui Iesu Christi, per quem agnitionem tui accepimus, conditor vniuersæ creaturę, te inuoco, te confiteor verum esse Deum, te glorifico per Pontificem dilectum Filium tuum, cum Spiritu sancto, suscipe me, & fac me socium resurrectionis sanctorum tuorum. Amen.

Iohannes Apostolus & Euangelista vixit vsque ad initium Traiani Imperatoris, hoc est, ferè ad 104 annum à nato Christo, ac fuit superstes, interfectis omnibus Apostolis & Hierosolyma deleta. Non autem

autem docuit tantùm in Ecclesia Iohannes, ſed etiam habuit ſcholam in vrbe Epheſo, ex qua prodierunt tria lumina Eccleſiæ, Polycarpus epiſcopus Smyrnæus in Aſia minore, Ignatius Epiſcopus Antiochenus, & Papias, qui gubernauit Eccleſiam in vrbe Hierapoli. Ignatius quidē eſt à beſtiis laceratus Romæ, in circo, regnante Traiano. Polycarpus verò eſt ſupplicio affectus anno Chriſti 170, regnāte Marco Antonino, & Vero fratribus. Hæc fuerunt tyrocinia & rudimenta, & ſtudia iuuenis Polycarpi in ſchola Epheſina, cui præfuit Iohannes Apoſtolus: poſtea vocatus ad gubernationem Eccleſiæ, militauit bonam militiam, refutauit Marcionem, & eius hæreſin de duobus diis, de cauſſa mali: & edidit aliquot monumenta, quæ adhuc fuerunt in manibus tempore Hieronymi, nunc deſiderantur. Sed veniamus ad mortem, quæ valde fuit inſignis, non ſolùm conſtantia Polycarpi, ſed etiam miraculo. Sicut enim tres viri in flammis fornacis Babylonicæ manſerunt incolumes, Erubuêre pios iuuenes attingere flammæ: Ita Deus pepercit ſeni Polycarpo, nec voluit eum comburi igne, ſeu flammis vſtulari. Cùm igitur præfectus videret, non poſſe flammis ſenem Polycarpum abſumi, qui iam ageret annum 90, iuſsit eum gladio transfodi.

Ignis] ſignificat tentationem 1 Pet. 1, & aliâs ſæpe.

Plato] lib. 5 de legibus. Quam vocāt plerique hominum pacem, ea tantùm eſt nomē, ἣν καλοῦσιν οἱ πλεῖστοι ἀνθρώπων εἰρήνην, τοῦτ' ἐστὶ ὄνομα. Interdum pax eſt, pacis fiducia nunquam.

Vnum caput] Chriſtus eſt vnus Monarcha in Eccleſia.

Euangelio] Omnis obedientia, quæ debetur hominibus, habet ſuas metas.

Non cernuntur ab impiis] Pſal. 45, Gloria filiæ regis intus eſt.

Quòd non euertuntur] Pſal. 84: Pergunt de victoria in victoriam, vt appareat in Sion Deus. Pſal. 118: Circumdederunt me omnes gentes, & circumdederunt me ſicut apes, quibus ira ſupra modum eſt, ſed in nomine Do-

mini exſcindam eos. Nomen Domini ſignificat verbum & precationem.

Paulus] Act.27.

Parricidam Eccleſiæ] αὐτόχειρα καὶ καταποντιστήν. αὐτόχειρ dicitur, qui manu ſua ſibi necem affert. Καταποντιστὴς, qui ſuffocat, mergit nauem in aquis. Pauſanias ſcriptor Græcus omnes duces belli Peloponneſiaci vocat αὐτόχειρες καὶ καταποντιστὰς τῆς ἑλλάδος.

Sine certa ſede] 1 Cor.4: ἀστατοῦμεν, id eſt, vagamur ſine ſede ſtabili, & domicilium certum non habemus, vt de Chriſto dicitur: Non erat ei locus in diuerſorio. Luc.2, & Matth. 8: Vulpes habent foueas, Filius autem hominis non habet quò reclinet caput.

Exul erat Chriſtus, comites nos exulis huius
Eſſe decet, cuius nos quoque membra ſumus.

Ego vos] Dulciſsima imago Chriſti geſtantis Eccleſiam, tanquam infantulum in ſinu ſuo.

Nolite confidere] Herren gunſt vnd Lerchen gſang / klingt wol vnd wert nicht lang. Eccleſia aut nullam, aut exiguam habet defenſionem in mundo: vt Conſtantinus fouet Eccleſiam, Iulianus opprimit, Valentinianus fouet, frater Valens opprimit. Sic Cyrus & Artaxerxes, V rex Perſarum, fuerunt benefici erga Eccleſiam: Cambyſes, Darius, Hiſtaſpis, & Ochus octauus rex fuerunt Tyranni erga Eccleſiam.

Vitioſi] Præcipuum argumĕtum Donatiſtarum fuit:

Syracides 34 inquit: Ab immundo nihil poteſt mundari:
Multi miniſtri ſunt immundi.
Ergo à talibus nihil poteſt mundari.

Nego conſequentiam: quia eſt fallacia cauſſarum: non enim pendet efficacia miniſterij ex perſona miniſtri, ſed ex ipſo verbo Dei, ſeu promiſsione. Quòd nō poſsimus diſcernere humano iudicio hypocriſin à veritate, teſtatur Deus ipſe 1 Reg.16: Aliter, inquit, homo iudicat, aliter Deus. Homo tantùm ea videt, quæ incurrunt in oculos, Deus autem videt cor. Homo non poteſt acie oculorum aut mentis

ſuæ

suæ, videre motus & latebras cordium humanorum. Deus autem nouit abscondita, scrutatur corda & renes.

Ioan. 3. Aqua] Prosper in Epistola ad Demetriadem virginem. Aliud est, quòd visibiliter agitur, aliud quod inuisibiliter celebratur nec idem est in Sacramento forma, quod virtus, cùm forma humani ministerij adhibeatur obsequio: Virtus autem per diuini operis præstetur effectum. Et de voce doctrinæ, quæ est principalis pars ministerij, Augustinus inquit, lib. 15. de Ciuitate Dei, cap. 6. Spiritus sanctus operatur intrinsecus, vt valeat aliquid medicina, quæ extrinsecus adhibetur. Nisi enim Deus interiore gratia mentem regat atque agat, nihil prodest homini omnis prædicatio virtutis. Et Fulgentius in libro de incarnatione verbi: Frustra exterioribus auribus sonat diuinus sermo, nisi Deus spirituali munere auditũ hominis interioris aperiat. Ioannes Baptista inquiens, Ego baptizo aqua, ille baptizabit Spiritu, nõ tantùm loquitur de baptismo, sed de toto ministerio, cuius duæ sunt partes vna principalis & pręcipua, altera minus principalis. Principalis pars est, vox doctrinæ, quę semper est in Ecclesia, vna & eadẽ. Semper .n. in Ecclesia sonuit & sonare debet, Lex & promissio de Mediatore. Hæc genera doctrinæ nunquam mutantur, à ptincipio vsq; ad finem. Altera pars, minus principalis est, scilicet administratio sacramentorũ, quæ mutantnr propter certas causas, de quibus suo loco audietis. Quare quod Iohannes inquit: Ego baptizo aqua, generaliter accipiatur de toto ministerio, & de singulis partibus. Eamus igitur ordine per partes singulas. Minister sonans vocem Legis & Euangelij quid agit? Est vox clamantis in deserto, parans viam Domino, vt dicit de se Iohannes, hoc est, vt Nazianzenus ait, dat linguam suam accommodato Spiritui sancto. Sed hæc vox clamantis in deserto, parate viam Domino, non esset efficax, si non Filius Dei diceret consolationem ad hominem interiorem: Ego sum salus tua, via, veritas, vita, lux & resurrectio tua. Quòd autem res ita se habeat, testantur dicta Augustini, & Fulgentij. Vnde sumsit Fulgentius hanc phrasin? Auditum interioris hominis. Respondeo, Ex Paulo. Etsi noster exterior homo corrumpitur, seu destruitur, tamen interior renouatur de die in diem. Sequentes igitur hanc phrasin Paulinam de homine exteriore & interiore, dicamus de baptismo & de cœna Domini, Quid agit minister in Baptismo? Adhibet formam à Chri-

ſto inſtitutam, hoc eſt, abluit corpus aqua, cum pronunciatione verborum, Ego baptizo te in nomine Patris, Filij, & Spiritus ſancti, Sed quid agit Spiritus ſanctus in interiore homine? hunc mutat, regenerat, renouat, ſanctificat, & facit, vt fiat noua creatura, nouus homo, & fiat ex vaſe iræ, vas miſericordiæ, & ex Filio iræ, Filius Dei, membrum Chriſti, frater Chriſti, cohæres Chriſti, templum & organum Spiritus ſancti. Sic loquamur de cœna Domini. Quid agit miniſter in Cœna? Adhibet formam à Chriſto inſtitutam, hoc eſt, pronuntiat verba Teſtamenti à Chriſto inſtituta, & diſtribuit panem. Dico panem, quem frangimus, & calicem benedictionis, cui benedicimus, Nam non poſſumus tutius loqui, quàm verbis Pauli. Quid intus agit Chriſtus? Communicat ſuum corpus & ſanguinem. Interior homo manducat carnem Chriſti & bibit ſanguinem eius, alioqui non haberet vitam, ſicut teſtatur Chriſtus Ioan. 6. Qui edit meam carnem, & bibit meum ſanguinem, viuet propter me. Sicut enim ego viuo propter Patrem, ita ille viuet propter me. Et niſi manducaueritis carnem Filij hominis & biberitis eius ſanguinẽ, non habebitis vitam æternam. Intelligatis igitur dictum Proſperi & Chriſti de toto miniſterio, & ſingulis eius partibus, nulla excluſa parte.

Cathedra] Cathedra Moſi ſignificat miniſterium à Deo inſtitutum. Circumcelliones per Africam paſsim ſeditioſè vagati ſunt & à ſe diſſentientes aut interfecerunt, aut malè mulctârunt.

Monaſterienſis] Legite apud Sleidanum. Error nunquam eſt ſolus, ſed eſt fæcunda Mater procreans multas ſoboles. Dato vno abſurdo, ſequuntur infinita.

Polluti benè] Bene & malè viuere, nihil eſt aliud, quàm ſua ſe voce damnare. Proſper in ſententiis Auguſtini. Verum eſt, non pendet dignitas miniſterij ex perſona & moribus miniſtri, ſed tamen dulcis eſt harmonia & concordantia vitæ & morum miniſtri.

Omnes] Nemo ſine vitio naſcitur. Optimus ille qui minimis vrgetur. Horatius. Ita Plinius, qui vitia odit, id eſt, omnes infirmitates, quæ non puniuntur à legibus, homines odit.

Delicta]

Delicta] Scilicet aliena, non nostra.

Tegit] Scilicet coram hominibus, non coram Deo. Est dictum Salomonis, quod citat Petrus in Epistola. Hoc dicto stulti Papistæ abusi sunt.

Vniuersa delicta caritas tegit
Ergo dilectione sumus iusti coram Deo.

Respondeo. Loquitur non de peccatis nostris, sed de alienis, & loquitur non de tegumento coram Deo, sed coram hominibus.

Exaggerare] Iuuenalis, omne animi vitium tantò conspectius in se, Crimen habet, quanto maior, qui peccat, habetur. Hanc sententiam illustrat Plutarchus venustè. Quemadmodum paruus næuus in facie magis offendit spectantium oculos, quàm insignis cicatrix in reliquo corpore: Ita vitia gubernatorum sunt conspectiora, & magis incurrunt in oculos. Difficile est enim in Repub. sustinere personam principis, qui non tantùm oculis, sed etiam auribus seruire cogitur. Nullum dictum aut factum principis potest esse obscurum, vt Cicero inquit.

Cham] Gen. 9, subsannator patris.

Abraham] Gen. 12.

Principalis] Duæ sunt partes ministerij. Principalis est vox doctrinæ, id est, Legis & Euangelij, quæ semper est vna & eadem, inde vsque ab initio, & manebit eadem vsque ad finem. Hæc pars nunquam mutatur: Minus principalis est administratio sacramentorum: Hæc pars mutatur propter certas causas, de quibus Augustinus epistola 5. disputat.

Donum] Donum interpretationis est lumen diuinitus datum, ad dextrè & rectè intelligendum Euangelium & discernendam Euangelij doctinam ab humana & politica sapientia. Huius doni tria sunt adminicula. 1. Asidua lectio & collatio Scripturarum. 2. Experientia spiritualis in pœnitentia, in inuocatione & cruce.
3. Notitia antiquitatis & veterum iudiciorum.

FINIS LOCI DE ECCLESIA.

STVDIOSIS IN ACADEMIA LIPSICA. S. D.

VEMADMODVM hactenus quadriennium ferè in hac Academia Auditoribus meis proposui doctrinam de Filio Dei, & de cęteris articulis, cõgruentem cum Scriptis Propheticis & Apostolicis, & cum tribus Symbolis, Apostolico, Niceno, & Athanasiano: Ita deinceps, Deo adiutore, veram & incorruptam doctrinæ vocem sonabo coram Deo & hominibus, nec vllas opiniones dissentientes à purioris Ecclesiæ vetustæ testimonijs, & à corpore doctrinæ, quod iudicio harum Ecclesiarum receptum est, defendam. Qui igitur volent audire titulum de Sacramentis, ad quem nos ipsa series & continuatio doctrinæ deduxit, ijs hortator sum, vt libellos locorum Theologicorum Domini præceptoris Philippi secum adferant. Hodie enim hora nona, quod faustum & felix sit & nostris studijs salutare, ordiar repetitionem pagellarum, de quibus dixi. Deum precor, vt omnes pij, ac præcipuè docentes, coniunctionem inter se tueantur, & omnibus officijs foueant, quæ decus affert Ecclesiæ, ornat doctrinam, & nomen Dei, & confirmat pios. Benè valete. Die XXII. Ianuar. Anno Christi. 1567.

Victorinus Strigelius.

LOCVS DE SACRAMENTIS.

Præfatio obiter excepta.

QVod Pericles ascensurus in concionem, & de rebus maximis verba facturus, à Dijs fictis & commentitijs precari solitus est, ne quod sibi verbum excideret offecturũ caussæ, quam tunc agebat, aut ipsi Reipub. Idem ego à vero, vno, omnipotente Deo Patre liberatoris nostri IESV CHRISTI, toto pectore & ardentissima voce precor, vt mentem meam & linguam in repetitione tituli de Sacramẽtis, Spiritu sancto suo ita gubernet, ne quod verbum mihi excidat, pugnans cum Scriptura Prophetica & Apostolica, & tribus Symbolis: Apostolico, Niceno, & Athanasiano, & iudicijs purioris vetustatis in Ecclesia, cum quibus congruere iudico rectè intellectum corpus doctrinæ, quòd Ecclesiæ harum regionum graui iudicio acceperunt.

Et quia intelligo crudeles hypocritas, Flacianos, qui verè sunt mendaces & homicidæ, omnes neruos atque vires huc contendere, vt me noua calumnia deformatum opprimant, certum mihi deliberatúmq; est, in hac repetitione tituli, de Sacramentis, imitari exemplũ Augusti Imperatoris, quẽ scribit Suetonius, grauiores sermones, quos habuit cum Liuia vxore & alijs, non nisi ex scripto recitâsse, ne ex tempore plus minúsue loqueretur. Omissis igitur parergis, quibus interdum declarandi caussa vti soleo, tantum percurram pagellas in textu, & sicubi opus fuerit annotatione, eam dictabo, & vtar oratione recta & simplici, quæ poterit intelligi sine commentarijs. Quia in bona caussa non est ludendum perplexitatibus: E contra caussa mala, veluti morbi, sapientibus indiget pharmacis verborum.

Quid sit Sacramentum, & quomodo à verbo differat.

RECtè dixit vetustas: Sacramentum est signum gratiæ. Est enim ritus additus promissioni in Euangelio traditæ, vt sit testimonium & pignus exhibitæ & applicatæ promissionis gratiæ, Sicut autem verbum incurrit in aures, vt feriat corda: ita ritus ipse incurrit in oculos, vt moueat corda. Idem ergo est effectus verbi & ritus. Sicut præclarè dictũ est ab Augustino, tractatu 80. in Iohannem: Sacramentum est verbum visibile, quia ritus oculis accipitur, & est quasi pictura verbi idem significans, quod verbum,

Cur Sacramenta mutata sunt?

Quanquam vox Ministerij eadem est in Ecclesia, inde vsque à primis parentibus perpetua seriæ, & certis testimoniis propagata: tamen externa signa differunt, vt Circumcisio & Baptismus. Mutantur enim, vt nouitas signi, sit commonefactrix de noua instauratione doctrinæ. De hac caussa mutationis Sacramentorum Augustinus in Epistola 1. inquit: Aliis signis pronuntiari Christum, cùm venturus esset, aliis, cùm venisset, annuntiari oportuit.

De finibus Sacramentorum.

Rincipalis finis Sacramentorum est, non tantùm discernere sectas coram hominibus: Sed esse signa voluntatis Dei erga nos addita promissionibus, sicut sigilla adduntur literis. Voluit enim Deus voci suæ addere externas notas, quæ nobis tanquam testimonia essent, scripta in nostris membris, vt nos de promissione commonefacerent, & testarentur verè nos recipi. Sicut autem promissionem fide accipi oportet: ita necesse est fidem in adultis accedere in vsu Sacramentorum. Cùm Abraham circumcideretur, fide statuendum erat, Ecce hoc testimonium Deus de cœlo tibi tradit, vt certò scias te receptum esse propter venturum semen: Et hanc fidem subinde recordatio circumcisionis, quam in corpore gerebat, confirmabat. Facilè autem humana imbecillitas

litas aut negligit, aut prorsus amittit promissionem, sicut Ethnici obliti promissiones datas patribus, relicto principali vsu, retinuerunt ritum: Postea multos errores affinxerunt, videlicet tales ritus esse opera placantia iram Dei, & mereri remissionem peccatorum, etiam ex opere operato, sine bono motu vtentis. Hic error omnibus ætatibus per omnium gentium homines vagatus est. Apud Homerum hac opinione sacrificabant Græci. Apud Iudæos sic docebant Pharisæi. Sic docuerunt & Monachi multis seculis: Missam mereri remissionem peccatorum facienti & alijs, ídque ex opere operato. Hæc opinio mouit hominum animos, vt cumularent tales ritus sine fine. Taxârunt autem hunc errorem Prophetæ & Apostoli, vt Dauid Psal. 50. & 51. Et Ierem. 7. Non præcepi eis de holocaustis, Sed de hoc verbo, dicens: Audite vocem meam, & ero vobis Deus. Et Paulus Rom. 4. negat Iudæos fuisse iustos circumcisione. Quoties igitur de Baptismo, vel de cœna Domini cogitas, simul complectenda est promissio Euangelij, quia hæc sunt totius Euangelij. Et sciendum est, hæc opera non mereri remissionem peccatorum, sed esse testimonia, perinde ac si de cœlo nouis miraculis editis, Deus tibi nominatim promitteret remissionem, ac postularet, vt credamus promissioni diuinæ. Hæc est magna & dulcis consolatio piis agentibus pœnitentiam, nec intelligi potest hæc doctrina à securis hypocritis. Ideò afferendæ sunt mentes dociles, id est, agentes pœnitentiam, & confugientes ad promissionem in Euangelio traditam.

Sicut non potest dici de peccato originis, nisi prius sit tradita doctrina in genere de peccato: ita non potest explicari hæc vel illa species Sacratmenti, nisi teneatur doctrina generalis de omnibus Sacramentis. Quod enim vniuersaliter verum est de genere, idem etiam rectè & sine Sophistica accommodatur ad singulas species.

De Discrimine Sacramentorum veteris & noui Testamenti.



Augustinus epistola 49. Nec quia temporum varietate nunc factum annuntiatur, quod tunc futurum prænuntiabatur, fidês ipsa variata, vel salus ipsa diuersa est, nec quia vna eadémque res alijs, atque aliis Sacramentis vel prædicatur vel prophetatur, ideò alias atque alias res oportet intelligi. Etsi igitur Sacramenta vtriusque Testamenti diuersa sunt: tamen Ecclesia omnium temporum, habet eadem & communia bona, hoc est, idem verbum, eundem Christum, eundem Spiritum, eandem fidem, denique eandem beatitudinem. Nam beneficia Christi pertinent ad vniuersam Ecclesiam, à principio mundi vsque ad finem, iuxta hæc dicta. Hebr. 13. Iesus Christus heri & hodie, idem est in secula. Acto 15. Credimus nos saluari per gratiam Domini nostri Iesu Christi, sicut & illi saluati sunt. 2. Corinth. 4. Habemus eundem Spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi propter quod locutus sum. Iohan. 8. Abraham optauit videre diem meum, & vidit & lætatus est. Iohan. 1. Ex plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia. Ephes. 4. Vnum corpus, & vnus Spiritus, quemadmodum & vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Sed plura testimonia supra collegimus in loco de Discrimine Legis & Euangelij

Cœlesti flamma] Hieronymus in Genesin: Vnde scire poterat Cain, quòd fratris eius munera suscepisset Deus, & sua repudiasset, nisi illa interpretatio vera esset, quam Theodotio posuit? Et inflammauit Dominus super Abel, & super sacrificium eius. Ignem autem, ad sacrificium deuorandum, solitum venire dê cœlo, & in dedicatione templi sub Salomone legimus, & quando Elias in monte Carmelo construxit altare.

Diplomati alicuius Regis aut Principis, quod continet promissionem certorum bonorũ. solet addi sigillum Principis, nec plus exhibetur per sigillum, quàm per Diploma, sed idem significatur

tur & confirmatur vtroque. Sic Deus Rex Regum, & Dominus Dominantium tradidit Abrahæ & semini eius, totique Ecclesiæ promissionem de Messia. Huic promissioni credens Abraham iustificatus est. Genes. 15. Postea verò confirmationis causa additum est sigillum iustitiæ fidei. Genesis 17.

Necesse est fidem accedere] Calix appellatur nouum testamentum Lucæ 22. Et 1. Corinth. 11. quòd est promissio remissionis peccatorum, reconciliationis, & bonorum æternorum: Promissio autem fidem postulat in singulis. Rom. 1. Quare manifestum est applicationem non fieri pro aliis: Sed tantùm fieri applicationem sumenti, qui conuersus fide accipit. Ita sumtio propriè habet rationem sacramenti in his, qui sumunt fide. Nam vsus cœnæ Domini sine fide, qua & beneficia Christi agnoscimus, & vera inuocatio excitatur, vtenti otiosa ceremonia est.

Deinde accedunt alij fines] Duo sunt fines omnium Sacramentorum, publicus & priuatus. Publicus, est distinctio à cæteris sectis: Priuatus est confirmatio fidei, sicut Paulus inquit de Circumcisione: Abraham accepit Circumcisionem, sigillum fidei.

Gratiarum actio] Mementote dictum Cypriani in Sermone de cœna Domini: vbi inquit: Pietas diuidens se inter data & condonata, agit gratias tam vberis beneficij largitori.

Postea de mutua Beneuolentia] In vsu Cœnæ Dominicæ primùm vnimur Christo per fidem, efficimur eius membra, & ille caput nostrum: Secundò vnimur cum cæteris membris Ecclesiæ per charitatem.

De numero Sacramentorum.

AVgustinus duo tantùm Sacramenta noui Testamenti recenset, Baptismum & cœnam Domini. Sic enim in Epistola 18. ad Ianuarium scribit. Primùm itaque tenere te volo, quod est huius Disputationes caput, Dominum nostrum Iesum Christum, sicut ipse in Euangelio loquitur, leni iugo suo nos subdi-

disse, & Sarcinæ leui. Vnde Sacramentis numero paucisſimis, obſeruatione facilimis, ſignificatione præſtantiſsimis, ſocietatem noui populi colligauit, ſicut eſt Baptiſmus, Trinitatis nomine conſecratus: Et communio corporis & ſanguinis ipſius. Et lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 9. Hoc vero tempore poſteaquam reſurrectione Domini noſtri manifeſtiſsimum indicium libertatis noſtræ illuxit, ne eorum quidem ſignorum, quæ intelligimus operatione, graui onerati ſumus, ſed quædam pauca pro multis, eadémque factu facilima, & intellectu auguſtiſsima, & obſeruatione caſtiſsima, ipſe Dominus & Apoſtolica tradidit diſciplina, ſicuti eſt Baptiſmi Sacramentum, & celebratio corporis & ſanguinis Domini.

Hæc loca mementote contra impium decretum Synodi Tridentinæ, quod conſtituit ſeptem Sacramenta.

Sacrificium Deo Spiritus] Hac ſe cõſolatione Bernhardus lethali morbo correptus ſuſtentauit: Vapulem ſanè, quatenus miſerearis afflicti, qui non reperis in me bonum, quod te maneret: Tempus meum perdidi, quia perditè vixi, pro quo quid agam, non habeo, niſi quod cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

Pretioſa mors ſanctorum] Pſal. 116. Bernhardus: Planè inquam precioſa, vt quæ & finis laborum eſt, & conſummatio victoriæ, abitúſque & ianua ad vitam, æternámque ſecuritatem. Idem Bernhardus de impiis dicit: Mors peccatorum peſsima, quorum natiuitas mala eſt, & vita peior.

Et de Iuda inquit Chriſtus: Melius fuerat, ſi hic homo nunquam fuiſſet natus: Cyprianus lib. 3. Epiſtola 25. Quis non pretioſam in conſpectu Dei, & fortiter & conſtanter mortem excipiat, complaciturus eius oculis, qui nos in congreſsione nominis ſui deſuper ſpectans, volentes comprobat, adiuuat dimicantes, vincentes coronat, retributione pietatis paternæ remunerans, in nobis quicquid ipſe præſtitit, & honorans quod ipſe perfecit.

Hoc eſt, vt inquit Auguſtinus: Deus coronat in nobis ſua dona, & ipſe coronatur in nobis.

Amorem

Amorem Christi erga sponsam] Tanti fecit Ecclesiam suam Filius Dei, vt eam vitæ suæ prætulerit.

Sic igitur non tantùm] Vocabulum Sacramenti accipitur aliâs generaliter, aliâs propriè. Generaliter significat omne opus à Deo mandatum, cui addita est diuina promissio. Hac significatione, si volumus vti multò plura, quàm septem erunt Sacramenta. Sed propria significatio tantùm pertinet ad eas ceremonias, quæ constant verbo & elemento, iuxta dictum Augustini: accedat verbum ad elementum, & fit Sacramentum, non quia dicitur, sed quia creditur.

Absolutio] In enarratione D. Philippi in cap. 20. Iohannis, Absolutio nominatur vox Euangelij, confirmata hoc dicto: Quorum remiseritis peccata, &c. Hæc annuntiatio potest fieri, aut in genere pro multis, vt in concione, aut priuatim, cùm singulis credentibus promittitur remissio.

Similes sententiæ] Esaiæ 55. Verbum meum, quod egreditur de ore meo, non redibit ad me vacuum, Sed efficiet omnia, quæ volo. Esaiæ 51. Posui verba mea in ore tuo, & vmbra manus meæ protegam te, vt plantes cælum. Iohann. 20. Sicut me misit Pater, ita ego mitto vos. Manifestum est autem Filij ministerium fuisse efficax: Erit igitur deinceps efficax per alios, ab ipso, aut mandato ipsius, vocatos: Iohan. 15. Ego elegi & posui vos, vt eatis, & fructum feratis, & fructus vester maneat.

Super hanc Petram] Hilarius lib. 6. de Trinitate: Petro reuelauit Pater, vt diceret. Tu es Filius Dei viui. Super hanc igitur Confessionis Petram, Ecclesiæ ædificatio est. Hæc fides, Ecclesiæ fundamentum est.

Basilius qaeritur] Basilius in Epistola ad Italicos & Galicos Episcopos. Euersa sunt veritatis dogmata, confusæ leges pietatis; Ambitio non timentium Deum recipit gubernationem Ecclesiarum, nec aditus est ad honores, nisi per impietatem: Vt quisque est rabiosissimus & audacissimus in lacerandis piis & veris dogmatibus, ita

maximè dignus Episcopi honore iudicatur. Perijt grauitas sacerdotibus conueniens, desunt pastores, qui eruditione gregem Domini pascant. Similis querela extat in fine libri de Spiritu sancto, vbi Episcoporum sui temporis furorem & impietatem depingit, narrans seditionibus & cædibus quæri defensionem malorum dogmatum.

Cùm opes creuerunt] Religio peperit diuitias, & filia deuorauit matrem.

Indocti & ignaui admittuntur] Contra præceptum Matth. 13. Omnis scriba doctus ad regnum cœlorum, profert ex thesauro cordis sui noua & vetera. Et contrà præceptum Pauli 1. Corinth. 4. Hoc in ministro requiritur, vt sit fidelis.

Ritus victimarum significauit Christum] Lege de hac significatione dulcissimum carmen lib. 1. Epigrammatum Domini Philippi Melanchthonis.

Non quærant sibi potentiam] Multi omnibus temporibus nō Christo, sed sibi regna quærunt, publicum bonum simulantes, & de priuato dimicantes.

Pro viuis & pro mortuis] Christus instituit recordationem publicam & priuatam. Hæc nihil ad mortuos pertinent. Ideo manifesta profanatio est fingere oblationem pro mortuis.

Offerre Filium Dei] Contra dictum Hebr. 11. vna oblationc consummauit sanctos. Nec per alios offerri Filius potest, sed ipse sese obtulit Filius Dei, deriuans in se iram æterni Patris, iuxta dictum Iohan: 17. Ego sanctifico me pro eis.

Et sua oblatione mereri] Contra hæc dicta Hebr. 10. Hac voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel: Et Hebr. 9. Semel in consummatione seculorū ad abolenda peccata per hostiam suam apparuit. Et Esai. 53. De Sacrificio Christi dicitur: Postquam

quam posuerit animam suam hostiam pro delicto, videbit semen longæuum.

Sine hoc sacrificio] Contra dictum Roman. 3. Quem proposuit Deus propitiatorem in sanguine suo per fidem.

Pepererunt multiplicem εἰδωλομανίαν] 1. Idolatria est instituere cultum extra verbum, & sine verbo Dei.

Oblatio & applicatio Missæ est talis cultus, qui non habet Mandatum Dei, & pugnat cum institutione Christi.

Ergo talis Missa vere est idolatricus cultus.

2. Sacramenta extra vsum non sunt Sacramenta.

Missa Papistica repugnat institutioni.

Ergo hæc Missa non est Sacramentum, sed horribile idolum.

3. Manifesta idololatria est in circumgestatione, repositione, adoratione panis, quia Christus dicit: Accipite, mandncate.

Ecclesiam alligatam esse] Esaiæ 8. Ad Legem & ad testimonium, quòd si non dixerint iuxta hoc verbum, non erit eis Lux matutina.

Mansit in Ecclesia etiam postea] August. lib. 1. Retractat. cap. 13. Miracula post prædicationem Apostolorum cessârunt, ne anima semper visibilia quæreret & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum nouitate flagrauit.

Vt aliis inseruiamus] Augustinus Epistola 121. Bona valetudo contemnenda nõ est, propter necessarios vsus huius vitæ.

Tantùm est superstitiosa ceremonia] Dicunt enim per istam vnctionem remitti peccata, teste Lombardo lib. 4. sentent. distinct. 23.

Confirmatio Papistica est talis. Sedet suffraganeus in quadam sella in conspectu altaris, & singulos accedentes interrogat, an sint baptizati: Cùm illi respondent se esse baptizatos, quærit postea de nomine imposito in Baptismo: His auditis vngit frontem forma

crucis, oleo, & impingit colaphum dicens: sis huius rei memor. Et sicut in Baptismo sunt testes: Ita hîc etiam adhibentur susceptores, & tandem tertio die abstergitur oleum.

De Vnctione.

Professione Medici fuerunt, vt Esaias] De Esaia res est manifesta: Esai. 38. Cùm Ezechias lethali morbo oppressus esset, & impetrasset longioris vitæ spacium, Esaias tanquam medicus præcepit imponi cataplasma apostemati Regis: Iussit autem imponi ficus, quæ habent vim molliendi.

Superstitio est falsa opinio tribuens rei alicui vim sine verbo Dei, & sine causis physicis.

Vnctio Papistica, nec habet verbum Dei, nec caussas Physicas.

Ergo est ceremonia superstitiosa.

De Baptismo.

HActenus breuiter & simpliciter, addo etiam verè & sine Sophistica, est explicata communis doctrina de Sacramentis omnibus in genere, quæ est fundamentum certum, firmum, & immotum sequentis explicationis de Baptismo & Cœna Domini. Didicistis enim in Dialectica hanc puerilem, sed necessariam Regulam: Quod conceditur de toto genere vniuersaliter, id etiam concedendum est de singulis speciebus: Vt si dicam animal est substantia: Ergo etiam omnis homo est substantia. Nunc sequitur doctrina dulcissima de Baptismo, qui, quod ad testimonium visibile attinet, est clauis, vt ita dicam, qua fores regni cœlorum aperiuntur, seu ianua & aditus primus ad æternam cum Deo consuetudinem. Appellatur enim à Paulo lauacrum Regenerationis & Renouationis in Spiritu sancto. Nam in Baptismo homines nati ex carne, renascuntur per Aquam & Spiritum, & ex homine veteri fit nouus, ex Flio iræ Filius Deo carissimus: Deniq; homo fit non modò frater, sed etiam membrum Christi, qua coniunctione nulla potest arctior & propior cogitari.

De Beneficiis, quæ in Baptismo exhibentur.

Semper omnibus piis in conspectu sint testimonia, quæ magnitudinem bonorum, quæ in Baptismo offeruntur, illustrant.

Ad

Ad Titum 3. Saluos nos fecit secundum suam misericordiam per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum.

Ephes.5, Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet ipsam sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid eiusmodi, sed vt sit sancta & irreprehensibilis.

Galat. 3. Quicunque baptizati estis, Christum induistis] Scilicet imputatione, & præsentia efficaciæ.

Marci vlt. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.

1. Petri 3. Baptismus est stipulatio bonæ conscientiæ erga Deum per resurrectionem Iesu Christi, qui est ad dextram Dei.

His testimoniis diuinæ vocis, addantur duo insignia dicta, vnum Chrysostomi: Alterum Prosperi in Epistola ad Demetriadem. Sic enim Chrysostomus inquit, enarrans Psalmum 72. Benedictus Deus, qui fecit mirabilia solus, qui fecit vniuersa, & conuertit vniuersa. Ecce libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulò ante captiui, & ciues Ecclesiæ sunt, qui fuerant in peregrinationis errore, & iustitiæ, in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantùm sunt liberi, sed & sancti, nō tantùm sancti, sed & iusti: Non solùm iusti, sed & Filij: Non solùm Filij, sed & hæredes: Non solùm hæredes, sed & fratres Christi: non tantùm fratres Christi, sed & cohæredes: Non solùm cohæredes Christi, sed & membra: Non tantùm membra, sed & templum: Non tantùm templum, sed & organon Spiritus. Vides quot sint Baptismatis largitates, & nōnulli deputant cælestem gratiam in peccatorum tantùm remissione consistere. Nos autem honores computauimus decem.

Assuefacite vos ad hanc enumerationem. Christianus homo regeneratur per Baptismū, & credens atque in hac fide perseuerans: 1. Est liber à potestate Diaboli, & ab æterna morte: 2. Est fide iustus propter Christum: 3. Est sanctus: 4. Est Filius Dei, iuxta dictum Iohan.1. Dedit eis potestatem Filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius: 5. Est hæres Dei. 6. Est frater Christi: 7. Est cohæres Christi: 8. Est membrum Filij Dei, qua vt antea dixi, cōiunctione, nulla potest copulatio arctior cogiteri: 9, Est templum Dei. 10. Est

organum Spiritus sancti. Quid potest his beneficiis maius cogitari? Sed quis de his seriò cogitat?

Prosper verò dulcissimè inquit: Dum exterior homo in Baptismo abluitur, mutatur interior, & fit noua creatura, de veteri: [*intelligatur hoc non de substantia, more Flacianorum, sed de Qualitate*] Vasa iræ in vasa misericordiæ transferuntur, & in corpus Christi conuertitur caro peccati. [*Hoc non intelligas Papisticè de Transsubstantiatione, sed Euangelicè de ea copulatione, qua membrum cohæret cum corpore suo.*] De impiis iusti, de captiuis liberi, de Filiis hominum, fiunt Filij Dei.

De his tantis rebus cogitantes militemus præclaram militiam, retinentes fidem & bonam conscientiam, & ambulemus non vt fatui, sed vt sapientes, & lapsi non desperemus, sed redeamus ad Deum, quia baptismus est perpetuum fœdus & testimonium promissæ reconciliationis. Vt enim sapiens & pius gubernator nauis, recipit prolapsos in mare, si ad nauim redeant, freti ipsius bonitate: Ita æternus Pater optima fide præstat promissa, & vult beneficia in Baptismo incoata perficere, si modò abiiciamus propositum peccandi, & fide erecti statuamus gratiam vberiorem, & potentiorem esse peccato.

Baptismus est integra actio] Fons huius Definitionis est dictum Ephes. 5. Lauacrum aquæ in verbo. Item, Accedat verbum ad elementum, & fit Sacramentum.

In nomine Patris & Filij] Theodoretus in Epitome doctrinæ Christianæ: Quia primum hominem non solus Pater formauit, sed etiam Filius & Spiritus sanctus, iuxta dictum Genes. 1. Faciamus hominem &c. Par est, vt etiam recreationis, & quasi nouæ fabricationis socij sint, Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

Supra in loco de Filio Dei audiuistis, quàm firmum testimonium de Diuinitate Filij & Spiritus sancti sumatur ex verbis Baptismi. Prohibet enim Scriptura inuocare aliud, quàm Deum. Ergo & Filius & Spiritus sanctus sunt Deus. Quia Christus iubet Filium & Spiritum sanctum inuocari cum Patre, in verbis Baptismi.

Qui

Qui crediderit & baptizatus fuerit] Christus præponit fidem, & postea ponit Baptiſmum. Sic Eunuchus Acto. 8. à Philippo audit cùm diceret: Ecce aqua, ſi credas ex tote corde licet. Non vult eum baptizare, niſi credat. Non dicit: Baptiſmus prodeſt tibi, ſiue credas, ſiue non. Et Cyprianus libro 2. Epiſtola 2. Quantum fidei capacis affe- rimus, tantum gratiæ haurimus.

Quaſi dicat, Nulla ſit donatio ſine acceptatione. Ego nihil poſſum tibi donare, niſi tu accipias: Ita Deus nihil poteſt nobis donare, niſi fidem capacem velut manum adhibeamus.

Auguſtinus lib. 4. quæſtionum in Numer. Non proſit baptiſmus, ſi deſit fides. Hieronymus in caput 16. Ezechielis: In Eccleſia, qui non plena fide accipiunt baptiſma, non Spiritum, ſed aquam ſuſcipiunt.

Ita Paulus dicit de Cœna Domini: Qui indignè manducat, fit reus corporis & ſanguinis Domini: Item iudicium ſibi accerſit. Ergo non corpus & ſanguinem accipit, ſed fit reus illius & iudicium ſibi manducat, non corpus & ſanguinem Domini.

Ita Abrahæ circumciſio] Bernhardus in Sermone de Cœna, Quæ eſt gratia, vnde per Baptiſmum inueſtimur? Vtique purgatio delictorum. Huius gratiæ Sacramentum prius erat circumciſio, vt originalis rubiginem culpæ, quæ manauerat à parentibus primis, cultellus raderet. Sed veniente Domino, qui agnus eſt, totus mitis & ſuauis, cuius iugum ſuaue eſt, & onus leue, optimè ſatis mutatum eſt, vt inueteratam rubiginē cum vnctione Spiritus ſancti aqua dilueret, & acerbitas illa ceſſaret.

Hinc duo diſcatis. 1. Quod ſucceſſerit Batiſmus in locum circumciſionis. 2. Cauſam mutationis Sacramentorum. Quia Christus non voluit iugum durum & difficile imponere gentibus. Ideo non voluit gentes circumcidi, ſicut ſemen Abrahæ, ſed tantùm baptizari ſine vllo dolore aut acerbitate.

Ego inquit Miniſter] Paraphraſis formulæ Baptiſmi.

Stipulatio bonæ conscientiæ] Omnis obligatio aut contrahitur re, aut consensu, aut verbis, aut literis, Ad obligationem verbalem pertinet Stipulatio. Ein mündliche verpflichtigung/ da man einem ein ding zusagt/ man wölle es thun.

In Stipulatione interrogatio præcedit promissionem, vt sit magis perspicua asseueratio. Visne mihi pro mercede has res Lipsiam transuehere? Volo. Ita in Baptismo, quem Petrus appellat stipulationem, tanquam interroganti Deo, an velimus oblata illa accipere [*Nulla est donatio sine acceptione, Inuito nihil potest donari, sed eripi potest*] & ei credere, Respondemus, Nos velle credere & hunc Deum inuocare, qui se patefecit misso Filio. Talis asseueratio [*Conceptio seu formula verborum*] cùm non est simulata, est vox fidei.

De Significationibus Baptismi.

Meministis Regulam: Vnius rei possunt esse multi fines, sed subordinati.

Videlicet gratiæ] Sacramentum est signum gratiæ, est pictura verbi, & sigillum iustitiæ fidei.

Iter Israelitarum] Allegoricus finis Baptismi commonefactio de cruce.

Cœna Domini requirit fidem] Recordatio enim non est hypocritarũ, sed fidei recordatio.

Vt autem satis fuit] Admonitio necessaria de nõ iterando Baptismo. Sic enim Prosper inquit, sententia 33. Quomodo vterus non potest repeti, sic nec baptismus iterari. Semel tantùm nascimur ex carne & sanguine, sic semel hic renascimur ex aqua & Spiritu.

Peccatum est abuti] Sumitur hæc Maior ex secundo præcepto.

Dauidi] Consolatio sumta ex Baptismo.

De

De Baptiſmo Iohannis & Apoſtolorum.

Hactenus dictum eſt, quid ſit Baptiſmus, & quæ beneficia in eo exhibeantur: Item de non iterando Baptiſmo, denique quanta conſolatio proponatur, in perpetuo fœdere Baptiſmi. Nunc ſequitur diſcrimen inter Baptiſmum Iohannis & Apoſtolorum, de quo multæ ſunt argutæ diſputationes apud ſophiſtas ſcholaſticos. Summa autem veræ doctrinæ hæc eſt. Differunt perſonæ Chriſti & Iohannis: Nam Chriſtus non tantùm eſt Doctor, ſed etiam Agnus Dei tollens peccata Mundi, id eſt, victima pro genere humano, & Mediator & Propitiator, quem Deus propoſuit in ſanguine ſuo per fidem. Rom. 3. Iohannes verò, Apoſtoli, & reliqui doctores ſunt tantùm miniſtri vocis Euangelij, ſicut Iohannes de ſe inquit: Ego ſum vox clamantis in deſerto. Sed Miniſterium doctrinæ & Sacramentorum vnum & idem eſt, in vocatione Iohannis, & reliquorum doctorum. Omnes enim veri doctores non tantùm prædicant pœnitentiam, ſed etiam remiſsionẽ peccatorum, iuxta dictum, Luc. vlt. prædicate in nomine meo pœnitentiam & remiſsionem peccatorum. Ex his veriſsimis fundamentis ſequitur Concluſio, quòd Baptiſmus Iohannis non tantùm fuerit Baptiſmus pœnitentiæ, ſed etiam remiſsionis peccatorum.

Quod aliqui dicunt] Lombardus & eius interpretes lib. 4. diſtinctio. 2.

Lucas] Cap. 3.

Marcus] Cap. 1.

Sicut inquit] Matth. 3. Item Iohan. 1. Ex plenitudine eius, id eſt, ex merito & efficacia Chriſti.

Externum miniſterium] Proſper in Epiſtola ad Demetriadem. Aliud eſt quod viſibiliter agitur, aliud quod inuiſibiliter celebratur, nec idem eſt in Sacramẽto forma, quod virtus, cum forma humani Miniſterij adhibeatur obſequio, virtus autem ad diuini operis præſtetur effectum. Ad cuius vtique potentiam referendum eſt, quòd dum exterior homo abluitur, mutatur interior.

Conſiderate quæſo ordinem ſanctiſsimi Miniſterij in Eccleſia, cuius duæ ſunt partes. Principalis pars eſt doctrina; Minus Principalis eſt Adminiſtratio Sacra-

mentorum. Quando Minister sonat vocem Euangelij, infunditur vox in aures hominis interioris. Filius autem λόγος dicit consolationem in corde, & in auribus hominis interioris & dicit. Ego sum salus tua : Ego sum vita tua & Resurrectio. Ac nisi Filius Dei hoc modo in tuo corde diceret consolationem, omnis externa prædicatio esset otiosa & inanis. Idem dici potest & debet verissimè de duobus Sacramentis. Dum in Baptismo homo exterior abluitur manibus ministri: Interea homo interior renouatur & regeneratur à Spiritu sancto, hoc est, vt dicit Baptista. Ego baptizo aqua, scilicet, tanquã minister huius Sacramenti. Ille verò Christus baptizabit vos Spiritu sancto. Idem fit in cœna Dominica. Minister porrigit panem & vinum. Christus pascit animam suam corpore & sanguine suo. Quia corpus Christi & sanguis eius, non est cibus ventris, sed est cibus animæ, est cibus mentis, Sicut canitur: **Christus will die Speise seyn/ vnd speisen die Seel allein/ der Glaub will keins andern leben.**

De baptismo infantium.

A Paulo] Ephes. 1.

Christi regnum] Matth. 7.

Ex fructibus eorum] Ex manifestè falsis dogmatibus: Pellis ouium est simulatio hypocritica sanctitatis & iustitiæ. Fructus autem docentium est genus doctrinæ. Pellis est communis doctorum & auditorum, fructus est doctorum tantùm.

Ex multarum veterum sectarum furoribus] Augustinus tractatu 9. in Iohannem, Deus sinit tàm tetra in opinionibus & moribus accidere, vt eius vbique sint tremenda iudicia, & in comparatione impuræ nequitiæ dulcescat purissima disciplina, atque illi det honorem, timorem autem vel pudorem sibi, qui in hæc mala vel illo regente non cecidit, vel illo indè leuante surrexit.

Non frustra dicitur Psalmo 2. Exultate cum timore. Hoc dictum repetit Paulus Philipp. 2. Cum timore ac tremore operamini salutem vestram. Est enim ingens beneficium Dei non permittentis, vt in errores incidamus, vel efficientis vt iis implicati iterum resurgamus.

Ideo negant licere]

Errores Anabaptistarũ contra secundam tabulam Decalogi.

Sicut duplex est vita, Alia spiritualis, alia ciuilis: Sic etiam duæ sunt tabulæ decalogi. Prima igitur tabula tradit præcepta de vita spirituali erga Deũ. Secunda tabula tradit præcepta de vita ciuili erga alios homines. Quicquid est contrarium Legi Dei, ortum est à Diabolo. Non enim Deus volens iniquitatem tu es. Legite Sleidanum de furoribus Anabaptistarum Monasteriensium.

Denique omnes de peccato originis]

Errores Anabaptistarũ contra primam tabulam.

Nullum peccatum solum. Nullus error solus. Error est fæcundus.

Quod autem Baptismus]

Sententiæ Patrum de Baptismo infantium.

Post Scripturam sacram nihil est melius in Ecclesia, quàm pius patrum consensus. Nam primum quodque verissimum est: Adulterinum quodcunque posterius.

Cyprianus]

Lib. 3. Epist. 8.

Hic vixit post natum Christum annis ferè 260. Fuit ergo valde propinquus ætati Apostolorũ. Origenes autẽ fuit illo prior.

Augustinus de Baptismo]

Idem epistola 57. ad Dardanum Episcopum.

I. ARGVMENTVM.

Qui tamen inserti sunt Ecclesiæ]

Vel per Baptismum, vel per inuocationem Filij Dei super eos. Non enim priuatio, sed contemtus Sacramenti damnat. [*Et contrà. Non Sacramentum, sed Fides iustificat.*

Christus inquit]

Marci 10. Prima hypothesis est, quòd non tantùm ad adultos, sed etiam ad infantes pertineat promissio gratiæ:

Certum & hoc est] Altera hypothesis. Extra Ecclesiam non est salus. Vt enim extra arcam Nohæ in diluuio nulli homines seruabantur incolumes: Ita extra hunc cœtum, qui amplectitur Euangelium, nulli sunt hæredes æternæ consuetudinis cum Deo.

Non est aliud Nomen] Acto: 4. Sic non est aliud instrumentum, quo posimus Christum ipsum, & eius beneficia accipere, nisi sola fides.

Hoc argumentum] Epiphonema de certitudine huius argumenti.

II. ARGVMENTVM.

Si sunt sine peccato] Fulgentius in libro de Incarnatione & gratia cap. 14. Qui dicunt paruulos nulla contagione peccati pollutos esse, tribuunt Deo iniustitiam, qui mori facit paruulos. Apostolus enim mortem, stipendium esse peccati affirmat, & aculeum mortis dicit esse peccatum. Non est autem actuale peccatum in paruulis. Ergo hæret in eis originale. [*Hoc argumentum sumtum est à Diuisione generis in species.*

Natura] Natiuitate carnali.

III. ARGVMENTVM.

Signum traditum est propter promißionem]

Sunt enim Sacramenta signa applicationis, id est, testificantia generalem promisionem pertinere ad singulos.

Promisio est Regina & Domina in Ecclesia, cuius Ministræ & pedissequæ sunt Sacramenta, quia sunt signa Euangelij, signa gratiæ, & signa applicationis.

Quod enim Euangelium dicit vniuersaliter: Venite ad me omnes, &c. hoc dicit singulariter Sacramentum: Ego Baptizo te, &c. Accipite & manducate, &c.

IIII. ARGVMENTVM.

Hoc argumentum sumitur ex loco à Genere ad speciem. Quicquid

quid enim vniuersaliter verum est de toto genere, idem valet de singulis speciebus.

Nisi quis Renatus] Iohan 3.. Prosper sententia 149. Qui etiam non percepto regenerationis lauacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad abolenda peccata, quantum si abluerentur fonte Baptismatis.

De hoc Baptismo inquit Basilius in quadam concione de Martyre non Baptizato. Non in aqua, sed in sanguine suo per propriam fidem baptizatus est. Et Nazianzenus in sermone de Baptismo inter alias species Baptismi etiam hanc recenset, quæ vocatur Baptismus sanguinis.

Et Ambrosius de Valentiniano Imperatore inquit: Quem regeneraturus eram amisi: Veruntamen gratiam quam ille poposcit, non amisi. Hæc verissimè dicuntur de eo casu, in quo vsum Sacramenti non contemtus, sed impossibilitas excludit.

Euangelium nullam admittit dispensationem: Sacramenta verò admittunt in casu impossibilitatis, hoc est, ita Sacramenta sunt necessaria, si possunt haberi. Quando autem non possunt haberi, nec contemnuntur, ipsa priuatio neminem damnat, modò sit persona credens, quia fides iustificat, non Sacramentum & contrà non priuatio, sed contemtus damnat.

Sine fide accipientis] Promissio nisi fide accipiatur, est otiosa Rom. 4.

Sacramentum est ceremonia addita promissioni
Ergo hæc ceremonia, sine fide accipientis est otiosa.

Hoc fundamentum perpetua conseruate memoria, quia est adamantinum & inuictum, nec potest expugnari vlla sophistica. De Baptismo inquit Christus: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: Et Philip. Apost. Act: 8. Si credis toto corde, licet baptizari.

De Cœna Domini.

IN hoc loco tractabuntur quator capita: Primum est de forma Institutionis Cœnę Dominicæ. Secundum, Quibus prosit vsus Cœnę Domini. Non enim omnes, qui sunt ex Israel, sunt Israel, id est, non oẽs sunt verè Christiani, qui accedunt ad cœnam Domini: Ergo per

consequens, non omnibus prodest, sed multis magis nocet, sicut Paulus inquit, de indignè manducantibus, quod iudicium sibi manducent. Tertium caput est, qui sint admittendi ad cœnam Domini: Non .n. oẽs sine delectu ad hoc sanctũ cõuiuium sunt admittẽdi, cùm nõ sit cibus vẽtris aut corporis, sed cibus mẽtis & animæ. Dicit autẽ Dominus: Matt. 7. Nolite Margaritas obiicere porcis, aut sanctũ dare canibus. Quartũ caput est, de abusu & prophanatione multiplici Cœnæ Domini, qualis est in regno pontificio. Sed ante horum capitum explicationem proponẽtur quædã προλεγόμενα, quorum summa duobus verbis comprehendi potest. Duplex est finis omnium Sacramentorum, & per consequens etiam Cœnæ Domini. Prior est Publicus: Alter Priuatus. Publicus est, vt sit neruus congregationis in Ecclesia, & prosit ad propagationem doctrinæ. Priuatus est, Confirmatio fidei in singulis credentibus.

Sæpe dictum est]

Collatio creationis & patefactionis, &c.

Quando legitis sacra Biblia, semper hæc Dei beneficia ante oculos versentur. 1. Quòd Deus ante lapsum primorum parentum decretum fecit mirando & inenarrabili consilio de redemtione generis humani, & de restitutione suæ Ecclesiæ collapsæ. De hoc inquit Paulus Ephes. 1. Benedictus Deus, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, & elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem. Secundum Beneficium est, patefactio huius mirandi decreti de nostra salute. Nam Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis, id est, fuit nuncius arcani consilij totius diuinitatis de nostra reparatione. Tertiũ, beneficiũ est cõsignatio huius decreti in libris Propheticis & Apostolicis. Nam vox audita perit, litera scripta manet. Quod igitur adhuc habemus Biblia, id magni precij loco, & ingentis thesauri instar habendum est. Quartum Beneficium est conseruatio horum librorum contra Sophisticam & tyrannidem Diaboli & organorum eius. Nisi enim Deus conseruasset hos libros, nullum apicem de his haberemus. Quintum est, Missio Filij Dei, iuxta illud decretum, de quo Paulus inquit, Galat. 4. Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere. Sextum beneficium est, Propagatio Euangelij in toto orbe terrarum. Fuit enim propagatum per Apostolos, non solum inter Iudæos, sed etiam inter gentes, de quo 1. ad Timoth. 3. dicitur. Magnum est pietatis sacramentum, quòd Deus manifestatus est in carne,

ne, iustificatus in Spiritu, prædicatus gentibus, creditus à Mundo. Septimum, est repurgatio doctrinæ facta singulis ætatibus post Apostolos, vt ætate Augustini facta est per Augustinum, Ambrosium, & alios bonos Doctores, quorum monumenta adhuc extant. Nostra ætate, qualis facta sit, omnibus notum est.

Lapso] Gen. 3.

Nohæ] Genes. 6.

Abrahæ] Genes. 12.

Populum] Exod. 14.

Quæ essent quasi σφραγῖδες] Ergo eadem res signata exhibetur in promissione & in sigillo. Nam sigillum non potest confirmare alquid, quod non nominatur in Diplomate, cui appensum est. Circumcisio teste Paulo, Rom. 4. fuit signum, id est, Sacramentum, vt nos loquimur. Ne quis autem putet illam fuisse signum allegoricum, seu signum, confessionis tantùm: Addit Paulus eam fuisse sigillum iustitiæ fidei, id est, promissionis traditæ ipsi Arahæ, in qua cùm Fide Abraham acquiesceret, iustificabatur. Iam quæritur, vtrũ Abraham plus acceperit per circumcisionem, quàm per promissionem antea traditam, priusquam institueretur circumcisio? Respondeo Pauli verbis, Abraham fuit iustus in præputio, id est, ante circumcisionem. Ergo non propter circumcisionem. Dicat aliquis. Fuit igitur inutilis circumcisio? Non. Sed habet magnas vtilitates. Fuit enim Abrahæ, sigillum confirmans & obsignans promissionem prius à Deo traditam & fidem quæ habebat se correlatiuè ad illam promissionem. Idem dici potest de cœna Domini. Cœna Domini est sigillum & pignus promissionis noui Testamenti. Quia Christus inquit de calice: Hic calix est nouum Testamentum. Ergo non aliæ res aut plures aut meliores tibi exhibentur per sigillum Cœnæ Domini, quàm per ipsum Diploma, id est, per promissionem Euangelij.

Prima] Priuatus vsus seu finis.

Priuata] Nam Sacramentum est applicatio generalis promissionis ad singulos, qui fide vtuntur.

Sicut in dialectica differunt vniuersalis & singularis propositio: ita differunt in Theologia promissio gratiæ & Sacramenta. Promissio gratiæ est vniuersalis, & dicit: Venite ad me omnes, &c. Item, Omnis qui credit in Filium, habet vitam æternam. Hæc est ipsissima & verissima promissio Euangelij. Sed Sacramentum dicit singulariter ad tuam personam credentem: Ego baptizo te: te, inquam, non alium. Accipe & manduca, &c. Hoc fac ad recordationem, &c.

Secunda causa] Publicus finis.

Sunt diuturniores] Segniùs irritant animos demissa per aures, Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus: id est, spectacula incurrentia in oculos magis mouent animos, & faciliùs retinentur, quàm nuda dicta.

Eleusinia] Dicuntur arcana fœdera, quæ fiebant in oppido Atticæ Regionis, quod nominabatur Eleusis.

Exaudiri eam] Psal. 19. In omnem terram &c. Et Psal. 117. Laudate eum omnes gentes.

Conspectior] Psal. 147. Quia non fecit taliter omni nationi, annuntiauit verbum suum Iacob, iustitias & iudicia sua (id est ceremonias & ritus) non manifestauit eis.

In populo Israel fuit promissio de Messia, quæ non fuit apud alias gẽtes. Deinde additi fuerunt promissioni ritus & ceremoniæ, quæ nominantur hic iudicia, phrasi Hebraica.

Iubet] 1. Corinth. 10.

Apostolus Paulus, qui Galat. 1. inquit: se non accepisse Euangelium ab vllo homine, sed immediatè à Filio Dei, & addit hanc exclamationem: Si quis aliud Euangelium prædicauerit, anathema sit, dicturus de Cœna Domini. 1. Corinth. 10. hac præfatione vtitur: Fugite Idola, vt prudentibus loquor: Iudicate vos, quod dico. Quemadmodum enim sapiens gubernator nauis in specula sedens futuras tempestates prospicit: Ita Paulus, plenus luce & sapientia spirituali, vidit non modò secuturam multiplicem prophanationem

nem & abusum Idololatricũ Cœnæ Domini, in misſis funebribus Papiſtarum, in pompa Perſica ſeu circumgeſtatione, in adoratione panis, & repoſitione eiuſdem: ſed etiam quoſdam acerrimè defenſuros eſſe contra mentem Chriſti, carnales imaginationes de Manducatione corporis Chriſti. Ideò non ſolùm tradit ſeueriſsimum mandatum de fugiendis Idolis, ſed etiam proponit ſimul toti Eccleſiæ admonitionem grauiſsimam de vitandis carnalibus imaginationibus, de quibus Iohan. 6. dicitur: Caro non prodeſt quidquam, id eſt, carnalis imaginatio de manducatione Meſsiæ. Addit autem Paulus, vt prudentibus loquor. Vt igitur concioni Paulinæ obtemperem, ita moderabor curſum noſtræ explicationis in declaranda natiua ſententia verborum Cœnæ Dominicæ, vt fugiam vtrumque ſcopulum, videlicet non modò idola pontificia, ſed etiam carnales imaginationes de manducatione corporis & ſanguinis Chriſti Capernaitica, ſiue craſſa, ſiue ſubtili.

De natiua ſententia verborum, quibus Cœna Domini inſtituta eſt.

Vera, pia & ſimplex declaratio verborum Cœnæ Dominicæ traditur à Paulo 1. Corinth. 10. Panis quem frangimus, eſt κοινωνία corporis Chriſti. Calix benedictionis, cui benedicimus, eſt communicatio ſangui nis Chriſti. Vnus panis, vnum corpus multi ſumus. Nam omnes ex eodem pane participamus. Nolo autem vos conſortes eſſe Dæmoniorum. Non poteſtis poculum Domini bibere, & poculum Dæmoniorum. Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe & menſæ Dæmoniorum.

Hæc ſunt verba Pauli, ex quibus ſine ſophiſtica & ſine præſtigiis verborum extruemus claras & perſpicuas conſequentias, quæ ſummam doctrinæ de natiua ſententia verborum Cœnæ Domini complectuntur. Ac ſi cui hæc videbuntur vel breuiora, quàm pro rei magnitudine, vel obſcuriora, vel infirmiora, huic promitto candidè & dextrè interroganti longiorem declarationem & cõfirmationem.

I.

Hæc Paulina declaratio primùm teſtatur, panem non conuerti in corpus Chriſti: quia panis frangitur, corpus Chriſti non

frangitur, iuxta dictum Exodi 12. quod citat Iohan. cap. 19. Ossa eius non comminuetis.

Sic argumentor: Paulus dicit. 1. Corinth. 11. recitans formulam verborum Cœnæ Dominicæ: Hoc est corpus quod pro vobis frangitur. Ergo corpus Christi frangitur. Estne corpus Christi fractum in passione? Non. Quia textus id disertè negat, Iohan. 19. Si igitur in passione & supplicio crudelissimo non est fractum corpus Christi, quantò minus nunc frangitur in Cœna Domini. Nam corpus Christi glorificatum, non est subiectum passioni, aut vlli iniuriæ. Cur autem Paulus ita loquitur, Corpus Christi frangitur? Resp. Panis propriè frangitur, vt Symbolum: Corpus dicitur frangi, non propriè, sed figuratè, phrasi Sacramentali. Nam propter analogiam seu similitudinem, quam habent symbola cum rebus ipsis, & propter copulationem signorum & rerum signatarum, seu, vt Irenæus loquitur, rei terrestris, & cælestis in vero vsu, nomen seu proprietas signi tribuitur signato & econtrà.

Itaque nec transsubstantiationem, nec inclusionem localem corporis Christi in pane recipimus, prorsus ignotam piæ vetustati. Sic enim Theodoretus inquit Dialogo secundo: Nequaquam post sanctificationem, mystica symbola propriam amittunt naturam: manent enim in priore substantia & figura & specie, & cerni ac tangi possunt, sicut antea.

Scio me optima fide expressisse verba Græca, nec quidquã assuisse. Scio enim, quomodo sint vertenda dogmatica, & quomodo declamatoria. Auditis igitur me in prima conclusione disertè & expressè damnare & reijcere Transsubstantiationem, de qua factum est decretum ab Innocentio tertio, pontifice anno Christi 1215. post illud decretum mox exoriri cœpit regnum Turcicum, quod iam aliquot annos grassatum est ad puniendas has labes & idola pontificia. Auditis præterea me reijcere inclusionem localem corporis Christi in pane. Si enim includeretur localiter corpus Christi, necesse esset Christum ibi adorari. Vbicunque enim Christus localiter adest, secundum humanam naturam, ibi necesse est eum adorari: sicut fecit Thomas post resurrectionem, cum ait: Deus meus & Dominus meus.

II.

Deinde Paulus confirmat regulam, quæ euertit plurima idola regni

la regni pontificij: Nihil habet rationem veri Sacramenti extra vsum institutum, Quia disertè dicit, Panis, quem frangimus, calix cui benedicimus, scilicet in vsu instituto. Iure igitur ac meritò damnamus adorationem papisticam panis in circumgestatione, repositione, & Missis Papisticis, siue sint funebres siue venales, quia hæc sunt aliena ab institutione, quæ de sumptione loquitur, non de vllis spectaculis extra vsum institutum.

Dicam iunioribus, quis sit author huius Regulæ, & quantum profuerit hęc regula Ecclesiis nostris contra idola pontificia. Anno 1541. in conuentu Ratisponensi disputauit D. Philippus Melanthon, cum Eccio sophista & adulatore pontificio, de Missa, & in ea disputatione extruxit & confirmauit hanc sentētiam, quæ postea fuit, Est, & erit perpetua Regula Ecclesię: Extra vsum institutum, nihil habet rationē Sacramenti veri. Hac sententia adeò offensus est Eccius, vt cùm præ indignatione largius in Cœna bibisset, eo vesperi calorē febrilem conciperet, nec vnquam postea ad collationem doctrinæ rediit. Granuellanus summus consiliarius Imperatoris Caroli V. audita idolatriæ mentione, quæ facta erat à Philippo, adeò excanduit, vt clamaret: Errare possumus, Idolatræ esse nolumus: Ac Dominus meus Imperator, potius amitteret omnia sua Regna, quàm pateretur se appellari Idolatram. Tantò ardore tunc est res gesta, non semper frigidè actum est. Sic autem intelligere debetis Regulam: Ad vsum institutum hæc tria requiruntur.

1. Ritus à Deo præscriptus.
2. Finis ordinatus seu Legitimus.
3. Fides accipientis, sine qua ceremonia est otiosa, respectu sumentis.

Hanc mentem autoris fuisse confirmabo ex Locis Theologicis, quos iam in manibus habemus. Multi habent in ore verba Philippi, sed parum candidè & dextrè intellecta

III.

Tertio docet in sumtione non esse nuda Symbola, aut tantùm signa societatis in Ecclesia, quia expresse nominat hanc actionem, communicationem corporis & sanguinis Christi, quæ complectitur applicationem beneficiorum Christi, & consociatio-

nem cum ipsius corpore, & efficaciá in his, qui sumunt fide. Nam Filius Dei verè & substantialiter adest. [*Seruata tamen vtriusque naturæ proprietate, & adest non propter panem, sed propter hominem*] applicat sese & sua beneficia communicatione corporis & sanguinis sui, & vult nos credere, quòd verè sua morte meruerit nobis Remißionem peccatorum & iustitiam, & resuscitatus viuat, & nos sua membra faciat, & verè velit in nobis esse efficax, sicut Hilarius inquit: Hæc sumta & hausta faciunt, vt Christus in nobis sit, & nos in Christo, Iohann. 6.

Detestanda est & execranda calumnia, qua multi sancti viri viui & mortui deformantur ab impudentißimis scurris, qui vociferantur, nos tantùm ponere nuda symbola, & signa societatis cum Ecclesia. Quid igitur nominat Paulus κοινωνίαν corporis & sanguinis Christi? Hæc tria. 1. Communicationem appellat applicationem beneficiorum Christi, quæ sua morte & sanguine meruit. 2. Consociationem cum ipsius sanctißimo corpore. 3. Efficaciam. Neque verò ego finxi hanc phrasin, sed extat in 4. Tomo operum Philippi in Formula concordiæ, vbi inquit Philippus, Irenæum & Synodum Nicænam complecti hæc tria: Applicationem beneficiorum Christi ad credentes, & consociationem cum ipsius corpore, & efficaciam in his, qui fide sumunt. Hæc non sunt ex meo effusa cerebro, sed est doctrina, quam omnes fideles approbarunt. Si quis autem vult contraria extruere sine verbo Dei, sit ipse architectus, sed non habeat me fabrum. Videtis igitur, qualis sit calumnia dicere, quòd fingamus nuda signa.

III.

Quartò affirmat Paulus hanc κοινωνίαν fieri SOLA FIDE, quia loquitur de κοινωνίᾳ, qua sumus vnum corpus, & cohæremus vni capiti Christo. Certum est autem incredulos seu infideles non esse membra huius corporis (siue sint hypocritæ, siue Epicuræi. Non est medium inter fidem & incredulitatem.) Sic Cyrillus in defensione Anathematismi vndecimi inquit: Num ἀνθρωποφαγίαν (Capernaiticam manducationem, siue crassam, siue subtilem) nostrum hoc Sacramentum pronuntias? (Non opus est te quærere: An corpus Christi descendat in tuum ventrem: Et

Et irreligiosè ad crassas cogitationes vrges eorum, qui crediderunt, mentes, & attentas humanis cogitationibus tractare, quæ sola pura & inexquisita fide accipiuntur.

Mementote hanc quartam conclusionem contra carnales imaginationes, quales olim fuerunt Capernaitarum, & sunt illorum, qui disputant: Vtrum corpus Christi descendat in ventrem, & conteratur dentibus. Quid est indignius, quàm audire has voces in Ecclesia? Ac ne putetis me odio cuiusquam hæc fingere, dicam quod res est atque veritas. Anno 57. in conuentu VVormaciensi quidam ausus est proponere hanc Quæstionem: Vtrum corpus Christi descendat in ventrem? O rem indignam Ecclesia! Tunc autem locus esset his quæstionibus, si tu, more Capernaitarum, fingeres fieri carnalem manducationem Corporis Christi in cœna.

V.

Quintò, Quòd à solis fidelibus percipiatur corpus Christi, hæc verba Pauli satis declarant: Non potestis poculum Domini bibere, & poculum Dæmoniorum: Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum.

Non est medium inter fidem & incredulitatem. Quia Christus dicit: Qui crediderit, saluus erit, qui non crediderit, condemnabitur. Imò iam condemnatus est. Qui autem est condemnatus, certè non est particeps corporis & sanguinis Christi. Necesse est te adhærere vel Deo vel Diabolo. Nullum est medium. Si non adhæres Deo per fidem, es membrum Sathanæ.

In eandem sentẽtiam scribit Ambrosius lib. 10. Epist. 82. Cum Iudas panem à Christo accepisset, immisit se in cor eius Diabolus (non dicit corpus Christi) quasi possessionem suam vendicans, quasi portionis suæ ius retinẽs, quasi dicens: Non est tuus iste, sed meus, meus certè minister, tuus proditor, meus planè iste est: denique tecum recumbit, & mihi seruit, tecum epulatur & mihi pascitur, à te panem ac

Paulus dicit de indignè manducantibus. Qui indignè manducat, fit reus, nõ dicit, fit particeps corporis Christi, & manducat sibi, non corpus Christi, sed iudicium, non discernens corpus Christi, scilicet à profano cibo. Et Augustinus inquit tracta-

cepit, à me pecuniam, tecum bibit,&mihi tuum ſanguinem vendit. tu in Iohan. 59. Iudas accepit panem Domini, non panem Dominum.

VI.

Poſtremò hæc Pauli concio admonet lectorem de præcipuis finibus Cœnæ Dominicæ, quorum primus eſt, vnio cum Chriſto per fidem. Secundus, Vnio cum membris Eccleſiæ per dilectionem. Nam accedentes ad Cœnam, & conſolationem quærentes credant, ſe hoc pignore cõfirmari, quòd verè ſint membra Chriſti, & ſciant ſe facere fœdus dilectionis cum vera Eccleſia, ſicut Paulus inquit: Vnus panis, vnum corpus, multi ſumus. Hac ſimpliciſsima declaratione, quæ ſine Sophiſtica ex concione Pauli ſumitur, contenti ſimus, reiectis ac repudiatis Geometricis ſpeculationibus, quæ tantùm reddunt mentes prophanas, nõ alunt fidem aut timorem Dei.

Hæc phraſis deſumta eſt ex Ioh. cap. 17. Oro te Pater, vt illi in nobis ſint vnum, ſcilicet per fidem, & inter ſe ſint vnum per charitatem.

Audiuiſtis ſex Concluſiones bona fide & conſcientia coram Deo & Eccleſia extructas ex verbis Pauli, ad quarum copioſiorem explicationem offero me ijs, qui ſunt dociles, & diſcendi cauſſa me interrogabunt. Nam cum aliis rixatoribus nihil mihi erit commertij, niſi cogat me extrema neceſsitas cum eis dimicare. Credo hæc videri quibuſdam maiori animi impetu dicta eſſe, quàm debebat fieri. Sed ſi hoc eſt peccatum, fateor me peccaſſe. Peto autem ab illis, ſi Diis placet, magiſtris Modeſtiæ, vt prius ingentem trabem ex ſuis eximant oculis, & poſtea feſtucam paruam ex mea. Non poſſum res tantas frigidè, & ſine aliquo motu dicere aut ſcribere.

De Primo.

A Matthæo]	cap. 26.
Marco]	cap. 14.
Luca]	cap. 22.
Paulo]	1. Corinth. 11.

Ad

Ad recordationem mei] Loquitur de Recordatione fideli, non de hypocritica. Non enim vult tantùm historiæ memoriam conseruari, sed vult vt hæc beneficia in vsu Sacramenti nobis fide applicemus.

Optima argumenta sunt, quæ ex ipsis fontibus immediatè hauriuntur, nec procul accersuntur aliunde. Dicit autem Christus de calice: Hic calix est nouum Testamentum. Et Paulus inquit: Hoc facite ad mei recordationem. Ex his verbis breuibus, sed valde significantibus rectissimè sumitur consequentia illa, quòd κοινωνία corporis & sanguinis Christi, non aliter quàm fide accipiatur, siue sola fide, quod idem est. Etenim nouum Testamentum est promissio gratiæ: promissio autem gratiæ postulat fidem. Ergo quo instrumento accipitur nouum Testamẽtum, eodem & non alio accipitur Christi corpus: Quia eadem est ratio vtriusque partis in Sacramento, quod ad sumtionem attinet. Non enim aliter cibus manducatur, aliter potus bibitur, sed quo bibitur instrumento, eodem manducatur. Deinde verba: Hoc facite ad mei Recordationem, non loquuntur de historica fide tantùm, seu de notitia passionis & resurrectionis, sed de applicatione, qua applicat sibi quisque beneficia, quæ Christus meruit sua morte & resurrectione.

Ministerium] id est, per hanc actionem.

Naturali participatione] Hoc multi præposterè intelligunt contra mentem & sententiam Cyrilli. Si quis autem habet Cyrillum, legat totam explicationem cap. 15. Ibi inueniet expressas citationes dictorum Iohan. 6. & Pauli, 1. Corinth. 10. & 6. Ex his dictis extruitur sententia Cyrilli, quæ non debet intelligi contra Scripturam, sed iuxta Scripturam. Quemadmodum enim bonus Architectus non inflectit normam ad lapidem, sed accommodat lapidem ad normam: Ita intelligamus Cyrillum iuxta Scripturam, quam citat, & non affingamus ei nostras imaginationes.

Enarratio dicti Cyrilli de naturali participatione.

Cùm Cyrillus enarrans xv. caput Iohannis citet dicta Scripturæ de capite & membris, & de vite ac palmitibus, quæ extant 1. Corinth. 6. & 10. Item Iohan. 6. & 15. facilè ex horum locorum

dextra collatione & interpretatione, sententia Cyrilli æstimari potest. Loquitur enim de copulatione [*Hæc est illa naturalis participatio*] qua inserimur corpori Christi, seu massæ assumtæ: Sic tamen, vt nulla fiat naturarum commixtio. Nostra enim & Christi coniunctio non miscet personas, vt ait Cyprianus in sermone de Cœna Domini. Porrò de hac propositione: *CHRISTVS HABITAT IN NOBIS*, illa Nazianzeni sententia teneatur: κατοικεῖ χριϛὸς ἐν ταῖς καρδίαις, οὐ κατὰ τὸ φαινόμενον, ἀλλὰ κατὰ τὸ νοούμενον. Id est, Habitat in nobis, non secundum apparentem naturam, id est, secundum carnem, sed secundum inuisibilem, id est, κατὰ λόγον. Vide Nazianzenum, Epistola priore ad Cledonium.

Λόγος Filius Dei habitat in suo corpore vel templo, vt ipse loquitur, Iohan. 2. σωματικῶς, teste Paulo, Coloss. 2. id est, personaliter & inseparabiliter: Ita vt λόγος & caro sint vna persona, & λόγος nunquam discedat à carne assumta, ne in ipsa quidem morte: Idem λόγος habitat in singulis sanctis per fidem, teste Paulo Eph. 3. Habitat Christus in cordibus vestris, (in interiore homine) per fidem. Nam præsentia τοῦ λόγου in sanctis non est personalis, qualis præsentia est in carne assumta, de qua dicit Iohannes, Verbum caro factum est. Iam dicat aliquis: Si λόγος habitat in nobis tantùm per fidem in homine interiore (Sic enim loquitur Paulus, cuius sermonem, vt credo, tutò possumus imitari.) Quomodo possumus esse participes corporis & sanguinis Christi? Respondeo: Per insertionem. Sicut enim palmes inseritur viti, ita & membrum corpori Christi, quod tamen intelligendum est dextrè & candidè, non de confusione aut mixtione substantiali. Nam λόγος habitans in suo corpore modo singulari, & habitans in sanctis, efficit illam mirandam coniunctionem, quam vocat Cyrillus naturalem participationem, quæ est arctissima nostri copulatio cum Christo. Quæ enim vni tertio cohærent, inter sese cohærent. λόγος habitat in sua massa seu templo, & in nobis habitat credentibus. Ergo copulat nos non tantùm ipsi λόγῳ, verùm etiam naturæ suæ assumtæ.

Hilarius ait] Lib. 8. de Trinitate. Quid ais tu Hilari, Audes tu allegare 6. caput Iohann. de Cœna Domini, quæ nondum fuit tùm instituta? Ego

Ego putabam ibi Iohannem loqui de manducatione Spirituali, & tu detorques hoc caput ad peregrinam sententiã de Cœna Domini? O magnum & ingens delictum! quod nõ potest expiari, ne in tauro quidẽ Phalaridis. Omnes sancti Patres Gręci & Latini intellexerunt hoc ca. 6. Ioh. de cœna Domini. Contra. Tamen cœna Domini tunc nondũ fuit instituta? Quasi verò possit exigui temporis interuallũ aliquid mutare in re tãta. Nónne agnus Paschalis occisus est ab origine Mundi, & tamen post annos 4000. mortuus est? Certissimum est Christum Ioh. 6. loqui de re Sacramenti. Quoties enim repetit hæc verba: Qui bibit sanguinẽ meum: Qui edit carnem meam, &c. Deinde in eodem capite expressè & perspicuè sine vlla obscuritate reiicitur ἀνθρωποφαγία, duobus argumentis. Primum sumitur ab inutili, Caro non prodest quicquam, id est, carnalis imaginatio de carnali manducatione. Secundum ab impossibili. Si videbitis Filium hominis ascendentem, vbi erat prius. Id est, Ego collocabo meum corpus ibi, vbi tui dentes & tuus venter non poterunt meum corpus attingere, aut morsu arrodere.

Cum] Dic mihi: Est ne Christus in Iuda? Non. Sed Diabolus est in Iuda. Quomodo enim posset Christus esse in proditore, in hoste? Idem de omnibus incredulis dici potest, siue sint hypocritæ, siue Epicurei. Ergo Christus est in nobis per fidem. Hoc est illud gluten, quod accenditur à Spiritu sancto, & per Spiritum sanctum.

Membra] Hæc est Naturalis participatio.

Indignè] Id est, fit reus. Jn meiner Grammatica heist Reus nicht particeps. Kanstu es anders finden/ tunc argue me mendacij.

Reus erit] Increduli siue indigni non fiunt participes, sed rei [*Hæc sunt Pauli non mea verba*] corporis & sanguinis Christi, quia non discernunt hunc sacrum cibum à prophano, nec adferunt fidem & timorem Dei, nec statuunt, hunc cibum institutum esse, vt coniungat nos cum Christo, vera & viuifica consociatione.

Sic Augustinus tractatu 59. in Iohan. inquit: Illi manducabant panem Dominum: Ille [*Iudas*] panem Domini contra Dominum. Illi vitam, ille pœnam [*id est iudicium*]. Et Prosper sentent.

339. Escam vitæ accipit, & poculum vitæ bibit, qui in Christo manet, & cuius Christus habitator est. Nam qui discordat à Christo, nec carnem eius manducat, nec sanguinem bibit, etiamsi tantæ rei Sacramenta ad iudicium suæ præsumtionis quotidie indifferenter accipiat.

Sic argumentantur aliqui. Paulus dicit 2. Corinth. 2. de Euangelio: Nos sumus odor bonus, alijs vitę ad vitam, aliis mortis ad mortem. Respondeo. Euangelium est potentia Dei ad salutem. Cui? Omni. Cui omni? Credenti. Ita credenti Euangelium est bonus odor vitæ ad vitam. Sic Cœna Domini est tibi credenti cibus vitæ, & potus vitæ. Sicut Euangelium est Iudæ & omnibus hypocritis odor mortis ad mortem. Quia non accipiunt Euangelium fide (Hæc est enim causa reatus & pœnæ, quia non accipiunt Euangelium fide, quia magis amant tenebras quàm lucẽ.) Sic cœna Domini est odor mortis ad mortem, & facit hominem reum corporis & sanguinis Domini, non propter perceptionem, quæ non cadit in hoc genus hominum, sed propter contemtum & contumeliam.

Iudicium] Iudicium significat pœnam, phrasi Hebraica. Sic accipitur Ioh. 6. Multi resurgent ad iudicium, id est, ad pœnam. Ioha. 3. Non veniet in iudicium, id est, mortem non videbit. Quid autem magis est dissimile corpori Christi viuifico, quàm pœna & mors æterna?

Multæ] Collatio signorum iræ Dei.

Sudans in horto] Bernhardus sermone tertio de natali Domini: Ex consideratione remedij, morbi mei æstimo quantitatem.

Item,

Agnosce homo, quàm grauia sint vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem & quidem ad mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur.

Et Prosper in concione de ingratis: (Pelagianis)

Hoc igitur precio captiui cùm redimuntur,
Agnoscant, quali conclusi carcere, quóue
Obsessi fuerint morbo, quibus eripiendis
Succurri haud aliter potuit, quàm morte medentis.

Huc

Huc vsque peruenit in explicatione Locorum Theologicorum D. Victorinus Strigelius, Lipsiæ die VII. *Februa. anno Christi,* M. D. LXVII. *Cùm quidem duabus lectionibus deinceps absoluere constituisset, quæ ad explicandum reliqua erãt in textu Philippico de Cœna Domini. Sed quorundam artibus impeditus, facto hîc fine quieuit: Nec diu post, insidias* τῶν ψευδαδέλφων *metuens, Ambergam se contulit: vbi paucis mensibus hospes commoratus, honorifica vocatione accersitus est in scholam Heidelbergensem: In qua cùm in annum alterum docuisset, die* XXVI. *mensis Iunij, Anno Christi 1569, cùm paucis diebus aduersa valetudine laborasset, & eo ipso die phlebotomià vsus esset; Domino nostro Iesu Christo ardentibus precibus animam commendans, placidißimè inter manus coniugis & amicorum exspirauit: Postquam vixisset annos* XLIIII. *menses* VI. *Docuisset in præcipuis Germaniæ Academiis, inter mirandos fortunæ casus, annos ampliùs vinginti tres.*

CAVSAE, PROPTER QVAS REIICIENDAE SVNT CARNALES IMAGINATIONES, de manducatione corporis Christi orali, & præsentia ad locum panis,

SCRIPTAE

A D. VICTORINO STRIGELIO, ut se præpararet ad disputationem de articulo Cœnæ Domini.

PRIMA CAVSA.

Negans proprietates essentiales naturæ humanæ, negat naturam.

Est autem proprietas essentialis corporis humani, circumscribi loco. Quia corpus intelligi sine loco non potest, vt ait August. Epistola 57. ad Dardan. Spacia locorum tolle corporibus, nusquam erunt, & quia nusquam, nec erunt.

Ergo ponens vbiquitatem, aut multubitatem corporis, negat eius naturam & veritatem.

Maiorem probo: quia proprietatibus, quibus naturæ discernuntur, confusis, ipsæ naturæ confunduntur aut tolluntur.

I. λύσις.

¶ λόγος assumsit humanam naturam.

Ergo propter vnionem personalem caro Christi est vbique, aut in multis locis simul.

RESPONDEO.

In Symbolo Chalcedonensi dicitur. Profitemur vnum & eundem Iesum Christum Filium & Dominum vnigenitum, in duabus naturis, inconfusè, immutabiliter, indiuisè, inseparabiliter, haudquaquam naturarum differentiam vnione tollente, sed proprietatem potius vtriusque naturæ conseruante. Theodoretus oratione 6. de curatione græcarum affectionum. Assumtio carnis naturas non confundit, sed vtraque natura syncera permansit. Fulgentius de Incarnat. In Christo Dei vnigenito Filio, personam non diuidunt propria naturarum, neque vnitas personæ potest vtriusque naturæ propria confundere vel auferre, quia personalis vnitas in eo diuisionem non recipit, & vtriusque naturæ veritas inconfusa persistit.

II. λύσις

¶ Christus post resurrectionem habuit corpus glorificatum.

Ergo corpus Christi propter glorificationem est vbique, aut simul in multis locis.

RESPONDEO.

Christus resuscitatus carni suæ immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Habet igitur corpus Christi glorificatum quam priùs habuit circumscriptionem, vt verißimè dixit Theodoretus Dialogo secundo, pag. 37. Plura testimonia de hac sententia quære in meis ὑπομν. Coloss. 3.

III. λύσις.

¶Si corpus Christi non est vbique, aut simul in multis locis, sequitur solutio vnionis hypostaticæ.

RESPONDEO.

Non diuidimus vnionem, cum quæ sunt naturarum propria consideramus, vt ait Theodoretus in dialog. 3. Huc etiam pertinet Symbolum Chalcedonense, & dictum Fulgentij supra citatum.

SECVNDA CAVSA.

Quicunque ponit vbiquitatem, aut multubitatem corporis Christi, negat articulum de ascensione Christi in cælum.

Defensores carnalium imaginationum de manducatione corporis Christi, ponunt aut vbiquitatem, aut multubitatem.

Ergo negant articulum de ascensione Christi in cælum.

Maiorem probo: quia Ascensio humanæ naturæ est localis, vt nō solùm dicta Scripturæ, sed etiam piæ vetustatis sententiæ testantur. Dicta Scripturæ quære in ὑπομν. cap. 3. Coloss. Sententiæ piæ vetustatis ex multis hæ sunt. Tertull. de Trinit. Non ibi ante homo fuit, sed illuc ascendit, vbi non fuit. Descendit autem Dei verbum, quod ibi fuit. Cyprian. in expositione Symb. Aposto. Ascendit ergo ad cælos, non vbi verbum Deus antea non fuerat, quippe qui erat semper in cælis, & manebat in Patre: Sed vbi verbum caro factum antea non sedebat. Athanasius in disputatione contra Arrium: Eius est ire

& venire, qui aliquibus locorum terminis circumscribitur, & eum in quo erat locum deserens, ad eum vbi non erat, veniebat. Cæterùm verbi diuinitas vniuersa implens, nullis locorum terminis separatur, sicut nihil est vnde discedat, ita nihil est, quò veniat. Fulgentius lib. 3. ad Thrasymach. Idem atque inseparabilis Christus secundum totum hominem, quem accepit, terram localiter deserens ad cælum ascendit. Vigilius lib. 4. Caro Christi, quando in terra fuit, nõ erat vtiq; in cælo, & nũc quia in cælis est, non est vtique in terra, & in tantum non est, vt secundum ipsum, Christum speremus venturum de cælo, quem secundum verbum nobiscum esse credimus in terra. Hæc est fides & Confessio catholica, quam Apostoli tradiderunt, martyres corroborauerunt, & fideles nunc vsque custodiunt.

I. λύσις:

¶ Ephes. 4. Idem est qui ascendit & descendit. Sed descendit ἀμεταβάτως, id est, sine loci mutatione.

Ergo etiam ascendit ἀμεταβάτως.

RESPONDEO.

Theodoretus enarrans caput 4. ad Ephes. sic inquit: Non alius descendit, sed vt paucis dicam: aliter descendit & aliter ascendit. Cum enim descendisset incorporeus, ascendit cum corpore. Descensus autem nõ significat aliquam à loco in locum transitionem, sed docet dispensationem magnitudinis: Quòd cùm esset altissimus, se adeo abiecerit, & tantam humilitatem sustinuerit. Et Fulgentius de incarnatione: Christus, qui est super omnia Deus, videntibus eum discipulis, carne de cælo venturus ascendit, qui nec deseruit cælum, cum in terra carnem accepit, & carne conscendens in cælum, suos in terra diuinitate non deseruit.

II. λύσις.

¶ Matth. vlt. Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.

Ergo corporaliter nobiscum, quamuis inuisibiliter, versatur.

Respon-

RESPONDEO.

Augustinus sermone 60. de verbis Domini. Semper quidem diuinitate nobiscum est, sed nisi corporaliter abiret à nobis, semper eius corpus carnaliter videremus, & nunquam spiritualiter crederemus.

Fulgent. ad Thrasymundum. lib. 2. Quomodo ascendit in cælum, nisi quia localis & verus est homo? Aut quomodo adest fidelibus suis, nisi quia idem immensus & verus est Deus.

Vigilius lib. 1. Vide miraculum, vide vtriusque proprietatis mysterium: Dei Filius secundum humanitatem suam recessit à nobis, secundum diuinitatem suam ait nobis: Ecce ego vobiscum sum. Si nobiscum est, quomodo ait, veniet dies, quando desiderabitis vnum diem Filij hominis, & non videbitis? Sed & nobiscum est, & non est nobiscum: quia quos reliquit, & à quibus recessit humanitate sua, non reliquit aut deseruit diuinitate sua. Per formã enim Dei, quæ non recedit à nobis, in terris præsens est nobis: per formam serui, quã abstulit nobis in cælum, absens est nobis: tamen & præsens & absens ipse vnus idemq; est nobis, &c.

III. λύσις.

Dextra Dei est vbique.
Christus sedet ad dextram Dei secundum vtramque naturam.
Ergo Christus secundum vtramque est vbique.

RESPONDEO.

Nego consequentiam: quia argumentum procedit ex puris particularibus. Maior enim non est completè vniuersalis. Quidquid est ad dextram Dei, est vbique. Nam Christus secundum vtramque naturam sedet ad dextram, seruatis naturarum proprietatibus.

TERTIA CAVSA.

Omne, quod pugnat cum vera doctrina de Sacramentis, est repudiandum.
Carnalis imaginatio de manducatione corporis Christi, repugnat veræ doctrinæ de Sacramentis.
Ergo hæc imaginatio repudianda est.

Minorem probo: Quia carnalis imaginatio transformat signum in rem signatam, vel coniunctionem relati-

uam in physicam. Alij enim fingunt μετυσίαν, alij Identicã prędicationem, alij ponunt signata cum signis in eodem loco, & eundẽ motũ attribuunt signatis quę habẽt signa. Iam verò constat, Vnionem Sacramentalem esse relatiuam, id est, talem, in qua signo tribuitur signati nomẽ, & simul suo vtrumq; modo credentibus exhibetur. Vt autem intelligatur, quid sit vnio Sacramentalis, hoc exemplo vtar: Cuicunque legitima electione traditur sceptrum, eidem simul traditur regnum, sed vtrumq; suo modo. Sceptrum traditur regi in manus. Regnum verò nõ includitur sceptro localiter, sed suo modo trãsfertur ad Regem. Ita spirituales res non tantùm pinguntur Sacramentis, sed etiam simul exhibentur omnibus, qui signis iuxta institutionem vtuntur, tam certò, quàm vident & sentiunt se symbolorum fieri participes. Quare hæc formula: Cum pane datur corpus Christi, sic accipienda est, quòd panis non vertatur in corpus Christi, neque corpus Domini localiter includatur in pane, vel lateat in pane, & quòd manducatio, quę fit ore corporis, pani propriè competat, corpori verò Domini non nisi ob Sacramentalem vnionem tribuatur. Et huic Sacramento nihil ex opere operato assignetur. Hanc sententiam confirmat Augustinus sermone secundo de verbis Apostoli: Tunc corpus & sanguis Christi erit vita vnicuique, si, quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur & bibatur.

QVARTA CAVSA.

Quicquid aduersatur interpretationi Christi & Pauli, reiiciendum est.

Carnalis imaginatio de manducatione corporis Domini, aduersatur interpretationi Christi & Pauli.

Ergo reijcienda est.

Mino-

Minoris probatio. Christus Iohannis VI. duobus argumentis vtitur, reijciens carnalem imaginationem de mãducatione Messiæ: quorum vnum ab inutili ducitur, alterum ab impossibili, non philosophico, sed Theologico. Caro, inquit, non prodest quicquam: Spiritus est qui viuificat. Significat autem hoc loco carnis appellatio, non carnem Christi, quæ est viuifica, & quia meruit nobis vitam, & quia λόγῳ viuificanti vnita est: Sed carnales imaginationes de manducatione Messiæ. Item: Hoc vos offendit? Quid si igitur videritis Filium hominis ascendentem eò vbi erat prius? Hæc verba Athanasius in concione: Quicunque dixerit verbum, &c. sic enarrat: Quot hominibus corpus eius suffecisset ad cibum, vt vniuersi mundi alimonia fieret? Sed propterea ascensionis suæ in cælum mentionem fecit, ut eos à corporali intellectu abstraheret, ac deinde carnem suam, de qua locutus erat, cibum è supernis cælestem & spiritualem alimoniam & ab ipso donandam intelligerent. Quod enim locutus sum uobis, inquit, Spiritus est & uita: quod perinde est ac si diceret: Corpus meum, quod ostenditur & datur pro mundo, in cibum dabitur, ut spiritualiter unicuiq; tribuatur, & fiat singulis tutamen, præseruatióque ad resurrectionem uitæ æternæ.

I. λύσις.

¶ Caput 6. Iohannis non concionatur de cœna Domini. Ergo intempestiuè accomodatur ad sacramentalem manducationem.

RESPONDEO.

Primùm omnes Græci & Latini intellexerunt concionem huius capitis de cœna Domini. Ac vt cæteros breuitatis causa omittam, Augustinus lib. 3. de consensu Euangelistarum sic inquit: Iohannes de corpore & sanguine Domi-

ni hic nihil dixit, (id est, institutionem mysterij non recenset) sed planè alibi multò vberius hinc Dominum locutum esse testatur. Deinde certum est Christum de re Sacramentali Iohannis 6. locutum esse, videlicet de carne & sanguine suo. Nec verò naturam & exhibitionem rerum spiritualium, vel signorum accessio, vel quæcunque causa mutare potest. Postremò, quæ Christus Iohan. 6. destruxit, ea nequaquam in cœnæ institutione instaurauit.

II. λύσις

¶ Panis vocatur corpus Christi.
Ergo nulla interpretatio perspicuis verbis Christi addenda est.

RESPONDEO.

Sicut calix est nouum testamentum: ita panis est corpus Christi. Est autem calix signum incurrens in oculos, seu testimonium & pignus exhibitæ nouæ promissionis, quæ pollicetur non terram Canaan, sed spiritualia, cælestia, atque æterna bona credentibus. Ergo panis est corpus Christi, id est, res externa & visibilis, quæ testatur credentibus applicari beneficia Christi, & consociari eosdem cum corpore Domini tanquam membra, & Christum in eis efficacem esse. Eadem est sententia verborum Pauli 1. Corinth. 10. Panis quem frangimus, est κοινωνία corporis Christi: Calix cui benedicimus, est κοινωνία sanguinis Christi. Vtitur enim Spiritus sanctus his organis ad excitandam & fouendam fidem, quæ sola nos cælestium bonorum consortes facit.

QVINTA CAVSA.

Primum quódque verissimum est, adulterinum quodcunque posterius, vt præclarè Tertul. inquit.
Est autem carnalis imaginatio de manducatione corporis Christi prorsus ignota Græcis & Latinis scriptoribus, qui uixerunt ante initia regni Pontificij.
Ergo carnalis imaginatio est adulterina.
Minoris confirmatio:
Ad hanc me offero, quocunque tempore à me postulabitur.

SEXTA CAVSA.

Seuerissimè præcipitur: Fugite idola.

Qui

Qui autem defendunt carnalem imaginationem de manducatione corporis Christi, stabiliunt idola Pontificia.

Ergo hæc imaginatio fugienda est.

Minorem probo: Si vera est corporalis præsentia in pane, necessariò sequitur adoratio Christi, alligata ad locum panis. At hanc esse idololatricam, nihil dubium est. Ergo illa præsentia corporalis in pane, est inane commentum, stabiliens præcipuum idolum in regno Pontificio.

SEPTIMA CAVSA.

Nemo communicet peccatis alienis.

Defensores & patroni carnalis imaginationis, de qua sæpè dictum est, deformant fratres calumniis, & sitiunt eorum sanguinem.

Ergo nemo debet his peccatis communicare.

Minoris confirmatio.

Primùm enim vociferantur: Fratres, quos ipsi Sacramentarios nominant, tantùm niti Philosophicis argumentis, quæ partim sumantur ab impossibili, partim ab absurdo, non quidem Theologico, sed Philosophico tantùm. Hanc verò calumniam euidentissimè refutant scripta piorum & doctorũ virorum. Ergo tales clamatores aut ignorantes aut scientes mentiuntur: Ignorantes, si non legerunt alterius partis scripta: scientes, si legerunt. Quantum autem mali sit, tùm in affectata ignorantia, quæ temerè & impudenter aliquid affirmat, tùm in voluntario, quis non videt? Deinde quòd sitiant fraternum sanguinem, & martyrum rogos vel struant vel inflamment, declarant ipso facto: quia innocentes homines indicta causa, perpetuis præiudicijs conde-

mnant, & tyrannis hoc prætextu trucidandos obijciunt. Dura est hæc oratio, sed res multò durior.

OCTAVA CAVSA.

Athanasius in Epistola ad Episcopos Africanos inquit: Quis cum eis conuenire possit, qui ne secum quidem conueniunt. Qualis autem sit consensus inter Theologos, manducationem corporis oralem statuentes, res ipsa me tacente loquitur. Alius enim pro fundamento suæ opinionis ponit commētum de vbiquitate; & affirmat vbiquitate ruēte totum ædificium ruere. Alius vrget τὸ ῥητὸν in verbis cœnæ, contra interpretationem Christi & Pauli, & cōtra articulos pręcipuos in Symbolo Apostolico. Quidā reuocationē Berengarij pro sua confessione hominibus obtrudunt. Deniq; Theologi, qui alteram partem accusant & condemnant, non magis inter se congruunt, quàm horologia aut Cadmei fratres. Vana est igitur gloriatio de consensu, præsertim cum ipsi fateantur, non posse cum altera parte agi, nisi priùs sarta inter socios concordia.

NONA CAVSA.

Fugiens lucem malæ causæ patronus est.

Defensores carnalis imaginationis de manducatione corporis Christi, fugiunt lucem legitimæ cognitionis, quæ non potest fieri sine colloquio & disputatione.

Ergo metuunt id, quod in versu dicitur: Causa patrocinio non bona peior erit.

Hæ causæ satis graues & iustæ sunt, cur reijcienda sit carnalis imaginatio de manducatione corporis Christi, de quibus iudicium omnibus pijs & candidè iudicantibus permitto.

RESPON-

RESPONSIO AD ARGVMENTA POPVLA-ria, quæ ab ijs afferuntur, qui oralem corporis Christi manducationem statuunt: Idq́; propriè & sine figura loquendo.

I.

Non est quærenda διάνοια in dictis cælestibus, nisi τὸ ῥητὸν incurrat in aliquem fidei articulum.

Τὸ ῥητὸν in verbis cœnæ non pugnat cum articulo fidei.

Ergo non est quærenda διάνοια, in verbis cœnæ.

λύσις.

Nego Minorem: quia interpretatio literalis, contra ῥητὸν sacramentale, pugnat cum duobus præcipuis articulis in Symbolo, quorum alter est doctrina de duabus in Christo naturis, & earum proprietatibus: Alter asseueratio perspicua de locali ascensione Christi in cælum, vt supra in causis luculentè demonstratum est.

II.

Quandocunque Prophetæ & Apostoli eadem de ijsdem dicunt, verba, sicut sonant, intelligenda sunt.

Tres Euangelistæ & Paulus eisdem verbis describunt cœnam Domini.

Ergo retinendum est τὸ ῥητὸν.

λύσις.

Ad maiorem primùm respondeo per instantiam: Tota Scriptura tribuit Deo partes humani corporis, vt verbi causa, aures, oculos, manus, nares, pedes, &c. nec tamen ita τὸ ῥητὸν vrgendum est, vt pugnet cum dicto, quod docet Deum esse spiritualem essentiam: Iohann. 4. Deus est Spiritus, id est, spiritualis essentia, non moles ex cæli aut elementorum materia conflata. Deinde oppono Maiori duas regulas interpretationis: vnam Hilarij: Verba sunt intelligenda de subiecta materia. Alteram Cyrilli: Intentio potius spectanda, quàm vrgenda verba contra dicentis mentem. Instituit autem Filius Dei Sacramentum, inquiens, Accipite, manducate, hoc est corpus meum, &c. Ergo sacramentaliter locutus est, nec condere voluit nouum articulum fidei, sed promißionem Euangelij nouo ritu confirmare. Nota est autem phrasis sacramentalis de circumcisione, Gen. 17. & Rom. 4. & de Paschate, Exodi 12. Intelligantur ergo verba cœnæ iuxta phrasin sacramentalem, hoc est, de ea sententia, de qua loquuntur.

III.

Si in cœna nihil datur nisi panis, sequitur panem pro nobis traditum esse, de quo dicitur: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.

Sed panis non est pro nobis datus.

Ergo non tantùm panis, sed etiam corpus Christi nobis in cœna exhibetur.

IIII.

Si tantùm est in cœna panis, non differt hæc cœna à quotidiano cibo.

Sed differt hæc cœna à cibo physico.

Ergo non tantùm distribuuntur panis & vinum.

λύσις tertij & quarti argumenti.

Hæc argumenta nullam gignunt conclusionem, de qua homines pij inter se disceptent. Omnes enim fatentur, ingens discrimen esse huius mysticæ cœnæ, & cibi ac potus qui nutrit corpora. Nam mystica cœna instituta est, vt coniungat nos cum Christo, vera & viuifica consociatione. Quis autem sanæ mentis vnquam dixit in cœna distribui nuda symbola, aut tantùm signa societatis cum Ecclesia? Quare cùm hæc duo argumenta non pertineant ad scopum controuersiæ, relinquantur ijs, qui pueriles declamatiunculas de rebus minimè dubijs scribere solent.

V.

A dictis Patrum. Irenæus lib. 4. sic inquit: Panis percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena & cælesti.

λύσις.

Vt Paulus inquit: Panis quem frangimus est κοινωνία corporis: Ita rectè dicit Irenæus, Eucharistiam constare ex duabus rebus, terrena & cælesti. Non igitur pugnat hoc Irenæi dictum cum vera sententia, sed eandem potius confirmat.

Aliud.

Irenæus lib. 5. Quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, quæ est vita æterna, quæ sanguine & corpore Christi nutritur, & est membrum eius, sicut & Apostolus ait ad Ephesios: Quoniam membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius? &c.

λύσις.

Sicut membra sumus Christi: Ita caro nostra corpore & sanguine Christi nutritur.

nutritur. Sed consociatio cum corpore Christi fit sola fide. Ergo eodem modo sumus participes corporis & sanguinis Christi, vt præclarè dixit Tertull. in lib. de Resurrect. carnis: Hic panis in causam vitæ appetendus & deuorandus auditu, & ruminandus intellectu, & fide digerendus.

Aliud.

Augustinus in Epist. 118. Placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani priùs dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi.

λύσις.

Manducatio, quæ fit ore corporis, pani propriè competit, corpori verò Domini non, nisi ob sacramentalem vnionem tribuitur. Nam propter rerum & signorum in vero vsu certam exhibitionem sæpè nomen vel proprietas signati, tribuitur signo, & contrà.

Aliud.

Hilarius 8. de Trinitat. Hæc sumta & hausta faciunt vt Christus sit in nobis & nos in Christo: Non dicit, Hæc credita & intellecta spiritualiter.

λύσις.

Talia sunt subiecta, qualia à prædicatis propriè acceptis esse permittuntur. Iam verò constat Christum in nobis & nos in Christo esse per fidem, Eph. 3. Ebr. 3. Iohan. 6. Ergo prior pars propositionis in dicto Hilarij sic intelligatur, ne discrepet ab altera. Non enim ex singulis verbis, sed ex collatione membrorum sententia æstimanda est.

VI.

Filius Dei, qui est verax & omnipotens, hæc dixit: Hoc est corpus meum.

Ergo simpliciter accipienda sunt verba, sicut sonant.

λύσις.

Respondeo ad Antecedens: Filius Dei est verax, siue propriè siue figuratè loquatur. Instituit autem his verbis: Hoc est corpus meum, &c. Sacramentum. Ergo Sacramentaliter locutus est, nec minus verax est in phrasi Sacramentali, quàm in propria locutione.

Ad omnipotentiam quod attinet, non pugnat potentia Christi cum articulis fidei, nec mutat naturam Sacramentorum.

VII.

Christus hæc locutus est paulò ante suam passionem.

Ergo non voluit vti sermone figurato.

λύσις.

Respondeo ad Antecedens: Christus ante institutionem cœnæ, in ipsa institutione cœnæ, & postea etiam, multis figuris vsus est: Nam ante institutionem hac oratione vtitur: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum. Significat Pascha propriè transitum, qui certè manducari non potest. Item: Deinceps non bibam de fructu vitis, donec venerit regnum Dei, quod certè non est cibus & potus, sed iustitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto, Rom. 14. Deinde in ipsa institutione loquens de poculo inquit: Hoc poculum est nouum Testamentum. In his verbis esse figuram, quis non videt? Post cœnam verò institutam hæc verba vsurpat: Edetis & bibetis in mensa mea in regno meo, & sedebitis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel. Item: Nisi te lauero, non habebis partem mecum: Lauate inuicem pedes. Ego sum vitis, vos palmites. Ex his perspicuum est, quàm puerilis sit cauillatio, quam aliqui à circumstantia temporis sumunt, vt negent Christum vsum esse figurato genere sermonis.

VIII.

Auditores, apud quos Christus locutus est, fuerunt simplices.
Ergo simpliciter & propriè & sine figuris Christus cœnam instituit.

λύσις.

De hac puerili obiectione respondet Chrysostomus: phrasis Sacramentalis Apostolis familiariter nota fuit, quia toties audiuerant conciones de manducatione carnis Christi. Ideo intelligebant hîc tanquam in re præsenti illius promissionis institui σφραγῖδα.

IX.

Sacramenta instituuntur proprio & perspicuo, non figurato sermone aut obscuro.
Ergo verba cœnæ simpliciter intelligenda & accipienda.

λύσις.

Quæ sit phrasis Sacramentalis, ex cap. 17. Gene. & 12. Exod. notum est. Non igitur alia quàm sacramentali phrasi vsus est Christus, instituens nouum ritum seu cæremoniam nouam.

X.

Christus nulla interpretatione vsus est, cùm pronuntiaret verba: Hoc est corpus meum.
Ergo nulla interpretatio in verbis cœnæ admittenda est.

λύσις.

λύσις.

Cùm Christus Iohan. 6. luculentè concionatus esset, de manducatione suæ carnis, & acerrimè refutasset carnalem imaginationem de manducatione Meßiæ, nihil opus fuit noua declaratione: quia sciebat Dominus se memores monere, & non condere articulum fidei ignotum Ecclesiæ aut ipsis Apostolis, sed tantùm obsignare doctrinam prius traditam.

XI.

Euangelistæ & Paulus vno ore eadem dicunt.
Ergo τὸ ῥητὸν est retinendum, nec quærenda διάνοια.

λύσις.

Imò hoc tantùm sequitur. Ergo omnium Euangelistarum & Apostoli testimonio constat, Christum Sacramentali phrasi vsum esse. Hoc ergo ῥητὸν, videlicet Sacramentale, retinendum est. Id verò non potest intelligi, nisi adhibeatur διάνοια congruens definitioni Sacramentorum.

XII.

Disertè dicitur: Quod pro vobis datur.
Ergo loquitur de vero corpore.

λύσις.

Hoc argumentum non spectat ad scopum controuersiæ. Quare opponatur ijs, qui negant veritatem corporis Christi, quod illi ipsi faciunt, qui corpus sub pane statuunt, exutum omnibus in vniuersum proprietatibus, imo & carne & oßibus, hoc est, essentia ipsa spoliatum, quale non est pro nobis traditum.

Quæ sequuntur, collecta sunt ex prælectionibus D. Victorini Strigelij in Academia Genensi.

LOCVS DE POENITENTIA.

STVDIOSIS IN ACADEMIA IENENSI.

VM CHRISTVS iubeat in nomine suo prædicare pœnitentiam & remissionem peccatorũ, necesse est totam doctrinam de pœnitentia sæpe in Ecclesia repeti, vt omnibus notissima sit, & semper sit in conspectu. Nam in omni inuocatione quotidie cogitanda est. Sæpe enim nobis obstrepit cogitatio de nostra indignitate. Scimus nos meritos esse pœnas, scimus Deum verè irasci peccatis nostris: Et lex clamitat in nostris singulorum cordibus, pœnas testimonium esse iudicij diuini, quòd à Deo abiecti sint calamitosi. Contra hæc teneatur doctrina Euangelij de pœnitentia, & remissione peccatorum, & de fide. Quanquam sumus indigni, tamen agentes pœnitentiam & credentes in Christum recipimur & iuuamur, sicut scriptum est: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Deinde non dubium est, totum genus humanum, inprimísque Ecclesiam morte & aliis ingentibus calamitatibus oneratã esse, vt reuocetur ad pœnitentiam, nec tantùm expauescat agnitione iræ Dei aduersus peccatum, sed rursum etiam erigatur vera consolatione, quæ est inchoatio vitæ æternæ. Quid dicam de copia plurimarũ & maximarum rerum, quas hic locus continet? Est enim in hoc loco disseren-

ſerendum de beneficiis Filij Dei, de impletione legis, de diſcrimine operum, quæ Deus præcepit, & aliorum, quæ Deus non præcepit, de remiſſione pœnæ æternæ, de diſcrimine remiſſionis culpæ, & remiſſionis pœnarum temporalium, de cauſis afflictionum in Eccleſia. Has tantas res verè & rectè explicari neceſſe eſt. Cùm igitur inuocatio quotidiana, explicationem huius doctrinæ poſtulet, & calamitates publicæ & priuatæ ſint vox legis, de ira Dei nos admonens, & omnes ad pœnitentiam inuitans, denique res ipſæ, quæ hoc loco continentur, cognitione digniſſimæ ſint: hortator ſum iunioribus, vt doctrinam de pœnitentia non ſolùm audiant, & diſcant, ſed etiam ad vſum in Inuocatione & in tota vita transferant. Vtrumq; enim vox diuina affirmat, & vera cõuerſione impetrari mitigationem præſentium calamitatum, & ſine vera conuerſione nulla opera Deo placere. Ordiar autem hunc locum hodiè Deo adiutore. 20. Nouemb. Anno 1555.

Victorinus.

Præfatio in locum de Pœnitentia obiter excepta.

DOctrina de pœnitentia, hoc est, de agnitione peccati, & iræ Dei aduersus peccatum, & de remißione peccatorum, ac de restitutione iustitiæ & vitæ æternæ, donanda propter Mediatorem Filium Dei, propria est & præcipua Ecclesiæ Dei sapientia, quæ quidem semper indè vsque ab Adam in vera Ecclesia sonuit, & deinceps vsque ad resurrectionem mortuorum sonabit. Sæpè autem considerare debemus seriem doctorum, quos Deus Ecclesiæ dedit post primum lapsum, vt cogitemus, quale genus doctrinæ, quos articulos tradiderint. Ex hac consideratione capiemus fructum amplißimum, eum videlicet, vt hoc ipsum genus doctrinæ, quod Prophetæ & Apostoli & eorum auditores semper in mundo circumtulerunt, maiore diligentia & studio audiamus, amplectamur, & ad exercitia pietatis transferamus. Primùm autem meministis, Deum ipsum incoasse statim post lapsum primorum parentum in Paradiso prædicationem pœnitentiæ & remißionis peccatorum. Cùm enim lapsi essent primi parentes horribiliter, & excußissent maxima dona sapientiæ, iustitiæ, libertatis, & ipsum Spiritum sanctum, gubernatorem mentis, voluntatis, & cordis, & incidissent sua culpa in mortem & pœnas æternas, Deus inenarrabili bonitate & misericordia motus, prodijt ex arcana sua sede, & se rursus patefecit generi humano, principiò quidem arguens peccata terribili voce sua, qua audita necesse est omnes creaturas expauescere. Nec dici potest, quàm animo consternato fuerint primi parentes, sonante Deo terribilem hanc accusationem: Adam meus vbi est? Sed ne perirent miseri homines, & abijcerentur inter Diabolos, id quod meriti erant, Deus patefecit arcanum decretum de reconciliatione

tione & redemtione generis humani, de restitutione iustitiæ, & de vita æterna danda propter semen, quod esset destructurum potentiam Diaboli, & sanaturum nostra vulnera. Hanc concionem pœnitentiæ & remißionis peccatorum incoatam in Paradiso ipsius Dei voce & ministerio, postea semper in Ecclesia propagarunt & illustrarunt perpetuis concionibus Prophetæ, Baptista, Filius Dei ipse, Apostoli & eorum discipuli, ac doctores alij omnes, alij puriùs & clariùs, alij languidiùs. Sed tamen omnes, qui fuerunt membra veræ Ecclesiæ, habuerunt aliquid lucis de re tanta, hoc est, de agnitione, & remißione peccatorũ. Hanc seriem doctorum & ipsum genus doctrinæ considerantes, moueamur & excitemur, vt ipsi quoque non solùm audiamus, doceamus, discamus, sonemus concionem de Pœnitentia, sed etiam quantum fieri potest, adiutore Deo transferamus doctrinam saluberrimam ad vsum, in tantis periculis, quæ vndique noctes atque dies nos circumstant. Nam Deus concionatur generi humano de pœnitentia, non modò verbo, sed in camo etiam & freno maxillas impiorum constringit & pios ad pœnitentiam reuocat per pericula publica & priuata. Quare vt apud Sophoclem Oedipus ait, Ipsum tempus & ærumnæ docent me patientiam: Ita nos his periculis (quibus vita nostra, quæ verè versatur in media morte, circumdata est) excitemur ad discendam & exercendam doctrinam de pœnitentia.

Collatio doctrinæ sonantis in nostris Ecclesiis de Pœnitentia: & errorum in regno Pontificio.



TSi ingens multitudo adeò ferrea est prorsus, vt neq; attendat, neq; cōsideret, quantū beneficiū sit, quòd Deus Ecclesiæ senescēti puram Euangelij doctrinam restituit: tamen pij cogitantes de caligine, quæ annis superioribus in Ecclesia fuit: Deo æterno Patri Domini nostri Iesu Christi gratias agant pro hac Euangelij luce, quæ monstrat veram inuocationem, & firmam consolationem animorum, & normam vitæ. Si quis enim negat tantas in Ecclesia tenebras fuisse, quantæ quondam eruptione Æthneorum ignium finitimas regiones obscurauisse dicuntur, vt per biduum nemo hominem homo agnosceret, is non solùm testimoniis optimorum virorum refutari potest, sed etiam libris Monachorum, qui adhuc extant. Ac vt de aliis erroribus, qui lucem doctrinę obscurarunt, nō dicam, quis sine lachrymis recordari potest infinitam confusionem, & inextricabiles Labyrinthos disputationum de Pœnitentia?

Virgilius in Georgicis laudans agriculturam, & bona eius enumerans, exclamat: O fortunatos nimium, sua si bona norint, Agricolas! &c. Eodem modo nos iure ac merito possumus exclamare, ô beatos nos, qui fruimur tanta doctrinę luce & perspicuitate! O miseros, qui tanta bona, quæ Deus senescenti Ecclesiæ dedit, aut ignorant, aut aspernantur, aut certe non magnifaciunt, vt par erat! Sæpè auditis in Dialecticis hanc vocem: Ex priuatione possunt & debent æstimari habitus. Dulcia non meminit, qui non gustauit amara, inquit Poëta. Sic plerisque nostrum non videtur tanta res esse repurgatio doctrinæ, quanta perfectò est, quia sumus ignari tenebrarum & errorum, qui non ante multa secula Ecclesiam penè obruerunt & oppresserunt. Nam anno Christi 1517. eousque processerat furor & impudentia Papistarum, vt circumferentes venales indulgentias, non dubitarent hæc encomia falsissima & impudentissima addere: Si

tu de-

tu dederis vnum grossum sacrificulo, aut monacho circumferenti tales thesauros Papæ, mox liberabitur à peccatis anima tua. Imò si tu violasses pudicitiam diuæ virginis, tamen pro vno & altero grosso posset tibi dari venia. Hac impudentia ad summum fastigium perducta, impulsus & irritatus reuerendus vir D. Lutherus, proposuit quasdam sententias de indulgentiis, quæ quales sint, potest ex primo Tomo librorum ipsius cognosci. Neque tamen eo consilio, aut intentione, vt vulgò dicunt, proposuit illas ad disputandum, vt quidquam decerperetur de dignitate Romani Pontificis, aut aliquid mutaretur de genere doctrinæ, sed tantùm ideò, vt resisteret aliquomodo clamoribus impiis & falsissimis de indulgentiis. Sed præter opinionem, & voluntatem quoque Lutheri factum est diuinitus, vt paulatim crescente luce fidei in ipso, non modò hunc articulum illustraret, sed etiam multas alias partes doctrinæ repurgaret, & reiiceret cōstanter Labyrinthos disputationum, qui tunc erant in Scholis & Ecclesiis, denique totam Lernam Papatus adoriretur. Ab anno igitur 17. vsque ad 30. tanta accesio lucis facta est per Dei gratiam, vt de tota doctrina & singulis articulis confessio perspicua coram senatu totius Imperij exhiberetur, quæ adhuc Dei beneficio extat inuicta, & manebit vsque ad resurrectionem mortuorum. Cogitate autem, quantùm lucis exiguo tempore Ecclesia nacta sit, qua nunc Dei beneficio fruimur, & quam læti aspicimus.

Quemadmodum enim Tragœdiæ constant Protasi, Epitasi, & Catastrophe: Ita tres actus Pœnitentiæ à Pontificiis doctoribus constituti sunt, Contritio, Confessio, & satisfactio. Et in primo quidem actu finxerunt inextricabilia deliramenta: oportere contritionem sufficientem esse, & hanc mereri gratiam seu remissionem peccatorum.

Vt intelligat iuuentus, quomodo ignoratio veræ doctrinæ de Pœnitentia præbuerit causam tot sectis & ordinibus Monasticis, recitabo exempli causa originem sectæ Carthusianæ, quæ seueritate vitæ & morum duricie aliis omnibus antecellit. Eam historiam legi Friburgi Brisgoiæ in pariete quodam depictam, quæ sic se habet.

Parisiis in Gallia fuit quidam Theologus, præstans doctrina & pietate, qui in tanta fuit opinione sanctitatis ac iustitiæ, vt dicerent homines vulgò, neminem posse saluari, si hic non saluaretur. Is euocatus est ex hac vita. Habuerat autem discipulos aliquos, in quo-

rum numero erat vnus, Bruno nomine. Cum igitur homines conuenissent ad deducendum funus & sepeliendum, ibi Diabolus extulit caput mortui in pheretro, & edidit per ipsius os hanc vocem, Iusto iudicio Dei sum citatus. Hac voce enuntiata, iterum quieuit cadauer. Homines pauore consternati rei nouitate & insolentia, differunt sepulturam. Altero die rursus conueniunt. Ibi denuò erecto capite Diabolus hanc vocem emisit per os mortui: Ego iusto iudicio Dei sum accusatus. Tertio die, ne longiùs immoremur isti fascinationi Diabolicæ, hæc vox audita est: Ego iusto iudicio Dei sum condemnatus. His præstigiis Bruno & reliqui discipuli consternati, cùm existimarent, ideò magistrum suum esse damnatum quòd in aliquo splendore fortunæ, & inter homines vixisset, cogitare cœperunt de secessione ex mundo, & asperrima exercitia disciplinæ sibi ipsis irrogarunt, sicut profectò si vlli sectæ esset aliquid tribuendum, Carthusiana, quod ad aspera & dura exercitia attinet, facilè primas partes obtinet. Potuit autem Diabolus præstigiis eiusmodi dementare animos, ignaros veræ doctrinæ de pœnitentia, & de modo saluationis nostræ.

Cum autem nemo sciat, quando contritio sit sufficiens, necesse fuit homines assentientes doctrinæ huic Dæmoniorum perpetuò dubitare, an haberent remissionem peccatorum, & an placerent Deo. Hæc carnificina conscientiarum multipliciter impediuit fidem & inuocationem.

In secundo actu flagitarunt enumerationem singulorum delictorum, ac præsertim arcanorum, & tria horribilia mendacia addiderunt. Primum, quòd enumeratio mereatur remissionem peccatorum propter ruborem & verecundiam: Alterum quòd recitatio necessaria sit, vt posit indici satisfactio. Tertium, quòd remissio pendeat ex conditione enumerationis, quam dixerunt diuinitus præceptam esse. Hæ tres opiniones falsæ sunt, & obscurant gloriam Filij Dei, & sunt laquei conscientiarum, vt constat, multos ambigentes, an satis purè confessi essent, in magnis mœroribus fuisse. Talis dubitatio fidem & inuocationem impedit, & aut desperationem aut Epicuræum contemtum gignit.

Restat tertius Actus de satisfactione. Hic verò habuit infinitos labyrinthos. Finxerunt remitti quidem culpam propter contritionem

tionem & confeßionem: Sed pœnas æternas mutari in pœnas temporales, & harum partem remitti poteſtate clauium, partem redimendam eſſe ſatisfactionibus. Vt autem Chriſtus in hac tota fabula eſſet muta perſona, & ſepultus ſine honore iaceret, quinque gradus ſatisfactionum conſtituerunt. Quorum primus complectebatur opera non debita, id eſt, non mandata lege Dei, ſed opera ſupererogationis, vt verbi cauſa, peregrinationes, roſaria, ieiunia certorum dierum, &c. Secundus gradus erat cooptatio in collegium Monachorum, quæ vulgò Fraternitas nominabatur. Etſi enim non omnes ſe illis ſodalitiis Monachorum adiungebant, tamen plerique magno ære redimebant merita talium ſodalitiorum, & poſt mortem cucullis ſepeliebantur, quò facilior ipſis ad cælum pateret aditus. Nam de his cœtibus hypocritarũ perſuaſum habebant pleriq;, ídq; inhæſitanter credebant, ſic eos bonis operibus affluere, vt riuulis meritorum redundantium, aliorum hortulos irrigare poſſent. Hæc non fingi à nobis teſtantur exempla literarum, quæ adhuc in promtu ſunt.
Tertius gradus continebat merita ſanctorum, qui ex hac vita diſceſſerant. In hoc gradu ius ſuum Pontifex Romanus exercebat, qui non gratis, ſed certo precio diſtribuebat indulgentias, quas quidem affirmabat eſſe applicationes meritorum, de quibus dixi. Sed hæ præſtigiæ & vaniſsima ſomnia relinquebant animos in dubitatione. Etſi enim Papa melleum guſtum indulgentiarum hominibus præbebat, tamen hunc guſtum paulò poſt infuſo aceto corrumpebat. Quia in Bullis, vt vocant, ab ipſo editis, hæc formula verborum continebatur: Nemo ſperet ſe percepturum eſſe fructum indulgentiarum, ſine contritione & confeßione ſufficienti.

Quartus gradus erat ignis purgatorius, quem ſic amplificabant, vt dicerent, eum tantò ardẽtiorem eſſe igne naturali, quantò naturalis ardore ſuo pictum ignem ſuperat. Apud Longobardum lib. 4. diſtinct. 20. hæc deſcriptio purgatorij extat. Ignis purgatorius, etſi æternus non eſt, miro tamen modo grauis eſt. Excellit enim omnem pœ-

Cogitate qualis hæc ſit conſolatio miſerarum conſcientiarum. Ego Friburgi adoleſcens vidi furem ſuſpendi. Cùm autem eſſet laqueo collum inſeren

nam, quam vnquam patitur aliquis in hac vita. dum, fiebat collatio pecuniarum, vt post ipsius mortem fierent missæ funebres. Erat igitur hęc præcipua sacrificulorum consolatio, qua miserum hominem erigere volebant: Vide, quàm liberaliter conferunt homines ad animam tuam redimendam ex purgatorio. Sis igitur bono animo. Nam istis misis paulò post liberabimus animam tuam ex igne purgatorij.

Nunquam in carne tanta inuenta est pœna, licet mirabilia martyres paßi sint tormenta, & multi latrones horrenda sæpe sustinerint supplicia. In tales impostores, qui miseros homines ex fumo in ignē, & ex Charybdi in Scyllam præcipitant, verè competit illa acerbißima querela Andromaches, quam scelerate Menelaus deceperat: ô dignißimi odio Sophistæ, & execrandi ab omnibus hominibus, dolosi mendaciorum architecti, malè pereatis.

Postremus gradus satisfactionum erant vigiliæ & missæ funebres. Vt enim corui cadaueribus pascuntur: Sic Monachi & sacrificuli fructus amplißimos ex mortuis capiebant. Denique infinita res est commentum de satisfactionibus.

Ex arca Noë emissa fuit columba & corui. Qua imagine significatur discrimen doctorum: Quorum alij sunt columbæ afferentes ramum oleæ, id est proponentes salutarem & necessariam consolationem pijs. Alij verò corui, id est, mercatores propriarum vtilitatum, qui gaudent cadauerum rapinis, nec redeunt ad arcam.

Quis autem non toto pectore cohorrescat, cogitans de tantis & tàm horrendis tenebris, quæ non solùm carnificina conscientiarum fuerunt, sed etiam extinxerunt lucem doctrinæ de Filio Dei, de vera conuersione, de fide, de Inuocatione, de veris cultibus? Fuit enim ignota hæc consolatio necessaria omnibus: Quomodo conuersus ad Deum sit iustus, & placeat Deo. Testes huius asseuerationis sunt libri, qui inde vsque à trecentis annis in multorum manibus versantur.

Nunc autem in Ecclesiis nostris Dei beneficio extat illustris explicatio doctrinæ de Pœnitentia, quam singuli homines quotidie in inuocatione debent cogitare. Semper enim obstrepit inuocanti

uocanti hæc tristis concio: Peccatores Deus non exaudit. Huius obiectionis refutatio sumenda est ex doctrina de Pœnitentia, quæ affirmat in conuersione seu Pœnitentia oportere existere in animis hominum veros pauores & dolores, ortos ex agnitione iræ Dei aduersus peccatũ: Et rursus erigi animos fide, id est, fiducia misericordiæ, monstratæ in promißionibus propter Mediatorem fide gratis, non propter contritionem aut alia opera.

Etsi autem hæc imbecillis hominum natura nequaquam potest satisfacere Legi Dei: tamen docemus, agentes pœnitentiam, & fide erectos inchoare dilectionem & obedientiam, & habere iustitiam bonæ conscientiæ. Neque tamen iustos esse, id est, reconciliatos & acceptos ad vitam æternam, propter legis impletionem, sed propter Mediatorem fide.

Sententia illa Monachorum, affirmans Legem posse ab homine impleri, non tantùm est horribilis contumelia aduersus Filium Dei, sed etiam subsannatio & irrisio Diaboli, deridentis hanc imbecillitatem naturę nostræ.

Hac fide seu fiducia iustificati pacem habemus, & per mortem, non transimus ad purgatorium, sed ad vitam, in qua Deum sine peccato & morte agnoscemus, & perpetuò celebrabimus. Pro hac igitur luce doctrinæ Deo gratias agamus, quantas maximas animi nostri capere possunt, & gratitudinem declaremus in confeßione, & studio conseruandæ huius puritatis, qua extincta nec discrimen est inter Ecclesiam & alias sectas, nec consolatio est alia, retrahens nos ex morte æterna, nec inuocatio vera fieri potest,

INDEX CAPITVM, QVAE IN LOCO de Pœnitentia explicantur.

CAPVT PRIMVM.

ISraelitæ reuersi ex Babylone, vna manu ædificabant instaurantes templum & vrbem: altera præliabantur cum hostibus vicinis, qui instaurationem politiæ Iudaicæ omni contentione impedire conabantur. In hac historia imago proposita est doctorum in Scholis & Ecclesiis. Hos enim necesse est vna manu ædificare, & altera præliari cum hostibus, hoc est, oportet pios doctores, non solùm proponere veram sententiam de rebus necessariis, sed etiam instituere refutationes corruptelarum veterum & recentium, idque ob hanc causam, vt puritas doctrinæ segregata ab omnibus fecibus humanarum opinionum conseruetur & propagetur. Idem nobis est faciendum in hac amplissima & vberrima doctrina de pœnitentia. Nam priusquam accedamus ad Methodicam explicationem Pœnitentiæ, duæ opiniones fanaticæ & perniciosæ refutandæ sunt. Quarum prior confirmat in animis hominum prophanam securitatem, altera auget desperationem. Sunt enim & fuerunt, qui dicerent renatos ex aqua & Spiritu non posse iterum labi, nec lapsos amittere gratiam & dona Spiritus sancti, etiamsi perseuerent in delictis contra conscientiam. Tales sunt nostra ætate Libertini, & multi ex Anabaptistis. Sed post Apostolos circa annum Christi 260. extiterunt duo fanatici Spiritus, alter in Aegypto Meletius, alter Romæ

mæ Nouatus, qui fascinati admiratione propriæ sapientiæ & iustitiæ, fecerunt decreta non atramento, sed sanguine scripta, aduersus eos, qui erant lapsi humana imbecillitate in persecutione. Nam his etiam redeuntibus ad Ecclesiam per pœnitentiam, omnem spem gratiæ & veniæ præciderunt, & transferentes hypothesin ad thesin, affirmarunt semel lapsos post Baptismum & regenerationem, non posse vllo vnquam tempore sanari & restitui. Hæ perniciosæ opiniones, quarum altera est fomes securitatis, altera fons & causa desperationis, refutandæ sunt. Postea addenda erit vera doctrina de pœnitentia. Et scitis etiam aliis autoribus vsitatum esse, vt interdum ante confirmationem ponant refutationem, vt in oratione Miloniana Cicero prius refutat præiudicia contra causam Milonis allata, quàm in ipsam arcem causæ inuadat.

Omnibus ætatibus sparsæ sunt præstigiæ à Diabolis, contra veram & necessariam doctrinam de Pœnitentia, quarum aliæ impiam securitatem, aliæ desperationem in animis hominum confirmant. Vt enim Nouatus & Meletius negarunt lapsis post Baptismum remitti peccata: Sic quidam contendunt renatos non posse labi, aut certè non effundere Spiritum sanctum, & rursus fieri reos iræ Dei, etiamsi violent præcepta Dei contra conscientiam, & in his peccatis contumaciter perseuerent. Hæc manifesta amentia, quæ complectitur magnum chaos errorum, refutari potest, non solùm dictis cælestibus, sed etiam exemplis, quæ omnibus nota sunt.

Ecclesię doctrina semper occurrit duobus cōtrariis morbis, securitati & desperationi. Quàm autē hæc ratio medēdi ardua sit & difficilis, docet aphorismus Hippocratis, quem sæpè citat Plato: Difficile est facere medicinā, quando vna eadémque opera duobus contrariis morbis occurrendum est. Ita profectò non est leue opus & peruulgatum, vt multi somniant, sic moderari explicationem doctrinæ cælestis, ne homines aut securi fiant, aut in desperationem incidant. Nunc igitur in primo capite occurremus securitati, & ostendemus partim testimoniis Scripturæ, partim exemplis, quæ non possunt eludi vlla cauillatione, quòd nihil sit tam humanum, tam procliue, aut tam vsitatum, quàm non dico septies, sed multoties labi & ruere in peccata, ex quibus tamen resurgunt, qui rursus conuertuntur ad Deum.

Certum est Adam & Euam amisisse gratiam, & illam præstantiam donorum, quam habuerunt. Certum est Aaroni Deum horribiliter iratum fuisse propter fabricationem vituli aurei, vt Deut. 9. expressè scribitur.

Aaron primus Sacerdos in populo Dei fuit, & immediatè à Deo vocatus, & hauddubiè antecelluit non solùm suæ ætatis hominibus, sed etiam magnæ multitudini reliquorum sæculorum sapientia, eloquentia, virtute, & multis singularibus donis: & tamen hic tantus vir, frater Mosy, quàm horribiliter labitur & impingit? Absente Moyse vincitur clamoribus & furore populi, vt fabricet vitulum aureũ, quem populo adorandum proponit. Cur igitur nostri Pontifices sibi blandiuntur, & ita se efferunt, quasi vel non posśint errare, vel nunquam errauerint de doctrina?

Quis non contremiscat legens historiam populi Israel, vagantis in deserto? Etsi enim hic cœtus gerebat nomen Ecclesiæ Dei, & habebat tot & tam illustria testimonia diuinarum liberationum, tamen historia indicat multos præstantes viros horribilibus exemplis punitos esse propter idolatriam, seditionem, libidines, & alios furores. Nec verò dubium est, aliquos in tanto numero verè renatos fuisse.

Duce Moyse ex Aegypto egresśi sunt sexcenta millia armatorũ, exceptis mulieribus, pueris, ac senibus. Ex hac tanta multitudine non plures quàm duo, Iosue & Caleb, ingresśi sunt in terram Canaam. Reliqui omnes perierunt in deserto, alij propter idolatriam, alij propter seditiones motas aduersus Moysen & Aaronem, alij propter libidines, alij propter alios furores. Quis non contremiscat cogitans tale & tàm triste exemplum, quod Paulus etiam terribili oratione inculcat 1. Cor. 10. Etsi multi haud dubiè pij in eo exercitu fuerunt, tamen neque hi propter peccatorum pœnas potuerunt venire in terram promissam.

Adde huc exempla duorum regum in populo Dei, quorum alter à Deo auulsus ruit in æternum exitium, alter non sine ingenti lucta & certamine ad Deum conuersus est.

In historia pasśionis describitur lapsus Petri, quem constat fuisse sanctificatum, sicut Matth, 16. ad eum dicitur: *Beatus es*

Bar Iona,

Bar Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt. Sed tamen hic tantus vir, non mediocri robore fidei præditus, exiguis terriculamentis ancillæ & ſeruorum perturbatus abiicit confeſsionem, & negationi addit periurium, vt hæc verba teſtantur, Marci 14. Cœpit execrari & iurare.

Conſideratis exemplis, quæ nos commonefaciunt de noſtra infirmitate, & de acerrimis Diaboli inſidiis, deinceps oſtendamus ex dictis Scripturæ, renatos poſſe labi & amittere Spiritum ſanctum.

1. Corinth, 10. Qui ſtat, videat ne cadat.

Matth. 12. Veniens inuenit domum otioſam, id eſt, ſecuram, non expaueſcentem agnitione iræ Dei, non petentem auxilium Dei, ſed confidentem propria diligentia, propriis conſiliis & viribus, & aſſumit alios ſeptem Spiritus deteriores prioribus.

2. Petri 2. Si, cum effugerint contaminationes mundi per agnitionem Domini, & ſeruatoris Ieſu Chriſti, his rurſus implicantur, fiunt eis nouiſsima deteriora prioribus.

Græci vocant morbum renouatũ ex interuallo & quaſi recrudeſcentem ὑποςροφλὼ, id eſt, recidiuam, vt vulgò loquuntur.

De his recidiuis dicunt Medici, quòd multò plus periculi afferant, quàm initia morbi. Idẽ experimur in morbis ſpiritualibus. Quando aliquis ex noſtris relabitur ad Papiſtas, fit longè deterior, quàm ſi nunquam habuiſſet aliquid lucis Euangelij. Ego non libenter de mortuis aliquid dico, ſed puto multis veſtrûm notũ fuiſſe Mathiam Lautervvald. Is qualia ſomnia & corruptelas de iuſtificatione defenderit, longum eſſet recenſere. Nuper verò peſte extinctus in Vngaria, in teſtamento hoc ſcriptum reliquit, ſe non ſolùm allaturum ſuæ doctrinæ confeſsionem in conſpectum & iudicium Filij Dei, ſed etiam, ſi ſibi longior vita cõtigiſſet, bellum indicturum fuiſſe Paulo, & oſtenſurum multa ab eo ex Prophetis parum ſobriè & prudenter citata & accommodata fuiſſe ad hoc inſtitutum & ſententiam, quam voluerit obtinere Paulus. Videtis, quales hæ ſint blaſphemiæ, quæ certè contumelia afficiunt Spiritum ſanctũ, qui locutus eſt per Prophetas & Apoſtolos, & adducunt in dubium pias mentes, vt dubitent de certitudine Propheticæ & Apoſtolicæ doctrinæ. Et tamen aliquandiu Euangelicis Eccleſiis coniunctus fuit Lautervvaldius iſte,

Matth. 26. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Spiritus quidem promtus est, caro autem infirma.

1. Petr. 5. Vigilate, quia aduersarius vester Diabolus circumit, quærens quem deuoret.

His & similibus dictis excitemus nos ad agnitionem nostræ infirmitatis, ad timorem Dei, ad petitionem auxilij, sicut totus Psal. 119. talis doctrina & precatio est: Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam, & iustificationes tuas doce me. Dirige gressus meos secundum eloquium tuum, ne dominetur mihi omnis iniquitas.

CAPVT II.

Refutatio Nouati & Meletij.

ANno Christi 260. Nouatus in vrbe Roma sparsit uenenatum errorem, qui, vt Cypriani verbis vtar, non tantùm more Sacerdotis vel Leuitæ iacentem vulneratum præterit, sed ingeniosa ac noua crudelitate sauciatum potius occidit, adimendo spem salutis, denegando misericordiam Patris, respuendo pœnitentiam fratris. Fuit autem Nouatus, vt Cyprianus testatur lib. 2. Epistola 8. rerum nouarum semper cupidus, auaritiæ inexplebilis, rapacitate furibundus, arrogantia & stupore superbi tumoris inflatus, fax & ignis ad cōflanda seditionis incendia, turbo & tempestas ad fidei facienda naufragia, tranquillitatis aduersarius, pacis inimicus, &c.

Sicut Nouatus Romæ: Ita Meletius in Aegypto hunc errorem sparsit & latè propagauit, qui spem reconciliationis cum Deo lapsis post Baptismum adimit, atque ita sauciatas conscientias laqueo desperationis strangulat ac suffocat. Mirum est autem in illo flore Ecclesię post Apostolos tam crassum & venenatum errorem vagatum, & quidem tanto multorum applausu exceptum esse. Commonefacti ergo hoc exemplo, simus vigilantes in conseruanda puritate doctrinæ, & metuamus insidias Diaboli, qui senescenti Ecclesiæ callidiùs insidiatur, & omnia parat atque meditatur in languidę & imbecillis Ecclesiæ perniciem. Postquam autem ex Cypriano monui, non solùm de errore Nouati, sed de ipsius etiam moribus monstrosis: Nunc de causa & de fonte erroris dicam,

Cæterùm

Cæterùm vt Polybius lib: 3. ait, aliud esse causam belli Punici, aliud occasionem, seu aliud αἴτιον, aliud ἀφορμὴν: Sic nos in diiudicatione fanaticarum opinionum prudenter discernamus fontes à specie, quam Græci vocant πρόφασιν.

Etsi enim Nouatus occasionem erroris sumsisse videtur ex lapsibus quorundam, qui in persecutione abiecerant confessionem: *tamen hauddubiè error inde natus est, quòd non animaduertit, quid Scriptura vocet Peccatum & iustitiam. Somniauit enim peccatum vocari, tantùm externam violationem Legis, & Christianam iustitiam esse externam disciplinam. At peccatum significat non solùm opera mala, sed etiam naturam vitiosam, carentem gloria Dei, id est, Timore, Fide, Dilectione, celebrante Deum. Vt igitur semper habemus peccatum, nec ante migrationem ex hac vita, exuuias immundæ naturæ deponere possumus: ita semper opus habemus remissione peccati.

*Iuniores non putent Ecclesiam vixisse semper in otio & tranquillitate, sed repetant historias Romanas à Nerone vsque ad Constantinum Magnum. Quod cùm facient, intelligent Neronem fuisse ἔξαρχον, id est, incoatorem persecutionis & sæuitiæ aduersus Christianos. Hunc postea imitati sunt alij multi, inter quos Decius, Tyrannus fuit omnium crudelissimus, qui Laurentium, Cyprianum, Fabianum, Babylam, & innumeros alios præstantes viros supplicio propter piam confessionem affecit. Non est autem omnium robur æquale. Ac semper aliqui sunt imbecilles, qui facilè cedunt terriculamentis suppliciorum. Cùm igitur multi sacrificassent idolis, fracti metu tormentorum, noluit Nouatus tales recipere, redeuntes ad Ecclesiam per pœnitentiam, vt acuere in cæteris videretur constantiam.

Rom. 3. dicitur, Omnes peccauerunt, & carent, gloria Dei. Hæc concio nō intelligatur tantùm ciuiliter de externis delictis, sed de naturę deprauatione, cæcitate, auersione à Deo, contumacia aduersus legem. Gloria Dei significat sapientiam & iustitiam, quam Deus approbat, quam ducit rem esse gloriosam, & qua celebratur.

Deinde errat fanaticus homo, ignorans discrimen disciplinæ & iustitiæ fidei. Etsi enim homines honesta disciplina suos mo-

res regere debent, tamen hæc qualiscunque gubernatio, nequaquam est impletio Legis, nec meretur remissionem peccatorum, nec est iustitia illa, qua coram Deo accepti sumus, sed est vmbra externorum operum, similis folio ficus, quo tegunt nuditatem suam primi parentes post lapsum, nec magis tollit peccatum & naturæ corruptionem, & mortem, quàm tollebant illæ frondes fici. Sed de hoc discrimine alio loco plura diximus. Nunc ad historica redeamus.

Semper inde vsque à Cain ignari fuerunt huius discriminis hypocritæ.

Quatuor sunt causæ, propter quas prestanda est disciplina externa.

1. Mandatum Dei.
2. Vt vitentur pœnæ publicæ & priuatæ, præsentes & æternæ.
3. Vt sit tranquillitas in genere humano.
4. Quia disciplina est Pædagogia ad Christum, hoc est, sine disciplina homines nec doceri possent de doctrina Euangelij, nec doctrina potest esse efficax in iis, qui nō desinunt se polluere sceleribus.

Eundem errorem in vrbe Alexandria Meletius sparsit, de quo Epiphanius hoc sensu scribit. Petrus Episcopus Alexandrinus, & Meletius Episcopus Thebæus in Ægypto à præfectis Diocletiani in carcerem coniecti erant, propterea quòd nollent idolis sacrificare. Quanquam autem eo tempore multi suppliciis afficiebantur, & in sanguine agni stolas suas lauabant, tamen Deus suo quodam consilio his Episcopis pepercit, quorum vtérque clarus fuit doctrina & pietate. Sed quoniam multi suppliciorum metu fracti, sacrificauerant idolis, qui postea ad Ecclesiam reuersi veniā delictorum petebant, magna dissensio inter Petrum & Meletium extitit. Nam Petrus grauiss. causis mouebatur, vt existimaret recipiendos esse lapsos, & sananda esse vulnera infirmarum ouicularum, quas lupi crudeli morsu lacerauerant. Contra Meletius censebat, non tàm facile veniam dandam esse iis, qui ab Ecclesia ad idola defecissent, & confessionem abiecissent. Ac vt in Petro ardebat misericordia erga lapsos, ita in mente Meletij erat Zelus ardens, sed coniunctus cum inscitia. Tandem in eum locum res adducta est, vt ingens multitudo populi & Episcoporum, non solùm in

In lib. de 80. Hæresibus.

Ægypto, ſed etiam in Syria partes Meletij ſequeretur, qui melioris cauſæ patrocinium ſuſcepiſſe videbatur. Et hæc quidem factio Meletiana, ſuperbè nominauit ſe Eccleſiam Martyrum. Pauci verò & obſcuri ſequebantur ductum & auſpicia Petri, qui aliquantò poſt corona Martyrij ornatus eſt, Meletio in furorem Arianum præcipitato.

Hæc hiſtorica conſideranda ſunt, vt diſcamus, non tantùm in hac recenti ætate Monachorum, obſcuratam fuiſſe doctrinam de Pœnitentia multis labyrinthis & falſis opinionibus: ſed etiam vetuſtis ſæculis, quando Hypocritæ nimiùm ſibi placentes propter conſtantiam in confeſsione, alios imbecilliores ab hortulis ſaluberrimi Balſami, id eſt, Pœnitentiæ & remiſsionis peccatorum arcere conati ſunt.

Quanta ſit præſtantia & efficacia Balſami in ſanandis vulneribus, & nomen ipſum indicat, & experientiæ teſtimonio notum eſt. Balſami nomē hauddubiè originem habet Hebraicam. Noſtis enim Baal appellationem eſſe Domini & principis, quo nomine idololatræ Deum appellant, ac ferè congruit hoc nomen cum germanico Bühel. Schemen ſignificat oleum, quaſi dicas, rex & Dominus olei. Quia inter omnia genera olei nullum eſt præſtantius Balſamo. Et Deus parcus fuit in tanto munere diſtribuēdo. Quia nulli regioni dedit hoc donum excepta Paleſtina, vnde in Aegyptum plantæ translatæ ſunt. Ac hodie Turcarum Tyrannis legatis miſsis cum magno auri pondere, nulla reddere ἀντίδωρα dicitur, niſi parū Balſami, & terræ Samiæ, quæ, vt teſtantur Medici, eſt aduerſus peſtilentiam efficaciſsima, & articulam auri Arabici. Tantam habet Balſamū vim penetrandi, vt ſi exiguam guttam fundas in volam, mox exudet per oppoſitam partem, & magna vulnera celeriter ſanet.

Sumatur autem refutatio venenati & craſsi erroris, ex teſtimoniis & Propheticis & Apoſtolicis, quæ oſtendunt lapſos, ſi rurſus ad Deum conuertantur, verè propter Mediatorem recipi.

Eſa. 1. Deſinite peruerſè agere, & diſcite bene agere. Si peccata veſtra fuerint vt Coccinum; ſicut nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra vt vermiculus, eritis candidi vt lana. Cruentum eſſe, eſt reum eſſe, vt cruentus fit la-

Extremis morbis extrema exquiſitè remedia opponenda ſunt, inquit Hippocrates. Cum

tro in supplicio, cùm caput præciditur. Summa igitur dulcißimæ promißionis hæc est. Etiamsi rei estis, & tristißimæ pœnæ vos oppresserunt, tamen si conuertimini ad Deum, remittentur peccata, & pœnæ tollentur aut mitigabuntur. Coccinum significat purpureum colorem. Idem significat vermiculus: Quia Κόκκος βαφικὴ est granum in ilice nascens, quod in vermiculum vertitur, quem

igitur securitas & desperatio sint duo extremi morbi, quibus plurimorum mentes & conscientiæ grauiter oppressę iacent, necesse est nō modò securitati, sed etiam desperationi efficacia remedia adhiberi. Ac contra securitatem in primo cap. aliqua diximus. Nunc enim secundo ca. id agimus, vt vincatur desperatio consideratis testimoniis misericordiæ diuinæ, quæ longè exuberat supra peccatum.

vocant σκωλήκιον, inde color est Coccineus. Et putant vocabulum Scharlach/ à Græca voce σκωλήκιον factum esse. Sed tota imago ad Filium Dei pulcerrimè quadrat. Is fit pro nobis cruentus vermiculus, vt nostra peccata tollat.

Psal. 22. Ego sum vermis & non homo.

Omnis interpretatio, quæ in Ecclesia proponitur, aut est Grammatica diligentia, qua enarrantur vocabula & phrases: aut Dialectica dispositio membrorum & partium in sacris concionibus, aut est confeßio & testimonium veræ sententiæ, coniuncta cum refutatione falsarum opinionum & corruptelarum.

Ezechielis 33. Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Magna debet esse authoritas apud nos promißionum diuinarum per sese. At hæc promißio etiam iureiurando confirmata est. Quare si quis in conuersione non statuit sibi ignosci, is negat Deum veracem esse. Qua blasphemia atrocior nulla cogitari potest. Extat Tertulliani sententia, quam adscribere non grauabor. Quia dum iusiurandum Dei exaggerat, mirificè erigit conscientias.

In dicto Tertulliani est incrementum Rhetoricum.

Bonum est pœnitere, an non? Quid reuoluis? Deus præcipit. At ille non præcipit tantùm, sed etiam hortatur: venite ad me omnes. Inuitat præmio salutem, iurans etiam, Viuo, dicens. Cupit sibi

sibi credi. O beatos, quorum causa Deus iurat! O miserrimos, si nec iuranti Domino credimus!

Eodem modo Augustinus in enarratione Psalmi 89. iuramentum Dei amplificat: In æternum regnabit Christus in sanctis suis. Hoc dixit Deus, hoc promisit, si parum est, hoc iurauit. Quia ergo nō secundum merita nostra, sed secundum illius misericordiam firma est promissio, credamus & inuocemus, &c.

Sed nemo ita attollit iusiurandum Dei, vt Epist. ad Hebr. cap. 6. Cùm Deus eximiè vellet hæredibus promissionis ostendere firmitatem consilij sui, interposuit iusiurandum, vt per duas res immutabiles, in quibus fieri non posset vt mentiretur Deus, validam consolationem haberemus.

Per promissionem & per iuramentum.

Ioelis 2. Conuertimini ad Deum vestrum, quia clemens est & misericors, tardus ad iram & valde beneficus, & pœnitet eum mali.

Hæc phrasis ita est intelligenda, quòd Deus aut omnino tollat pœnas, aut mitiget eas conuersis & ad se redeuntibus per pœnitentiam.

1. Iohan. 1. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata, & emundet nos ab omni iniquitate.

1. Ioann. 2. Filioli mei; hæc scribo vobis ne peccetis, & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.

Matth. 15. Petro interroganti, quoties peccata remittenda sint, respondet Dominus: Non dico tibi septies, sed septuagies septies.

Cùm autem occasio quærēdi sumta sit ex dicto eiusdem capitis, quo instituitur ministerium reconciliationis: Quodcunque solueritis super terram, erit ligatum & in cælis, non de fraterna reconciliatione primùm & principaliter hic locus intelligendus est: sed de voce absolutionis sonante in Ecclesia, præsertim cùm Petrus in hoc colloquio non sit priuata persona, sed

minister Euangelij & Ecclesiæ, 2. Corinth. 5. Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo vos obsecrante per nos, rogamus pro Christo, reconciliemini Deo. Eum enim, qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei per illum. O inenarrabilem φιλανθρωπίαν καὶ χρηστότητα Dei, offerentis nobis vltrò reconciliationem, & petentis à nobis quadam bonitatis abundantia, vt secum redeamus in gratiam, nec postulantis à nobis satisfactionem pro culpa & pœna æterna, sed deriuantis peccata nostra & pœnas, quas meriti sumus, in Filium, quem voluit soluere λύτρον pro nobis!

Hæc testimonia semper nobis in conspectu sint, non solùm ad refutandos Nouatianos, sed etiam ad nos ipsos confirmandos, vt statuamus verè nos recipi, etiamsi multis & magnis sceleribus polluti simus.

Etsi autem non propter humanam authoritatem de re tanta, videlicet, de remissione peccatorum statui potest; sed fides verbo Dei, quod per Prophetas & Apostolos traditum est, nititur: tamen cõfirmantur bonæ mentes, cùm audiunt veteris & purioris Ecclesiæ testimonia de hoc articulo. Adscribam igitur Cypriani & Nazianzeni dicta, quæ grauissimè refutant Catharos seu Nouatianos. Sic enim Cyprianus lib. 4. Epist. 2. scribit.

Iacet saucius frater ab aduersario in acie vulneratus. Inde Diabolus conatur occidere, quem vulnerauit: Hinc Christus hortatur, ne in totum pereat, quem redemit. Cui de duobus assistimus? in cuius parte stamus? Vtrúmne Diabolo fauemus vt perimat, & semianimem fratrem iacentem, sicut in Euangelio sacerdos & leuita, præterimus? An verò, vt sacerdotes Dei & Christi, quod & Christus docuit & fecit, imitantes, vulneratum de aduersarij faucibus rapimus, vt curatum Deo iudici reseruemus?

Locus Nazianzeni contra Catharos in concione de Epiphaniis extat.

Libenter amplector Baptismum pœnitentiæ, & dantem adoro, & aliis communico, & misericordiam zelo anteponendam censeo, cùm non sim ignarus meæ imbecillitatis & regulæ à Christo traditæ: Qua mensura mensi

Chrysostomus: zelus sine misericordia est furor.

mensi fueritis, eadem alij remetientur vobis. Tu verò, quas leges condis ô Pharisæe, qui nomine, non proposito mundus es, τῷ ὀνόματι, οὐ προαιρέσει καθαρὸς, nec das locum lacrumis & gemitibus? An ignoras suauitatem humanitatis Christi, qui infirmitates nostras assumsit, & dolores nostros portauit, qui non venit propter iustos, sed vt peccatores ad pœnitentiam vocaret, qui mauult misericordiam quàm sacrificium, qui septuagies septies remittit peccata?

CAPVT TERTIVM
De Peccato irremissibili.

CVm Christus in Euangelio affirmet, blasphemiam aduersus Spiritum sanctū nō posse remitti, & Ioannes in Epistola dicat, non esse orandum pro eo, qui peccet ad mortem, multi à nobis quærere solent, quid intersit inter blasphemiam, seu peccatum ad mortem, & reliquos lapsus, quos constat remitti redeuntibus ad Deum per pœnitentiam & fiduciā Mediatoris. De hoc discrimine alij aliter respondent. Sunt enim Theologi, & hi quidem magni atque nobiles, qui hoc discrimen à priori, id est, à causis lapsus sumendum censeant. Ita enim disserunt, blasphemiam aduersus Spiritum sanctum, nō esse lapsum aliquem in vita & moribus, qui condonatur agenti pœnitentiam, & veniam à Deo petenti, sed esse linguæ petulantiam, quæ neque ab infirmitate, neque ab inscitia humana oritur, sed immediatè à Diabolo proficiscitur, qui cùm odio Dei ardeat, & cupiat eum à plurimis contumelia affici, hæreticos, & alios pessimos ac perditiss. nebulones impellit, vt Spiritum veritatis contra conscientiam mendacij arguant, hoc est, doctrinam Euangelij exploratè perceptam & cognitam condemnent, aut hærese-

Quæro, an Paulus fuerit blasphemus ante conuersionem atrocissimè persequens Ecclesiam, & polluens se cruore sanctorum? Respond. Inscius & ignorans in hunc lapidem impegit, sicut ait, 1. Timoth. 1. Sic Petrus negans Christum non fuit blasphemus. Quia non peccauit petulantia sed infirmitate.

os, aut schismatis, nec desinant cumulare peccata & blasphemias, donec ruant in æternum exitium.

Volo vobis cõmemorare exemplum, quod omnino congruit ad hanc tristiss. descriptionem blasphemiæ. Sub initium belli Germanici, nõ procul ab Augusta in agro Vlmẽsi mortuus est quidã monachus valde doctus & facũdus, cognomine Hoffmeister. Is fuit prior, vt vocant, seu pręses monasterij in oppido Colmariæ, quod distat 4. miliaribus à Friburgo Brisgoiæ, nec est ignotũ nomẽ huius Monachi, cuius plerique libri etiam extant. Is etsi cognouerat veritatẽ ex scriptis nostrorum, tamen quacunque causa impulsus, damnauit nostram doctrinam hæreseos in gratiam potentium. Tandem verò vocatus ad vitæ exitum, nullam consolationem audire potuit, sed omnia reiecit, vt homo desperabundus, exclamans se, quòd sciens contra conscientiam damnauerit veritatem, non posse saluum fieri, sed Filium Dei esse sibi in conspectu tremendum & horrẽdum iudicem, & tenentem fulmen, qua ipsum esset detrusurus ad inferos.

Ad hanc tristissimam descriptionem accommodant dicta Christi & Pauli. Sic enim Mar. 3. Christus inquit: Qui blasphemiam dixerit in Spiritũ sanctum, non habet remissionem peccatorum in æternum, sed obnoxius est æterno iudicio. Dicebant enim Spiritum immundum habet.

Ioan. 3. inquit Nicodemus ad Christum: Nos scimus, Magister, quòd missus sis à Deo. Hic profitetur, non tantùm quid ipse sentiat de Christo, sed etiam quid totum collegium Pharisæorum sentire cogatur. Deinde norant Pharisæi, non posse eiici vlla vi humana, imò nullius creaturæ, Diabolum mutum & repugnantem. Quòd enim diabolus colludit interdum cum suis organis & magis, id nihil est. Contra tamen hæc omnia audebant Christum Dæmoniacum appellare, & dicere, quòd per Beelzebub eiiciat Diabolos.

Et Paulus ad Tit. 3. Hæreticum hominem post vnam & alteram admonitionem vitabis; quia proprio iudicio damnatus est.

Ego nunquam legi vllum hæreticum, id est, authorem hæreseos conuersum fuisse.

Ebr. 6. Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, & postea Christum crucifigunt, & ludibrio habent, reuocari ad pœnitentiam.

Item,

Item, Ebr. 10. Voluntariè peccantibus post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia, sed terribilis expectatio iudicij. Etenim blasphemi, qui conculcant sanguinem Christi, & Spiritum gratiæ contumelia afficiunt, vt in eodem Capite dicitur, non sunt sanabiles, sed admoniti & conuicti, fiunt rabiosiores, eáque in re patrem Diabolum imitantur. Vt enim Diabolus non potest conuerti ad Deum, sed odio Dei cumulat blasphemias & peccata, ita homines blasphemi, quotidie peccata noua accessione augent, & tantisper se polluunt omni scelere & impietate, donec incidant in manus Dei viuentis ac punientis, vt in Epistola ad Ebræos tristissimis verbis dicitur. Hanc Deus ô procul hinc dignêre auertere pestem. Fac nos vasa misericordiæ, nec abiicias nos inter vasa iræ, id est, hostes blasphemos, quales sunt Diaboli & eorum organa. Ne proiicias nos à facie tua, & Spiritum sanctum tuum vnà cum verbo veritatis ne auferas à nobis.

Quidam Osiandrici tam impudentes fuerunt, vt non dubitarent dicere, Sie wolten für viel Thonnen Bluts Christi nicht ein heller geben.

Sunt autem alij, qui à posteriori, hoc est, ab exitu putant iudicandum esse de peccato irremissibili: Ac satis commodè dicunt, Blasphemiam esse finalem impœnitentiam, seu desperationem: Quia hæc peccata extremè pugnant cum gratia. Et hi quidem Doctores sententiam proponunt maximè ad consolandas mentes accommodatam, eam videlicet: Immutabile mandatum Dei esse, quantumuis magna sint peccata, vt agentes pœnitentiam redeamus ad Deum fiducia reconciliationis propter Christum promissæ, nec propter magnitudinem nostri lapsus desperemus, sed statuamus longè anteferendam esse potentiam Filij Dei omnibus omnium peccatis, nec ad reliquos lapsus addamus etiam blasphemiam, quæ accusat Deum mendacij, & negat remitti peccata: sicut Saul & Iudas ideo damnantur, quia non credunt sibi propter Filium Dei peccatum remitti, & Cain accusatur huius blasphemiæ, quòd non redierit ad Deum, sed addiderit etiam blasphemam vocem: Maius est peccatum meum, quàm vt remitti possit.

Verissima est collatio, & manet in æternum vera, quam Paulus instituit Roma. 5. peccati &

gratiæ, inquiens: Gratia exuberat supra peccatum, hoc est, vt Augustinus interpretatur: Maior est Dei misericordia, quàm omnium hominum miseria: Maior est potentia Filij Dei, toto regno Diaboli, peccato & morte. Sed hæc collatio tantùm pertinet ad eos, qui verè non simulatè agunt pœnitentiam, hoc est, qui agnoscunt & deplorant sua peccata, & in pauoribus non desperant, non deficiunt à Deo, sed rursus eriguntur consolatione fidei. Si cui igitur datur talis pœnitentia, is nullam causam habet desperandi. Sed sicut diabolus non potest verè agere pœnitentiam, & ideò non consequitur remiss. Ita blasphemi hostes Dei ideò non consequuntur remissionem peccatorum, quia non agunt pœnitentiam.

Hæc breuiter satis sit dixisse de peccato irremissibili, quod animus meminisse horret luctuque refugit. Est enim horrendum malum, siue à priori, siue à posteriori de eo iudicemus. Nos vero filium Dei ardentissima inuocatione oremus, ne sinat nos à Diabolo ad hos furores impelli, vt vel manifestam veritatem condemnemus, vel lapsi desperemus: sed obsignet in nobis veras sententias, & exuscitet nos ad timorem Dei, & fidem, quæ statuit Filium Dei potentiorem esse toto regno peccati. Amen.

CAPVT IIII.

Methodica explicatio pœnitentiæ.

ETsi vocabulum Pœnitentiæ Grammaticis significat improbare id quod ante probabamus, & hæc significatio magis congruit ad contritionem quàm ad Fidem, tamen nos reiectis & repudiatis λογομαχίαις pœnitentiam nominamus totam conuersionem, in qua duo sunt motus, Mortificatio & viuificatio, siue, vt vsitatè loquimur, contritio & Fides. Cum autem maximè necessarium sit Ecclesiæ, extare veram doctrinam planam & perspicuam de pœ-

Definitio nominis & rei.

Quem pœnitet peccasse penè est innocens, Seneca.

Quem pœnitet peccasse penè non peccauit. Plautus.

In his versiculis significat pœnitentia improbationem & o-

dium eius facti, ex quo antea voluptatem capiebamus.

nitentia, dolendum ac deplorandum est, tantam fuisse in plerisque scriptoribus, vel inscitiam vel negligentiam, vt ne quidem de integra Pœnitentiæ descriptione cogitarent. Nam veteres definitiones, quæ sic recitantur: Pœnitentia est mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere: Item Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniens in se, quod dolet se commisisse; non solùm mutilæ & impropriæ sunt, sed etiam in sulsis interpretationibus magis corrumpuntur. Recitabo igitur definitionem, quæ omnes partes, atque omnia membra Pœnitentiæ complectitur. Pœnitentia est expauescere agnitione iræ Dei aduersus peccata nostra, & rursus erigi fide accipiente remissionem peccatorum fiducia Filij Dei, & in hac fide nouam obedientiam incoare.

Partes.

Constituta definitione deinceps quærendum est, quæ sint partes atque membra veræ pœnitentiæ, de quibus præcipuum inter nos & aduersarios controuersiæ certamen est. Etenim hostes Euangelij acerrimè contenduut, necessaria membra esse conuersionis ad Deum, confessionem, quam intelligunt enumerationem singulorum delictorum, & satisfactionem canonicam: & doctrinam de fide iustificante, qua sola verè accipitur remissio peccatorum, & cor in sensu iræ Dei eripitur & liberatur ex doloribus inferorum, vel omittunt, vel corrumpunt, vel etiam improbant.

Ego attentè legi in Magistro sententiarum Tractatum de Pœnitentia: sed nullam video fieri mentionem fidei. Multò minus reperies eius mẽtionem in Scoto & cæteris scholasticis. Hoc autem tempore hypocritæ & sophistæ aduersarij aut corrumpunt ea astutè & callidè, vt Maluenda, aut improbant, vt Synodus Tridentina fecit expressum decretum, quod abolet veram doctrinam de fide.

Nos verò distribuimus conuersionem seu pœnitentiam in tria membra, in contritionem, Fidem, & nouam obedientiam. Nam has res complectitur vera conuersio, vt non solùm vox diuina, & veræ Ecclesiæ experientia, sed etiam argumenta minimè fallentia ostendunt.

Ac primum quidem dicta cælestia de hac distinctione partium pœnitentiæ audiamus.

Matth. 11. inquit Christus: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris: Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. In hoc dicto tria sunt membra, quæ nos recensemus. Labor & onus significant contritionem, quæ est verè expauescere agnitione iræ Dei aduersus peccatũ, & dolere, quòd Deum offenderis. Recreatio est fiducia, qua acquiescimus in Filio Dei, & qua cor viuificatur & liberatur ex æterna morte. Noua obedientia describitur cum inquit: Tollite iugum meum super vos.

Et Marci 1. Christus ait: Agite pœnitentiam & credite Euangelio. Quis autem ignorat Euangelium postulare hanc veram fidem, quæ est fiducia misericordiæ propter Filium Dei promissæ, & acquiescens in Filio Dei? quæ inquit, Credo remissionem peccatorum mihi quoque dari, & quidem gratis, non propter meam contritionem, non propter vlla mea merita, sed propter Filium Dei, qui immensa bonitate & sapientia diuinitatis constitutus est Mediator & Propitiator: Scio mandatum Dei esse im mutabile, vt singuli in veris doloribus statuant se certò propter Mediatorem recipi. Hæc est propria vox Euangelij. Hoc decretum ex sinu æterni Patris prolatum est per Filium, & sanguine & resurrectione eius obsignatum est. Huic voluntati & decreto nolle assentiri, est contemnere Filium Dei.

Sic Paulus Colossens. 2. concionatur de vera conuersione ad Deum. Estis mortui peccatis, & circumcisi circumcisione non manu facta, exuendo corpus peccatorum carnis. Hæc de contritione dicuntur: Postea de fide, qua fit consolatio, inquit: simul resuscitati estis per fidem, qua Deus est efficax, qui viuificauit vos cum Christo. Deinde vtramque sententiam illustri figura pingit: Condonans omnia peccata, delens chirographum, quod per decreta contra nos est, quod erat contrarium nobis. Tunc autem conspicitur, chirographum scriptum in cordibus aduersari nobis, cùm agnoscimus in veris doloribus nos reos esse.

Hoc dictum ad contritionem pertinet, Deinde ad fidem pertinet,

tinet, quod additur: deleri hoc chirographum suspensum de cruce, facta condonatione.

Alludit enim Paulus ad trophæa, quæ solebant quondam collocari, in quibus res gestæ scribebantur. Ait enim in cruce, tanquam in trophæo suspensum esse chirographum, id est, accusationem qua conscientia nos accusat. Hanc accusationem tanquam abolitam ait pendere in cruce Christi, qui pro nobis soluit λύτρα. Id trophæum fide intueamur, quoties inuocamus.

Trophæum significat tabulam, in qua memoriæ causa scribebantur res gestæ, vt etiam posteritati essent notæ. Et hæc collocabatur plerunque in montibus, & aliis locis conspicuis, vt scriptura legi à viatoribus posset. Tale Trophæum dicit Plinius fuisse in Alpibus, & in eo scripta fuisse nomina multarum gentium, quas Augustus deuictas imperio Romano subiecerat.

Hactenus testimonia recitaui de contritione & consolatione, quæ fit per fidem, qua tibi ipsi credis remitti peccata propter Mediatorem. Nunc exempla consideremus, quæ ostendunt præcipua membra esse in pœnitentia contritionem, & fidem consolantem & iustificantem. Nam de noua obedientia seu de fructibus pœnitentiæ aliàs sæpe dicitur.

Extat in Genesi cap. 3. narratio de lapsu & conuersione primorum parentum, vbi primùm arguitur peccatum voce Dei, & non dubium est, accusante Deo, & sonante ipso tristissimam accusationem, horribiliter expauescere humanã naturam. Ita primùm extitit contritio tunc in primis parentibus, & quid sit contritio, quomodo fiat, in eodem exemplo conspici potest.

Primi parentes multò plures causas contritionis habuerunt & acerbiss. dolorum, quàm nos. Quia videbant se amisisse summa & max. decora sapientiæ & iustitiæ diuinæ, & è regione cernebant se sibi accersiuisse, nec sibi tantùm, sed etiã vniuersæ posteritati tristem caliginem mentis, horrendam deprauationem voluntatis & cordis, & alia infinita mala. Deinde nullum ipsi audierant verbum de reconciliatione, de promissione remissionis peccatorum, imò nullum exemplum remissionis peccatorum viderant: sed norant Diabolos propter contumaciam abiectos esse in æternum exitium. In hoc horrendum exemplum intuentes, quomodo non

potuerunt expauescere? Ad hæc omnia accedebat vox Dei immediatè accusantis inobedientiam ipsorum. Qua voce audita, non mirum fuisset si exanimati fuissent, & hauddubiè oppresisset ipsos mors, nisi mox sonuisset noua & inaudita vox de remissione peccatorum.

Deinde sonante promissione recipiuntur Adam & Eua, qua audita accenditur fides, qua agnoscunt se recipi per misericordiam propter semen promissum, & in corde noua consolatio est incoatio nouæ obedientiæ, quæ iam placet Deo. Ita facta est integra conuersio. Hanc historiam prodest sæpissimè cogitare, vt hoc ipso exemplo nos de omnibus partibus Pœnitentiæ, seu conuersionis commonefaciamus: Item vt inde discamus, tunc incoatum esse ministerium Euangelij, in quo semper vna vox sonat, arguens peccata, & afferens remissionem propter Filium.

Sic Dauid obiurgatur à Nathan, & perterrefactus inquit: Peccaui Domino. Hæc est vox contritionis, qua fatetur se reum esse, & iustè puniri. Postea audit absolutionem, Dominus peccatum tuum abstulit; Non morieris. Hæc vox erigit Dauidē, & fide sustentat, iustificat & viuificat eum.

Nathan fuit concionator in aula Dauidis, & Præceptor Salomonis.

Hinc possumus æstimare, quantis doloribus oppressus fuerit Dauid audita accusatione Nathan.

Nota est historia Regis Ezechiæ, qui agnoscens irā Dei exclamat, Sicut leo cōtriuit oīa ossa mea. Deinde erectus cōsolatione, & tristissimo onere leuatus, inquit: Tu liberasti animā meam ab interitu, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Et quia vera fides non est ingrata, promittit Deo perpetuam celebrationem, Pro tantis beneficiis cantabimus, inquit, Psalmos, omnibus diebus vitæ nostræ in domo Domini.

Quàm illustribus verbis describit veros pauores?

Quid dicam de latrone emendato, in quo illustris imago contritionis & Fidei proponitur? Contritio est, quòd ait Latro, se iustè puniri, & dolet se Deum offendisse, & sentit iram Dei, & quidem

dam publicè fatetur peccatum suum, & prædicat iudicium Dei iustum esse.

Hæc omnia pertinent ad contritionem, vt illæ voces Danielis 9. Tibi Domine iustitia, nobis confusio faciei. Fidem eius clarissimè ostendit petitio: Memento mei Domine, &c. Verè enim intelligit, hunc socium supplicij, quanquam iam moriturum, tamen esse Messiam tollentem peccata & mortem, & redimentem genus humanum hac sua morte, sicut ex Esaia potuit aliqua dicta meminisse. Petit igitur ab eo remissionem peccatorum & vitã æternã, & vt fides eius confirmetur, audit dulcissimam absolutionem: Hodie mecum eris in Paradiso.

Memorabilis est sententia Christi: Beatus qui in me non scandalizatus fuerit, id est, Beatus, qui non offenditur, vel doctrinæ quam profiteor absurditate, vel meæ personæ humili & abiecta specie, vel cruce & mole ærumnarum, quæ certò comitatur professionem Euangelij. Iam cogitate, quanta lux fuerit in mente latronis, qui non modò non offenditur miserr. & tristiss. specie Christi pendentis inter duos latrones, & iamiam exhalantis animam, sed etiam petit ab eo remissionem peccatorum. Ac satis declarat hoc ipsum exemplum, fidem non esse opus humanarum virium, sed esse opus Dei. Tanta certè sapientia in eo fulsit tunc, qualis excepta Maria non fuit in tota Ecclesia.

Postremò & externa bona opera habet, confessionem peccati sui, & iusti iudicij Dei, inuocationem Christi, & obiurgationem aduersarij. Nam refutatio blasphemiarum est opus necessarium & Deo placens.

Etsi autem non opus est longa disputatione in re manifesta, tamen, quia in doctrina aduersariorum non modò silentium est de fide, sed etiam contrarium dogma defendunt de perpetua dubitatione, adiungam testimoniis & exemplis Scripturæ tria argumenta. Quibus consideratis omnes sani conuincuntur, vt fateri cogantur, Fidem esse præcipuam partem Pœnitentiæ.

I. Principio satis constat pœnitentiam sine absolutione nihil esse nisi inane nomen, aut rectam & compendiariam viam ducentem ad æternum exitium, vt exempla Cain, Saulis, Iudæ

Ex natura correlatiuorum.

&aliorum ostendunt. Neque verò absolutio, quæ est promisio remiss. peccat. aliter accipitur, nisi fide. Nam sola fides promisionem intuetur & amplectitur, teste Paulo Rom. 4. Ideo ex fide, vt sit firma promisio. Necessaria est igitur fides in conuersione, iuxta illud: Qui non credit Deo, arguit eum mendacij.
II. Deinde certum est, remisionē peccatorū esse finem veræ pœnitentiæ. Ideo enim redimus ad Deum per pœnitentiam, vt peccata nobis remittantur. Hanc metam longè optimam & saluberrimam omnes pij in conuersione prospiciunt, ad eámque recto cursu contendunt: Manifestum est autem remisionem peccatorum non accipi nisi sola fide. Ergo fides accipiens remisionem peccatorum rectè annumeratur partibus pœnitentiæ.
Postremò certisimum est, conscientias non relinquendas esse in dubitatione, quæ aut contemtum Dei parit, aut desperationem. Sola autem fides est victrix pauorum & dubitationum, & conscientiis pacem salutarem restituit. Nequaquam igitur fides obruenda est, vel silentio, vel sophismatum præstigiis, quoties de pœnitentia homines docendi sunt.

Ex his omnibus apparet piis lectoribus, nos eas partes pœnitentiæ ponere, quæ propriè sunt in conuersione seu regeneratione. Sed ne nouum dogma de fide adferre videamur, non grauabor adscribere Bernhardi sententiam, qui ad eundem modum coniungit hæc duo membra in pœnitentia, contritionem & Fidem, sicut nos coniungimus. Verba sunt hæc in sermone tertio de annuntiatione: Auditam fac mihi manè misericordiam tuam, quia in te speraui Domine, sola nimirum spes apud te miserationis locum obtinet, nec oleum misericordiæ nisi in vase fiduciæ ponis: Sed est infidelis fiducia, solius vtique maledictionis capax, cum videlicet in spe peccamus. Quanquam nec fiducia illa dicenda sit, sed insensibilitas quædam, & disimulatio perniciosa. Quæ enim fiducia est ei, qui periculum non attendit? aut quod ibi timoris remedium, vbi nec timor sentitur, nec materia [*peccatum*] ipsa timoris? Fiducia solatium est, nec eget ille solatio, qui lætatur cum malefecerit, & in pesimis rebus magis exultat. Rogemus itaque fratres, responderi nobis, quantas habeamus iniquitates & peccata, scelera nostra nobis desideremus ostendi. Scrutemur vias nostras, & studia nostra, periculáque vniuersa

uersa vigili intentione pensemus. Dicat quisquis in pauore suo, Vadam ad portas inferi, vt iam non nisi in sola Dei misericordia respiremus. Hæc vera hominis fiducia est, à se deficientis, & innitentis Domino suo. Hæc inquam vera fiducia est, cui misericordia non denegatur, Propheta testante, Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in his qui sperant super misericordia eius. Nec parua vtique suppetit nobis, in nobis quidem causa timoris; in ipso autem causa fiduciæ. Hæc ille. Sed quid agimus? an obliti sumus nobis propositum esse, vt cum satis multa de partibus Pœnitentiæ dixerimus, deinceps de causis contritionis & fidei dicamus?

Causarum cognitio in omni explicatione necessaria est. Scire enim, vt inquit Aristot. est rem per causas cognoscere. Itaque non potest in hac methodica tractatione pœnitentiæ omitti commemoratio causarum, à quibus oritur & existit vera pœnitentia, id est, contritio & Fides, &c.

Causæ.

Quanquam igitur ratio vtcunque intelligit delicta externa contra ciuilem societatem, tamen quanta mala sint illa interiora, dubitatio de Deo, auersio à Deo & alia cognata, non cernit nisi monstrante Deo. Est enim cæca hominum natura, nec satis videt, quanta sit ira Dei, & quantum malum sit peccatum, vt Psal. 90. dicitur. Quis nouit potentiam iræ tuæ? Quis metuit iram tuam. Doce nos numerum dierum nostrorum, vt ambulemus corde sapienti.

Ambulare corde sapienti, est agnoscere iram Dei aduersus peccata, & rursus erigi agnitione misericordiæ propter Christum promissæ, atque ita viuere in perpetua pœnitentia. Si singuli nobiscum commẽtaremur præteritas, præsentes, & futuras miserias, & cogitaremus seriò de breuitate & fugacitate huius vitæ, perfectò excuteretur nobis securitas, nec viueremus ita vitam Epicuræam, quæ impedit omnia exercitia pietatis.

Et Ieremiæ 31. Conuerte me, & conuertar. Quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam, &

postquam ostendisti mihi, percussi femur meum, confusus sum & erubui.

Scilicet turpitudinem peccati mei & magnitudinem tuæ iræ.

Sunt igitur causæ contritionis: Verbum Dei arguens peccatum, & Deus hoc verbo incutiens pauores, & mens perterrefacta sensu iræ Dei, ac dolens quòd offenderit Deum. Incoandum est enim à verbo Dei, quod accusat non solùm externa delicta, vt cædes, adulteria, furta: Sed etiam interiorem immunditiem, & confusionem malarum inclinationum, & monstrat iram Dei aduersus totum genus humanum. Sic ipse Deus in Paradiso exorsus est prædicationem pœnitentiæ, arguit peccatum terribili voce. Qua audita, primi parentes didicerunt, quantum malum sit auerti à Deo, negligere mandatum Dei, anteferre vllam rem humanam, excutere Spiritum sanctũ, & æternam coniunctionem cum Deo aspernari. Tanti mali turpitudinem nequaquam vidissent, nisi Deo monstrante: Sed cogitassent rem leuem esse vesci pomo interdicto.

Non est hæc inanis & Rhetorica exaggeratio lapsus primorum parentũ, sed veriss. & maior quàm vt posit verbis describi. Primi parentes non tantùm errarunt circa pomum, quod erat externus cibus, sed à Deo sese auulserunt, cuius mandatum neglexerunt vel potius contemserunt, & Deo summo & infinito bono antetulerunt persuasionem Diaboli, excusserunt ex pectoribus Spiritum sanctum, ruperunt fœdus & æternam coniunctionem cum Deo. Sic enim conditum erat genus humanum, vt esset arctissima copulatio inter Deum & homines. Hanc tantam, & tam arctam coniunctionem aspernari, an non est summum scelus? Sed tanti mali turpitudinem non intellexissent, nisi Deus ipse sua voce arguisset eorum scelus, & indicasset, eos non tantùm pœnas commeruisse esu pomi, sed alio obiecto longè maiori violato.

Quòd autem contritio fiat mouente corda Spiritu sancto per verbum, testatur Lucas, cap 22. Et statim loquente eo, gallus cantauit, & cõuersus Dominus intuitus est Petrũ, & recordatus est Petrus sermonis Domini, & egressus foràs fleuit amarè. In his verbis describuntur cõtritio & causæ cõtritionis. Amaræ lacrymæ significant dolorẽ in corde Petri agnoscentis tristem & magnũ lapsum.

Causa

Causa verò contritionis mouens cor Petri fuit, quòd Christus eum intuitus, accendit agnitionem huius tanti lapsus & dolorem. Ita fit contritio mouente Spiritu sancto corda, per verbum. Et quidem, vt agnoscamus peccata & iram Dei, concionatur Deus toti generi humano, non solùm verbo, sed etiam horribilibus pœnis, morte, morbis, bellis, dissipationibus gentium, & aliis multis calamitatibus.

Concio ministerij Euangelici admodum est placida. Quam vtinam audiremus. Deinde concionatur Deus prodigiis. Tertiò circundat etiam nobis signa reatus, pœnas publicas & priuatas, bella, obsidiones, incendia, alluuiones, pestem, famem. Hæ sunt seueriores conciones, quæ imprimunt fortiores aculeos in animos.

Hæ tantæ pœnæ sunt monitrices & concionatrices de ira Dei aduersus peccatum, vt perterrefacti agnitione iræ Dei doleamus nos peccasse, & quæramus Mediatorem & reconciliationem.

Cæterùm fidei causæ sunt, vox Euangelij, Filius Dei illustrans mentem, & dans Spiritum sanctum, Spiritus sanctus mouens voluntatem & cor, & ipsa voluntas impulsa & adiuta à Spiritu sancto.

Quòd autem fides per vocem Euangelij in cordibus accendatur, hæc dicta testantur.

Contra Schvvenckfeldium & alios Enthusiastas, qui negant Deum per ministerium Euangelij esse efficacem.

Iohan. 17. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus est veritas.

1. Corinth. 1. Cùm mundus per sapientiam non cognouisset Deum in sapientia, placuit Deo per stultam prædicationem saluos facere credentes.

Opinione falsa hominum.

Roman. 10. Quomodo inuocabunt si non credent? Quomodo credent si non audierint? Fides ergo ex auditu. Auditus per verbum.

Deinde Filius Dei nominatur λόγος, non solùm quia cogitatione Patris nascitur, sed etiam quia est persona patefaciens Euangelium ex sinu æterni Patris, & conseruans ministerium Euangelij, & est efficax in his, qui credunt Euangelio, & voce Euan- *Ephes. 4.* *Iohan. 15.*

gelij dicens consolationem in cordibus eorum, & viuificans eos & ostendens Patrem, & effundens Spiritum sanctum in corda eorum.

Etsi enim fit viuificatio per omnes personas, tamen hoc ordine fit; Filius qui colligit Ecclesiam, immediatè voce Euangelij mouet corda, & monstrat Patrem, & dat Spiritum sanctum. Ideo dicit Athanasius: Quandocunque dicitur in homine esse Spiritus sanctus, est ibi per verbum.

Si volumus rem rectè cōsiderare, reperiemus eandē doctrinam proponi in Catechismo nostro, in Symbolo. Est quidē vera regula Augustini de operibus diuinitatis: opera diuinitatis externa, sunt communia, id est, communiter fiunt ab æterno Patre, Filio & Spiritu sancto: sed tamē hæc regula ita accipienda est, ne ordo personarum, & officiorū discrimina perturbentur. Quare vt ipsæ personæ sunt discernendæ, & ordo earum tenendus, ita etiam loquamur de beneficiis illarum, vt Scriptura & symbola discernunt. August. inquit Patrem, agere à se, Filium per se. Hoc veriss. est, & sumtum ex ipsis visceribus, vt ita dicam, Scripturæ. Roma. 11. A quo, per quem, & in quo sunt omnia. Colos. 1. & 4. Ebr. 1. Vt autem iuniores possint hoc discrimen intelligere, recitabo historiolam quandam. Polybius lib. 2. historiæ suæ, describens statum Reipub. Argiuorum, tres duces recenset, quorum primus fuit Philopœmē, alter fuit Aratus Sicyonius, tertius, Lycertas. Primum dicit fuisse ἀρχηγὸν, id est, primum authorem & incoatorem huius status. Aratum verò fuisse τελεσιοῦργον, id est, perfectorem eiusdem status. Tertium βεβαιώτην μόνιμον, id est, confirmatorem. Easdem appellationes, iuxta Scripturæ testimonia & phrases, possumus accommodare ad personas diuinitatis sine omni metu cauillationis.

Tertiò, Spiritus sanctus confirmat assensionem seu fidem in cordibus nostris, & accendit lætitiam, vt inuocare Deum possimus, & alios motus congruentes verbo, vt 2. Timoth. 1. scribitur. Non dedit nobis Deus Spiritum timiditatis, sed roboris, dilectionis, & castificationis.

Nos non possemus vincere Diabolum, nisi armati essemus hoc robore Spiritus sancti. 2. Accendit dilectionem Dei & proximi. Est enim flamma amoris inter Patrem & Filium, inter Deum & Ecclesiam, & denique inter nos ipsos

ipsos. 3. Castificat nos, id est, mortificat actiones carnis, iniicit frenum cupiditatibus inordinatis.

Et Rom. 8. Non accepistis Spiritum seruitutis in timore, sed Spiritum adoptionis filiorum, per quem clamamus Abba Pater. Hic Spiritus dat testimonium Spiritui nostro, quòd simus Filij Dei. Item, opitulatur infirmitati nostræ.

Postremò, quòd voluntas humana non habeat rationem causæ in conuersione ad Deum, nisi quatenus à Spiritu sancto impellitur & adiuuatur, clarissimè testantur hæc dicta.

Rom. 8. sensus carnis inimicitia est aduersus Deum: Legi enim Dei nec subiicitur [*de actu*] nec subiici potest, [*De potentia.*]

φρόνημα complectitur mentem, voluntatem & cor.

2. Corinth. 3. Non sumus sufficientes ex nobis cogitare aliquid tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra est ex Deo.

Loquitur de cogitationibus & affectibus spiritualibus.

Philipp. 2. Deus est, qui operatur velle & perficere.

Ioann. 6 Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum. Hanc sententiam Christi præclarè enarrat Augustinus. Non dicit, Duxerit, ne quis aliquo modo volũtatem præcedere credat. Quid traheret enim si volebat? At nemo venit nisi velit. Trahitur ergo miris modis, vt velit, ab illo qui nouit intus operari, non vt homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed vt ex nolentibus volentes fiant.

Qualis fuit voluntas Pauli proficiscentis Damascum? Lucas Act. 9. illustribus verbis describit immane odium ipsius aduersus Euangelium & Apostolos, Saulus ingens spirabat adhuc, &c. Et hunc animum & sensum retinet, donec Christus ipse ex cœlo dicat, Saule Saule, quid me persequeris. Hîc demum ex nolente fit volens. Sic Augustinus vsque ad annum 30. ætatis suæ fuit Manichæus, & vix fuit alius tam salsus subsannator & derisor nostræ religionis, quàm Augustinus, sed mirabili modo & opere Dei ex Manichæo factus est Augustinus. Sic fuit in quodam oppido ciuis, ardens acerbiss. odio veræ doctrinæ repurgatæ per D. Lutherum. Is cùm videret alios in vicinum pagum excurrere, fuit ille spectator exeuntium de ciuitate, & his verbis eos subsannauit, Ihr seydt nicht Euangelisch/ sondern Teuffelisch. Sed quid postea? videt ille traiicientes in nauicula. Ibi

ſubitò ſentiens diuinam commotionem, magnopere rogauit nautam, vt ſe quoque in cymba tranſportaret, & vna concione audita ita conuerſus eſt, vt vſque ad vitæ ſuæ exitum, poſtea fuerit conſtans confeſſor Euangelij.

Iohan. 5. ſine me nihil poteſt facere. Hæc recitatio cauſarum illuſtrat doctrinam de beneficiis Filij Dei, & de promiſsione Spiritus ſancti, item de noſtra infirmitate, & alligat nos ad miniſterium Euangelij & Sacramentorum, quod homines feri & ebrij voluptatibus aſpernantur. Affirmat enim fidem concipi & confirmari per abſolutionem, per auditum Euangelij, per vſum Sacramentorum, ne ſuccumbat, dum luctatur cum terroribus peccati & mortis.

Sed contra hanc doctrinam aliqui obiiciunt: Si non poſſumus ad Deum conuerti noſtris viribus, cur toties repetitur in Eccleſia hæc Oratio: Agite Pœnitentiam? Item, cur non laxamus frenos diſciplinæ, & tantiſper differimus Pœnitentiam, donec ſentiamus nos rapi motu violento?

De prima obiectione hæc reſponſio teneatur: Non valet Conſequentia à præcepto ad obedientiam, vt D. Lutherus dicere ſolebat. Eſt quidem mandatum Dei æternum & immutabile, vt diligamus Deum toto pectore, & proximum ſicut nos ipſos: Sed hinc non ſequitur, humanis viribus poſt lapſum effici poſſe ardentem amorem Dei, & purum amorem proximi, qualem Lex diuina poſtulat. Horribiliter enim hominum natura languefacta eſt. Nam in mente caligo eſt de Deo, & magnum chaos dubitationum. Voluntas auerſa eſt à Deo, & circumfert inimicitiã aduerſus Deum, non timet, non diligit Deum, ſed vel ſecura negligit & contemnit, vel perterrefacta odit, & triſti fremitu fugit eum. Cor variè errantibus affectibus incenditur, & voluntatem ſecum rapit. Ita non ſequitur: Eccleſia ſonat hanc vocem: Agite Pœnitentiam. Ergo vera cotritio & vera Fides ſunt in noſtra poteſtate. Nam de omnibus hominibus, qui non ducuntur Spiritu Dei: Ieremias cap. 3. exclamat: Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut Pardus varietates ſuas, & vos poteritis benè facere, cùm didiceritis malum. Ideo in cap. 17. ardentiſsima inuocatione orat: Sana me Domine, & ſanabor. Saluum me fac, & ſaluus ero.

Sciamus igitur nos non poſſe ſanari noſtris viribus, ſed auxi-

lio Domini nostri Iesu Christi, qui afficitur misericordia calamitatis nostræ, & infundit vinum & oleum, id est, arguit peccatū, & proponit vocem Euangelij, quæ sanat vulnera nostra, & dat Spiritum sanctum.

Hæc imago pingit & miserias nostras & sanationem.

Inter sanos & pios non est disputatio de verbo, de Filio Dei, & de Spiritu sancto, sed de voluntate quæritur: an sit adiungenda cæteris causis pœnitentiæ. Nos ita quæstionem soluimus & explicamus: Dicimus voluntatem impulsam & adiutam à Filio Dei & Spiritu sancto adiungendam esse. Quia certè voluntas non credit nolens & repugnans. Sed aliud est dicere, posse nos nostra voluntate efficere pœnitentiam, vt multis est persuasum. Ideò enim multi differunt pœnitentiam, vsque ad postremum vitæ spatium, quia somniant, se quouis momento posse arripere pœnitentiā. Putant sibi nunquam defuturam esse facultatem redeundi ad Deum, & hac praua opinione fascinati, peccata & lapsus cumulant, donec tandem in ipso cursu obruantur & opprimantur, antequam portum conspiciant. Nos verò ita sentiamus, voluntatem humanam, etsi potest præstare & regere disciplinam vtcunque, tamen motus spirituales nequaquā efficere posse, nisi cùm impellitur, regitur & adiuuatur per verbum vocale, sonans per ministros Euangelij, per quod efficax est Filius Dei, & Spiritus sanctus.

Quid ergo, dicat aliquis, An indulgebo securitati, & laxabo frenos disciplinæ? De hac obiectione ita respondeo. Cùm multæ sint causæ, propter quas disciplina præstanda est: tùm illa vel maximè nos impellere debet ad honestam morū gubernationem, quia Paulus eam vocat Pædagogiam ad Christum. Donec enim perseuerant homines in delictis contra conscientiam, non potest in eis efficax esse Spiritus sanctus. Ergo ne repellatur Spiritus sanctus, necesse est omittere scelera contra conscientiam, vt accendi pœnitentia & fides in corde posit. Porrò disciplinæ præcipua pars est, audire & discere doctrinam diuinitus traditam, & non aspernari ministerium Ecclesiæ. Quare non sunt abducendi homines à ministerio publico, quod Deus instituit, & conseruat, sed potius hortandi, vt vocem legis arguentem peccata, & promißionem Euangelij de remiß. peccatorum audiant. Quod si facient, hauddubiè Deus in multorum pectoribus erit efficax, &

accendet agnitionem peccati, & iræ Dei, & rursus corda eriget consolatione Euangelij, quæ est incoatio nouæ obedientiæ & vitæ æternæ. Non igitur confirmatur hac doctrina aut disciplinæ laxatio, aut cōtemtus verbi, sed auditores commonefiunt de humana infirmitate, & de modo, quo Deus vult esse efficax.

Hic vnicus est modus, hæc vnica via perueniendi ad pœnitentiam, audire & attentè considerare vocem legis arguentis peccata, & rursus amplecti & non aspernari, tanquam fabulā aliquam, dulciss. consolationē Euangelij de remissione peccatorum. Hæc est illa stella ducens Magos ad natum Christum.

Si quis autem prætextu huius doctrinę alit securitatem, in hunc competit sententia Apocalypseos: Qui sordet, sordescat adhuc.

Item illa vox Christi: Nolite sanctum dare Canibus. Maneat ergo immota oratio Pauli: Deus dat velle & perficere: Sed alio loco plura de libero arbitrio dicuntur.

Deus est principium, medium, & finis nostræ saluationis, Er muß seyn ἀρχηγὸς, τελεσιουργὸς καὶ βεβαιώτης μόνιμος.

Alia res est disciplina externa, quæ tantùm est vmbra quædam, & potest sæpe esse simulata, & alia res est pœnitentia.

Nunc de effectibus pœnitentiæ pauca dicenda sunt, ne aliquid in Methodica explicatione omittatur. Est igitur primus effectus remissio peccatorum & reconciliatio, seu

Effectus.

Hoc intelligendū est candidè per vsitatam figuram συνεκδοχὴν: sæpè enim tribuitur toti, quod proprium est vnius partis. Nam propriè loquendo, fide accipimus remissionem peccatorum.

iustificatio, cui semper adiuncta est donatio Spiritus sancti, & vitæ æternæ, iuxta illud: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Nam viuere coram Deo, est liberari ab ira Dei & æternis pœnis, & rursus donari iustitia & vita æterna.

Hîc vero deploranda est cæcitas & durities humanæ naturæ, quæ vocem iuramenti diuini negligit, nec tanto præmio proposito, videlicet restitutione iustitiæ & vitæ æternæ, mouetur, vt de

Pœniten-

pœnitentia cogitet, & media eligat, per quę recto cursu ad hāc metam contenditur.

Media παρασκευαστικὰ ad Pœnitentiā sunt duo. I. Est Remotio impedimentorum, Esa. 1. Desinite peruersè agere. Item, Qui furatus est, non furetur ampliùs &c. II. Est studium, & amor verbi Dei coniunctus cum attentione, & consideratione vocis diuinæ.

Secundus Effectus est renouatio imaginis Dei. Nam in vera conuersione, filius Dei ostendit nobis patrem placatum, ac Spiritum sanctum effundit in corda nostra, vt vero amore & lætitia cum æterno Patre & ipso copulemur. Ita restituitur in nobis vita & iustitia æterna, & renouatur imago Dei, verbo, seu λόγῳ lucente in mente, vt agnitio Dei sit clarior & firmior, & Spiritu sancto accendente motus congruentes cum Deo in voluntate & corde, sicut Paulus inquit. 2. Corinth. 3, Nos retecta facie fulgorem Domini intuentes, velut in eandem imaginē transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu, id est, in vera pœnitentia agnito Filio consolante nos, & ostendente misericordiam æterni Patris, agnoscimus iam præsentiam Dei, nō manemus in dubitatione, an Deus nos curet, sed magis magísque ad verbi, id est, Filij lucem transformamur, Spiritu sancto confirmante assensionem, seu fidem in cordibus nostris, & accendente motus congruentes verbo.

Matt. 11. Nemo nouit Patrem, nisi voluerit reuelare Filius.

Ioann. 20. Accipite Spiritum sanctū. Hoc dicit postquam eos halitu suo afflauit. Petrus Act. 2. Christus exaltatus ad dextram Dei effudit donum à Patre acceptum, sicut videtis.

Spiritus sanctus est nexus & vinculum mutui amoris inter æternum Patrem & Filium, postea etiam nexus & copula inter Deum & Ecclesiam Angelorum & hominum piorū: Quia est ignis substantialis & lætitia, qua acquiescimus in Deo. Rom. 14. Regnum Dei non est cibus & potus, sed pax & gaudium in Spiritu sancto.

Homo non potest diu esse in eodem statu, aut crescit aut decrescit. Polybius li. 6. de re militari & repub. Omnis Respub. aut habet incremēta, aut tendit paulatim ad interitum, nec potest esse diu in eodem statu.

Hic locus eruditissimè concionatur de modo, quo renouatur & restituitur in nobis imago Dei, ad quam primi homines conditi fuerunt, & quam in lapsu amiserunt. Nos, inquit, retecta facie, id est, aperta, gloriam Domini tanquam in speculo contemplantes, ad eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem. Non obiter percurrite hoc dictum, sed singula pondera verborum expendite. Quid vocat Paulus velatam faciem & apertam? Id supra in eodem capite declarat, cùm inquit: Velamen adhuc positum esse super corda Iudæorum, ex quo intelligimus velamen significare ignorationem natiuæ sententiæ Legis & Euangelij. Qui legem non rectè intelligunt, & qui Euangelium de Christo ignorant, his velata est Moysi facies, quia nec impietatē suam agnoscunt, nec Dei misericordiā ꝓpter Christū promissam, cuius fiducia est medicatio omnium efficaciss. nostris vulneribus adhibēda & applicanda. Non enim aliter sanantur vulnera nostra, nisi agnitione & fiducia Domini nostri Iesu Christi. Vocat igitur velamen, ignorationem vtriusque generis doctrinæ. Sic velata est facies Moysi Turcis, Iudæis recentibus, pertinacibus hypocritis, qui sunt inter Papistas, & Epicuræis. Nos verò, inquit, aperta facie gloriam Dei intuemur, id est, nos non tantùm intelligimus legem, & scimus quid lex postulet, quas pœnas contumacibus denuntiet, sed etiam discimus, quæ sit voluntas Dei patefacta in Euang. de nostra salute, quomodo & cur velit nobis Deus esse placatus, cur nos recipiat & exaudiat quamuis indignos. Gloria Dei est agnitio & celebratio virtutum Dei, iustitiæ, bonitatis, misericordiæ & reliquarum virtutum, quæ sunt in Deo præcipuæ. Discimus autem audita voce Euangelij non modò Deum iustum esse, irascentem sceleribus & punientem peccata, sed etiam erigimur consideratione amplitudinis misericordiæ Dei, cuius certiss. pignus est missio Filij vnigeniti in carnem. Est igitur gloriam Dei speculari, agnoscere iram Dei aduersus peccata & iustitiæ seueritatem, quæ placari aliter non potest nisi morte Filij: Item agnoscere & apprehendere misericordiam Patris, quæ tanta est, vt non pepercerit Filio, sed eum pro nobis tradiderit. Vt igitur iustitiæ agnitione excitantur pauores, ita consolatio accenditur agnita misericordia propter Filium promissa. Transformamur autem ad eandem imaginē, id est, agnita ira Dei aduersus peccata, & agnita & apprehensa misericordia propter Christum promissa, sequitur renouatio & instauratio imaginis Dei, ad quam homo ante lapsum fuit conditus. Complectitur autem imago Dei,

1. Sapientiam

1. ſapientiam, qua rectè agnoſcimus Deum. 2. iuſtitiam, id eſt, obedientiam erga legem Dei. 3. ſanctitatem, celebrantem Deum.

A claritate ad claritatem.] Vt ſignificetur, imaginis reſtitutionem in hac vita tantùm incoari & paulatim creſcere, donec fiat perfecta in vita æterna. Salom. Prouerb. 4. Iuſtorum ſemita eſt ſimilis luci, quæ ſpargitur ab aurora vſque ad meridiem.

Tanquam à Spiritu) Aeternus Pater, & Filius effundunt in pectora conuerſorum Spiritum ſanctum, qui hanc imaginem renouat, polit, & ornat ſubinde noua acceſsione.

Tertius effectus eſt: Quòd conuerſi fiunt templa ac domicilia Dei, iuxta hæc dicta:

Eſa. 57. Habitans cum contrito & humili Spiritu, vt viuificet Spiritum humilium, & viuificet cor contritorum. Ratio humana iudicat contritos & miſeros eſſe abiectos à Deo, aut certè negat eos Deo curæ eſſe, ſed vox diuina affirmat Deũ habitare in contrito & mœſto pectore tanquã in ſuo templo & domicilio, & tale pectus eſſe officinam Dei, in qua Deus poteſt proprium opus facere, hoc eſt, conſolari, viuificare & ſanare.

Eſai. 66. Ad quem reſpiciam niſi ad contritum Spiritu, & trementem ſermones meos? Nos miſeri, ſuperbi & ſtulti nõ conuertimus oculos ad pauperes, exules, inopes, morbo conflictantes, hos negligimus, & alienos ac indignos eſſe ducimus noſtro conſpectu. Deus autem, vt Pſalmus inquit, reſpicit non alta, non magna, ſed humilia in cælo & terra. Deus ſuperbis reſiſtit, & abominatio eſt coram Deo, quicquid eſt altum coram mundo.

Quartus effectus eſt exauditio inuocationis, vt docet Iohannes in prima Epiſt. cap. 3. Cùm cor noſtrum non condemnat nos, fiduciã habemus erga Deum, & quod petimus accipiemus. Vt enim hi, qui ſunt ſine pœnitentia, non exaudiuntur, ita conuerſos ad Deum recipi & exaudiri certum eſt.

Quintus effectus eſt mitigatio calamitatũ. Nam vera conuerſio ſine vlla dubitatione impetrat auxilium Dei & mitigationem præſentium calamitatum, vt Ioelis 2, dicitur, Conuertimini ad

Deum vestrum, quia misericors est, & pœnitet eum mali.

Id est, mitigat pœnas, non futiliter, sed propter Filium Mediatorem intercedentem.

Et Ieremiæ 18. Si pœnitentiam egerit gens à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui, vt facerem ei, & subitò loquar de gente & de regno vt ædificem & plantem illud.

Quem non inuitet hæc blandiss. vox Dei ad pœnitentiam?

Ad has sententias adiungantur exempla, quæ ostendunt mitigari pœnas nostra pœnitentia & inuocatione. 2. Paralip. 12. Quia humiliati sunt, auersa est ab eis ira Domini, nec deleti sunt penitus. Et in historia Niniuitarum proponitur exemplum pœnitentiæ & mitigationis pœnarum, non modò consideratione, sed etiam imitatione dignissimum.

Sed nullius tanta est eloquētia quæ satis exponere possit saluberrimos fructus, quos pœnitentia conuersis affert. Ideo sum breuior in hac commemoratione, & ad sequentia capita accedo.

CAPVT QVINTVM.

De Contritione.

QVid sit Contritio & quomodo fiat, intelligi facilimè poterit, si primum exemplum receptæ Ecclesiæ in Paradiso aspiciatur. Cùm primi parentes lapsi essent, innumerabiles causæ dolorum & pauorum cōcurrebant. Primùm .n. non sine ingenti consternatione suam nuditatem & tristissima vulnera aspiciebant. Deinde cùm nec promissionem gratiæ audiuissent, nec vllum exemplum reconciliationis vidissent, quid aliud cogitare poterant, quàm se ruituros esse in æternum exitium, præsertim cùm ira Dei declarata esset in reiectione, & tristissimis pœnis Diabolorum? Augebat etiam dolorem hæc cogitatio, quòd intelligebant totum genus humanum sua culpa incidisse in æternam iram Dei, sed omnium maximè expauerunt accusante Deo, & sonante ipso tristiss. accusationem. Homines otiosi & securi non pos-

possunt existimare, quanta fuerit in primis parentibus hæc consternatio, qui nihil audierant de remißione peccatorum. Imò audierant magnam multitudinem Spirituum post lapsum in æternas pœnas abiectam esse.

Nos verò cogitemus fuisse terrores multo maiores, quàm qui verbis describi poßint.

In tali exemplo conspici potest, qualis motus sit Contritio vera. Est enim motus, quo corda expauescunt cogitatione iræ Dei, & vero dolore afficiuntur propter peccatum, & sunt in luctu atque mœrore, quòd Deum offenderint, & Ecclesiam polluerint, & has confeßiones sonant: Iustus es Domine & rectum iudicium tuum. Item, Tibi Domine iustitia, nobis verò confusio faciei nostræ, Item, Tibi tantùm sum peccatum, & malum coram te feci, vt iustificeris, &c.

Etsi autem non potest gradus talium pauorum & dolorum constitui, cùm in aliis magis, in aliis minùs acres & vehementes sint: Tamen rectè affirmamus, aliquos veros pauores & dolores esse oportere in his qui conuertuntur. Quemadmodum enim eruditi dixerunt in disputatione de decimis, an decimæ sint iuris naturalis: Non quota, sed aliquota est iuris naturalis: Ita hæc sententia de contritione, quæ nihil habet obscuritatis aut erroris, firmißimè teneatur, aliquam contritionem esse necessariam, quæ quidē in ærumnis crescit, vt Dauid in exilio acriùs doluit propter lapsum, quando sensit se circumferre signa reatus, & in exemplum Saulis intuens metuit abiectionem.

Formale contritionis est pauor & dolor, causa impulsiua doloris & pauoris seu obiectum est ira Dei aduersus peccatum. Ad hanc causam impulsiuā accedunt etiam plures, videlicet, quòd Ecclesiam nostris sordibus polluerimus, & quòd aliis pœnas attraxerimus. Effectus contritionis, & signum certißimum est, non solùm in ore, sed etiam in pectore habere has voces ex Psa. Iustus es Domine, &c.

Sic Ezechias oppressus morbo graui & mortifero exclamat: Vadam ad portas inferorum. Ac dolores morientium euidentißimè declarant, quæ & qualis sit vera contritio. Dum enim luctantur cum morte, & aliis tristiß. obiectis, sentiunt aculeos con-

tritionis non simulatæ. Quòd autem aliqua contritio sit necessaria, hæc dicta perspicuè testantur:

Ioel 2. Scindite corda vestra, non vestimenta vestra.

Esa. 66. Ad quem respiciam nisi ad humiliatum & contritum spiritu, & trementem sermones meos.

Ezech. 20. Displicebitis vobis in conspectu vestro.

2. Corinth. 7. Contristati estis ad pœnitentiam, quæ est secundum Deum, &c.

Vt igitur Filius prodigus rediens ad Patrem, agnoscit, accusat, ac deplorat suam culpam: Ita nos nostras sordes agnoscamus, & verè doleamus, Deum à nobis offensum esse.

Obiiciet autem fortasse quispiam: Cùm omnes affectus sequantur cognitionem, & plurima peccata nobis ignota sint, iuxta illud: Delicta, quis intelligit? non posse contritionem in nobis existere: Responsio firma & perspicua est. Etsi in hac cæcitate nō possumus singulas species vitiorum, aut lapsuum nostrorum intelligere, tamen vero dolore deploremus radicem & fructus, seu totam molem peccati, & fateamur in genere, omnes inclinationes & actiones huius miserrimæ massæ horribilia peccata esse, nisi regantur timore & fide & agnitione illius misericordiæ, quæ nobis propter Mediatorem promissa est, eâque in re Dauidem imitemur, qui cùm non posset nominatim peccata & scandala recensere, quæ suum lapsum secuta erant, vno versu cōfessionem tantorum malorum conficit: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea, quasi dicat: Quidquid ex carne natum est, caro est: Sensus autem carnis inimicitia est aduersus Deum. Legi enim Dei, nec subiicitur nec subiici potest. Agnosco igitur totam massam nostri generis ream & immundam esse, & tales esse actiones, qualis ipsa est.

Ioan. 3. caro significat confusionem & destructionem ordinis diuini in natura humana.

φρόνημα complectitur actiones mentis & voluntatis.

Reatus est formale: prauitas seu immundicies, fundamentum.

Omitto hic disputationem de causis contritionis, cùm suprà de ijs

de iis satis multa dixerim. Existit enim contritio verbo Dei arguente peccatum, & Deo incutiente pauores, vt Ebr. 4. dicitur: Viuum est verbum Dei & efficax, & penetrantius gladio.

Contra Anabaptistas, qui clamitant, verbum seu vocale seu scriptum esse literam inanem & mortuam.

Et 1. Reg. 2. Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit.

Facit Deus opus alienum, vt posit facere proprium.

Item, Ierem. 31. Postquam ostendisti mihi, confusus sum & erubui.

Et Actorum 2. illustre exemplum recitatur, quod declarat, Pœnitentiam excitari verbo: His auditis compuncti sunt corde. Vt igitur praua securitas animis excutiatur, & crescat in nobis pœnitentia, sæpe multúmque audiamus vocem Legis & Euangelij, nec ministerium diuinitus institutum aspernemur. Nam in Euangelio ostenditur contemtus Filij Dei, iuxta illud: Spiritus arguet mundum, quòd non credunt in me: & voce Legis moralis arguitur reliqua moles peccatorum, vt inquit Paulus: Per legem agnitio peccati. Consideremus etiam pœnas tristisimas in toto genere humano, quæ ostendunt magnitudinem peccati & iræ Dei: immò & mortem Filij Dei, quæ est testimonium multò illustrius, nobis proponamus, vt agnita miseria nostra, & ira Dei seriò expauescamus. Necesse est enim horrendum malum esse peccatum, cùm nulla creatura potuerit esse pretium ad placandam iram Dei, sed miranda sapientia & bonitate decretum sit, vt tantùm Filius esset pretium. Hoc testimonio si qui non mouentur, vt de ira Dei & de magnitudine peccati cogitent, duriores sunt asperrimis & nullo æuo motis scopulis in mari stantibus, quanquam asiduis fluctibus tunduntur.

Id est, senserunt aculeos pœnitentiæ, pauorum, dolorum.

Cæterùm hoc loco addenda est admonitio, vt sine obscuritate discernantur timor seruilis & filialis, seu dolor Iudæ & dolor Petri.

Rom. 8. Non accepistis Spiritum seruitutis ad timorem, sed Spiritum adoptionis Filiorum Dei.

Timor seruilis est fuga & fremitus aduersus Deum sine fide, qualis fuit in Iuda.

Timor filialis est verus pauor, ad quem accedit fides, qua fit consolatio, & accipitur remissio, & corda incipiunt acquiescere in Deo propter Mediatorem, & rursus incoant obedientiam, & spem vitæ æternæ. Hæc ita fieri manifestè testatur experientia omnium piorum in Ecclesia, quorum testimonium non contemnendum est.

Explodantur ergo Sophistarum otiosæ disputationes, de amore iustitiæ & timore pœnæ, & fateamur quod res est, mixtos esse in sanctis hoc motus: timorem, sensum pœnæ, & Fidem accedentem ad Deum. Etsi enim hi magni motus literis & vocabulis discerni possunt: tamen reipsa non ita diuelluntur, vt historia Ionæ & aliorum sanctorum ostendit.

Extant apud Horatium duo versiculi, ex quibus puto desumtam esse imaginationem aduersariorum: Oderunt peccare mali formidine pœnæ: Oderunt peccare boni, virtutis amore. Inde enim commenti sunt, contritionem Iudæ ideo esse damnatam & displicere Deo, quia Iudas metuit pœnas, mortem æternam & abiectionem inter Diabolos. Dolet ergo præcipuè metu pœnæ. Petrus verò dolet propter culpam & proper iustitiam Dei, quæ est offensa. Sed quorsum pertinet hæc tam subtilis distinctio? In conuersione semper concurrunt hi motus, dolor. Item sensus pœnarum, & accedit fidei scintilla, velut linum fumigans, &c. quæ tamen adhuc lucet & confidit bonitati Dei.

Postremò necessariò reprehendendi sunt duo errores in doctrina Monachorum de contritione, quorum prior requirit sufficientem contritionem: Si Adam & Eua post lapsum deplorassent suum peccatũ, & se confecissent dolore & mœrore, vsque ad extremum mundi diem, tamẽ nõ potuissent explere magnitudinem peccati, &c.

Alter affingit horribile mendacium, hanc sufficientem contritionem mereri remissionem peccatorum. Hi errores sunt magni & tetri. Quæ enim potest esse contritio sufficiens, cum nulli dolores vllius creaturæ quantumuis magni, pares sint iræ Dei, vt dicitur: Deus est ignis consumens: Immò quò magis crescit dolor

lor sine fide, eò magis merguntur animi in mortem & exitium. Ideo necesse est hunc errorem taxari. In altero errore deploranda & detestanda est cęcitas, & contumelia aduersus Christum, quòd dicunt, Contritionem mereri remissionē peccatorum. Transferunt enim in nostrum opus honorem debitum Filio Dei, & relinquunt mentes in perpetua dubitatione. Nos contrà, huic errori opponimus propriam Euangelij promissionem, quæ ostendit Mediatorem Filium Dei, & adfirmat propter eum gratis remitti peccata, non propter dignitatem contritionis, aut vllius operis. Nam particula gratis, quam Paulus toties repetit, perspicuè refutat opinionem meriti.

Firmissimè igitur hæc consolatio tenenda est, non pendere remissionem ex magnitudine dolorum, sed gratis donari credentibus, & tribuentibus Filio Dei honorem propitiatoris. Quare non sunt conscientiæ turbandæ imaginatione Monachorum de sufficienti contritione.

CAPVT SEXTVM.

De Fide.

IN doctrina de Pœnitentia necesse est fieri mentionem, non solùm horrendi doloris, qui nominatur contritio, sed etiam cōsolationis, quæ fit per fidem, qua tibi ipsi credis remitti peccata propter Mediatorem. Nam vtraque prædicatio semper in Ecclesia sonuit, videlicet doctrina de agnitione peccati & iræ diuinæ, & promissio de remissione peccatorū, ac de restitutione iustitiæ, & vitæ æternæ donandæ propter Mediatorem. Sic ipse Deus in Paradiso non solùm arguit peccatum terribili voce, sed etiam reuocat primos parentes ex morte, edita promissione: Semen mulieris conteret caput Serpentis, id est, destruet potentiam Diaboli, & sanabit vulnera ab eo facta. Hac promissione audita, intelligebant se recipi primi parentes, & in corde efficaciter sentiebant consolationem & vitam. Eodem modo Esaias orditur suam concionem à prædicatione pœnitentiæ: Audite cœli, & auribus percipe terra: Væ genti peccatrici. Deinde concionatur de

remiſsione peccatorũ: ſi peccata veſtra fuerint vt coccinum, &c.

Sic & Baptiſta exorſus eſt, Agite pœnitentiam, & poſtea addidit vocem Euangelij de remiſsione peccatorum: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Ita & Chriſtus mandata dat Apoſtolis: Ite, prædicantes in nomine meo pœnitentiam & remiſsionem peccatorum. Quo dicto ſummam Euãgelij eruditiſsimè complexus eſt. Hæc ideo recenſui, vt vniuerſæ Eccleſiæ concionibus inde vſque ab initio conſideratis faciliùs intelligatur, quantæ tenebræ ſint in doctrina aduerſariorum, qui iubent omnes homines manere in dubitatione, & hoc totum caput in ſymbolo delent, quod eſt portus & ſumma conſolatio piorum: Credo remiſsionem peccatorum. Immò inquiunt non credo, ſed dubito. Hic impius & execrandus error confirmat Ethnicas & Phariſaicas imaginationes. Nam humanæ mentes ignaræ Euangelij, & legem vtcunque intuentes, merguntur in hanc dubitationem, quæ triſtes fremitus aduerſus Deum, & deſperationem parit.

Nos verò propriam doctrinam Eccleſiæ Dei, in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis traditam & illuſtratam, de fide, & de iuſtitia proponimus, quæ affirmat Fide accipiendam eſſe promiſsionem, & cùm hac fide acquieſcit homo in Mediatore, verè imputari iuſtitiam, & dari remiſsionem peccatorum, & reconciliari hominem propter Mediatorem, & hunc ipſum Mediatorem in eo efficacem eſſe, & voce promiſsionis & Spiritu ſuo ſancto accendere nouam lucem & obedientiam, & in corde pacem efficere, quæ eſt initium vitæ æternæ. Quòd autem gratis fide propter Mediatorem accipiantur remiſsio peccatorum & iuſtificatio, ſeu reconciliatio, quæ fit per Filium, donato Spiritu ſancto, & hæreditas vitæ æternę, manifeſta teſtimonia ſunt Ioan. 3. Sic Deus dilexit Mundum, vt filium vnigenitum daret, vt omnis qui credit non pereat, ſed habeat vitam æternam.

Ioan. 5. Amen, Amen, qui ſermonem meum audit & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, ſed tranſiuit ex morte in vitam. Clarè affirmat filius Dei, eos, qui fide Euangelium amplectuntur, non ſubituros eſſe tribunal irati iudicis, ſed acceſſuros ad thronum gratiæ cum fiducia, & iam traductos eſſe per Iordanem, id eſt, per mediam mortem & ingen-

tes

tes huius vitæ ærumnas in terram promissam, hoc est, in vitam æternam.

Acto. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum. Hîc Petrus recitat testimonium diuinæ patefactionis, repetitum in vniuersa Ecclesia, subinde missis Prophetis, quorum voci Deus etiam illustria testimonia addidit. Hunc consensum catholicæ Ecclesiæ, & tanquam perpetuam synodum citat Petrus, vt breuiter summam doctrinæ Propheticæ ostendat, & discernat propriam Euangelij vocem ab omnibus impiis, Ethnicis, & Pharisaicis opinionibus, & significet vocem Euangelij nõ esse nouam, sed omnibus temporibus in vera Ecclesia propagatam esse.

Hanc vocem Petri verè à Spiritu sancto esse, testatur miraculum quod secutum est post concionem Petri: Hæc, inquit textus, Petro dicente, lux Spiritus manifestè se effudit in auditores, Cornelium, & totam ipsius familiam.

Verè dixit D. Lutherus, librum Actorum Apostolicorum esse malleum, quo posit retundi Papistarum arrogantia & inanis iactatio. Semper in ore habent Papistæ Ecclesiam, Concilia, Synodos, Patres. Perpetuò vociferantur se esse Ecclesiam catholicam, se suffragari decretis synodorum & sententiis patrum, & hanc Gorgonem nobis opponunt, & certè non paucis fucum faciunt hac verborum magnificentia. Quis enim nõ reuerenter sentiat de piis synodis, de scriptoribus Ecclesiasticis, qui nihil cum fundamento pugnans docuerunt. Sed his inanibus terriculamentis & præstigiis verborum opponamus vocem Petri: huic omnes Prophetæ, &c. Das seind die rechten Synodi vnd Patres. Clament igitur & vociferentur, vsque ad supremam mundi diem. Nobis penitus sit infixa vox Dei, quæ per os Petri prolata, locuples est testis nostræ sententiæ.

Adiungantur autem Petri dicto & alia testimonia, sæpe alibi repetita, vt in cap. 3. 4. & 5. ad Rom. propositio de iustitia fidei & confirmatio, vbi dicitur iustificati fide pacem habemus. Et ex Esaia; notitia serui mei iusti iustificabit multos.

Est autem Fides, assentiri omni verbo Dei nobis tradito, & in hoc promissioni gratiæ, & est fiducia promissæ misericordiæ, qua

cor propter Mediatorem & per eum liberatur ex doloribus inferorum, & accedit ad Deum, & inuocat eum clamans, Abba Pater, & hac vera consolatione acquiescit per Filium dato Spiritu sancto, vt dicitur Galat. 3. vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem, & Iustus fide sua viuet.

Cæterùm vt hæc vera fides rectè intelligatur, semper in conspectu sit dictum Bernhardi:

In concione de annuntiatione.

Necesse est primò omnium credi, quòd remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei, sed adde & hoc, vt credas quòd per ipsum peccata tibi donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet Spiritus sanctus in corde tuo, dicens: Remissa tibi sunt peccata. Sic enim arbitratur Apostolus, Gratis iustificari hominem per fidem. Hæc Bernhardi verba mirificè illustrant propriam & præcipuam Ecclesiæ doctrinam de iustitia Fidei. Quia non solùm requirunt, vt in genere credamus, peccata remitti per misericordiam, sed iubent addere specialem fidem, qua credamus & nobis ipsis remitti peccata, & docent, fide corda erigi & tranquillas reddi conscientias per Spiritum sanctum. Scit Diabolus, remitti aliquibus hominibus peccata, & multi homines, vt Saul & Iudas, credunt aliis remitti. Quare hæc necessaria admonitio sit infixa mentibus nostris, Credas tibi ipsi remitti peccata. De hac fide loquitur Pau. Ro. 4. cùm docet promissioné fide accipi. Non accipiunt promissionem, qui credunt eam aliis, non sibi offerri, sicut in Epist. Ioan. scriptũ est: Qui non credit in Filium, accusat eum mendacij. Cum igitur recitas Articulum symboli, Credo remissionem peccatorum, intelligas non tantùm aliis, sed tibi quoque dari. De hac fide dicitur: Iustificati fide pacem habemus. Nec alia consolatio quærenda est, sed hac fide in Deo propter Mediatorem acquiescendum est. Sic accipitur Spiritus sanctus, iuxta dictum in Zacharia: Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum. Quia tunc testificatur Spiritus sanctus in cordibus, quòd simus in gratia, & in ea consolatione sentimus nos eripi ex doloribus inferorum, nec iam fugimus Deum, sed inuocamus, & ad eum accedimus, & tunc verissimum est, Filium Dei adesse, & efficacem esse in

Ioan. 1. In ipso vita erat: vita autem erat lux hominum.

cor-

cordibus, & verbo ostendere Patris præsentiam & misericordiam, sicut inquit: Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui volet Filius reuelare. Item, Ego sum vitis, vos palmites.

Postremò, semper in lucta de reconciliatione angimur de duabus rebus, de dignitate & de particularitate. Primùm cogitamus, etiamsi Deus est misericors, & peccata remittit, tamen hoc tantùm beneficium impertit aliis dignis, & qui habent benefacta. Ego verò habeo multos turpes lapsus. Huic tentationi opponenda est particula GRATIS. Immò, omnes sunt indigni. Nemo recipitur aliter nisi propter Filium Dei gratis, nec magnitudine peccatorum depellaris à Deo, sed teneas hoc dictum, Gratia exuberat supra peccatum.

Deinde cogitamus, etiamsi Deus non respicit merita, tamen habet suum catalogum fatalem, in quo sunt scripti quos vult saluos facere. Non possum affirmare me in eo numero esse. Huic disputationi opponenda est particula vniuersalis in promissione, Venite ad me omnes qui laboratis, &c. Ac meminerimus sæpe repetitam esse hanc particulam vniuersalem, singuli nos ipsos in eam includamus, & sciamus Deum verè esse æqualem, omnes contemnentes Filium reiicere, omnes confugientes ad Filium recipere, nec esse προσωποληψίαν apud Deum. Hæc in quotidiana inuocatione veniant in mentem: languefacit enim inuocationem, & depellit nos à Deo cogitatio, cùm indignitatis nostræ, tùm particularitatis. Non possumus statuere tam nos diligi, quàm diligebantur Ioseph & Dauid. Sciamus igitur propriam Euangelij vocem esse, promissionem gratuitam & vniuersalem reconciliationis donandæ propter Christum, & hanc oportere fide accipi. Sed quoniam totus locus de iustificatione alibi copiosè illustratus est, nunc sum breuior, & ad consequens caput, de noua obedientia, accedo.

CAPVT SEPTIMVM.

Eministis vsitatam & hauddubiè veram distinctionem partium pœnitentiæ. Diuiditur enim pœnitentia, seu conuersio hominis ad Deum in tres partes. Quarum prima appellatur contritio, id est, vera & seria agnitio peccati, quam comitatur in corde pauor & dolor metuens iram Dei & æternam abiectionem. Altera pars est Fides, id est, fiducia Mediatoris, qua cor liberatur à periculis mortis & doloribus inferni, vt Psalmi vtar verbis. III pars est noua obedientia seu bonum propositum deinceps in omni vita celebrandi Deum, non solùm doctrina, sed etiam obedientia, & fouendi communem Ecclesiæ & generis humani societatem. Hæ tres partes pœnitentiæ non tantùm discendæ sunt quadam θεωρίᾳ, id est, speculatione & consideratione, sed multò magis sensu, id est, experientia spirituali. Audiamus singuli concionem legis, monstrantem & arguentem peccata, & incutientem hominibus non ferreis aliquos certè pauores propter peccatum & iram Dei. Rursus audiamus dulciss. vocem Euangelij, retrahentem nos ex morte æterna, eripientem ex faucibus inferorum, & postea nostram gratitudinem declaremus sancta dicendo & sancta faciendo. Scitis enim tria esse instrumenta doctrinæ cœlestis. Quorum primum est Meditatio, id est, diligens & asidua lectio librorum Propheticorum & Apostolicorum. Alterum est, Inuocatio. 3. Tentatio, id est, experientia spiritualis. Non satis est enim in nostras aures infundi voces de contritione, sed illud etiam accedat, vt seriò agnoscamus & deploremus nostros lapsus, nostra peccata, defectus, inclinationes & actiones pugnantes cum lege Dei, dicta, facta, consilia, conatus, qui repugnant voluntati Dei. Neque hæc otiosa speculatione tantùm percurramus, sed, Deo adiuuante, expauescamus, metuamus iram Dei & comminationes diuinas: proponamus nobis exempla horrendæ iræ Dei, quæ cernuntur in totius mundi historia, & nostris temporibus nusquam deesse possunt. Rursus erigamur consolatione, & adhibeamus nostris vulneribus ea remedia, quæ Filius Dei ex sinu æterni Patris ad nos attulit. Postquam verò eluctati sumus ex doloribus, & fide superauimus dubitationes & trepidationes, & iam sentimus læti pacem illam acquiescentem in Deo, postea non simus Deo ingrati, sicut nouem leprosi post sanationem obliti sunt medici, à quo tanta beneficia acceperant, sed imitemur Samaritanum

num, qui sanatus agnouit copulationem naturalem, quæ est inter benefactorem & eum qui beneficiis adficitur, studeamus Deum celebrare per omnem vitam & obedire ei.

De noua obedientia.

Actenus recitaui, quid in doctrina de contritione retineri necesse sit, & quid taxari oporteat. Dixi item doctrinam de fide speciali, qua tibi credis remitti & de qua Paulus acerrimè dimicat, adiungendam esse. Cùm igitur post cõtritionem, remisio peccatorum fide accepta est, sequatur noua obedientia, quæ propriisimè est, iuxta Pauli definitionem, militare bonam militiam, id est, retinere fidem & bonam conscientiam. Ideo enim reconciliatio donata est, vt in nobis accendantur noua lux & vita æterna, quæ est noua obedientia erga Deum, Sicut 1. Ioann. 3. dicitur. Apparuit Filius Dei vt destruat opera Diaboli, id est, vt deleat peccatum & mortem, ac restituat in nobis æternam iustitiam & vitam.

Nemo imaginetur Filium Dei venisse ad confirmandam & stabiliendam impietatem, sed multò potius ad destruenda opera illa Diaboli. Quia inquit, veni non soluere legem, sed implere. Implet autem legem. 1. docendo & enarrando. 2. faciendo & præstando integram obedientiam, quam lex postulat, sine peccato. 3. sustinendo pœnas legi debitas, quas nos persoluere debueramus. 4. restituendo & instaurando imaginem Dei in nobis. De hoc quarto modo impletionis Christi inquit Propheta Ierem. 31. cùm de nouo Testamento sic loquitur: Dabo legem meam in corda eorum, hoc est, post reconciliationem & acceptationem gratuitam Ecclesiæ ad vitam æternã, propter merita & obedientiam Filij Dei, addam hoc ἐπίσαγμα, donabo eis Spiritum sanctum, accendam in mente ipsorum veram agnitionẽ Dei & in corde veram obedientiam congruentem cum lege Dei, quæ etsi in hac vita tantùm incoatur, tamen post resurrectionem, abolita morte & peccato erit perfecta & integra, &c.

Meminerimus autem nos habere remisionem peccatorum, & reconciliationem, & imputationem iustitiæ, seu acceptos esse fide propter Christum Mediatorem, non propter nouam obedi-

entiam, quæ adhuc imbecillis est, & multis sordibus contaminata. Sed tamen necesse est crescere in nobis illam incoatam obedientiam: Quia Deus non solùm præcipit, vt obediamus, sed etiam misit Filium, vt obedientia restitui posit, non vt confirmetur regnum peccati. Recitaui autem suprà summam doctrinæ de noua obedientia.

Homo est similis Lunæ. vt enim Luna aut crescit aut decrescit, nec diu manet in eodem statu: Ita hominem necesse est aut crescere in agnitione Dei, aut paulatim mergi in densiores tenebras & furores, &c.

CAPVT OCTAVVM.

De confessione & absolutione.

CVm omnis controuersia aut de re soleat, aut de nomine esse: Vtraque earum nascitur, si aut res ignoratur, aut erratur in nomine. Ne igitur aliquid erroris in vocabulo confessionis relinquatur, sciant studiosi hanc vocem non vno modo vsurpari in scriptis Propheticis & Apostolicis. Primùm enim, significat publicam confessionem culpæ, qua coram Deo & Ecclesia fatemur nos reos esse & iustè puniri, vt de summo Sacerdote in Lege dicitur: Teneat victimam, & confiteatur peccata populi. Et de auditoribus Baptistæ Matth. 3. dicitur: Baptizabantur in Iordane, confitentes peccata sua.

Deinde significat priuatam agnitionem culpæ seu ipsam contritionem, vt Psalmo 32. Dauid inquit: Dixi, Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remittis iniquitatem peccati mei. Et Psalm. 51. similis confessio extat. Tibi tantùm sum peccatum, & malum coram te feci, vt tu iustificeris, & vincas cùm iudicaris: id est, fateor me peccatorem esse, & meritum æternam iram, nec possum opponere meam iustitiam tuæ iræ. Ideo pronuntio te iustum esse, cùm condemnas & punis nos: Pronuntio te vincere, quando Hypocritæ iudicant

Deus est iustus iuxta legem, quando punit malos & impios & contumaces, & est iustus iuxta Euangelium, iustificans impium, qui est ex fide Iesu Christi, vt Rom. 3. dicitur.

te, quòd

te, quòd sis iniustus, qui ipsos punias aut condemnes bene meritos: Imò nostra merita nō possunt opponi tuæ iustitiæ, sed ita iustificabimur, si tu iustifices, si tu reputes nos iustos per misericordiam, si nos recipias propter Filium.

Exemplum est apud Thucididem de Nicia, qui fuit vir sapiens & iustus, quò ad externam vitæ & morum gubernationem. Is igitur, cùm in Sicilia ab hostibus esset circumuentus, & videret se in certissimo periculo esse, consolatus est se & milites suos eiusdem periculi socios hac Oratione: Ego quidem, inquit, semper vixi erga Deos piè & legitimè, & erga homines iustè, & summa cum modestia, sine superbia & arrogantia. Itaque iubeo vos bene sperare, hauddubiè Deus nobis aderit, si non propter alias causas, tamen propter meam virtutem & pietatem, & nisi hoc faciat, profectò vix effugiet crimen iniustitiæ. Annō Nicias hac Oratione habita apud milites iudicat Deum? Quid verò putas eum fecisse postea, cùm victus & captiuus abductus est, qualis tùm fremitus ipsius fuit? &c.

In tertia significatione vocabulum confessionis vsurpatur pro agnitione offensionis, & petitione reconciliationis apud homines offensos, vt dicit Iacobus: Confitemini mutuò peccata vestra, id est, sanate inter vos offensiones.

Hæ significationes in Scriptis Propheticis & Apostolicis, procul segregentur à decreto Pontificio, quod præcipit confessionem, id est, enumerationem delictorum, præsertim arcanorum, faciendam administrantibus Sacramenta.

De hac enumeratione quæritur, an sit necessaria. Manifestum est autem enumerationem omnium vel paucorum delictorum non esse præceptam iure diuino. Quia nusquam voce Christi aut Prophetarum aut Apostolorum præcipitur.

Deinde enumeratio singulorum est impossibilis: Quia valde multa sunt peccata ignorātiæ & omissionis, quæ homines nec intelligunt nec meminerunt, iuxta illud: Delicta quis intelligit?

Ideo certum est conscientias nequaquam onerandas esse singulorum enumeratione, & nequaquam pendere remissionem ex enumeratione.

Longè maior est multitudo peccatorum, quàm vt possit recenseri & numero comprehendi. Circumferimus enim peccata origi-

nis, peccata actualia, voluntaria & inuoluntaria, peccata ignorantiæ & omisſionis, varios defectus, inclinationes, actiones pugnantes cum lege Dei, mala consilia, conatus, sermones & facta contraria legi diuinæ. Quis posset tantam varietatem & tantam molē peccatorum numero comprehendere, & nominatim singula recensere? Ideo inquit Psalmus, Dixi, confitebor iniustitiam meam Domino.

Hanc doctrinam necessariam esse piis perspicuum est. Quia tristisſima carnificina excruciarentur, si putarent singula nominatim recitanda esse, nec remiti peccata, sine illa anxia enumeratione. Non disputabo de hac quæstione prolixiùs, cùm manifesta sit veritas, & omnes pij omnium ætatum ita iudicârint, enumerationem singulorum delictorum non præcipi iure diuino: vt Chrysostomus in enarratione Psalm. 51. apertè inquit: Si pudet alicui dicere peccata, dicito ea quotidiè in anima tua: non dico vt confitearis conseruo tuo, vt tibi exprobret, dicito Deo qui sanat ea. Omitto etiam hoc loco refutationem argumentorum, quibus aduersarij ostendere conantur, necessariam esse enumerationem singulorum, & iure diuino præceptam. Norunt enim Episcopi se has præstigias offundere oculis & animis populi, non quòd sic sentiant, sed ne hunc neruum suæ potentiæ amittant.

Quàm frigidum est, quòd dicunt se iudices esse, nec posse fieri absolutionem sine cognitione, cùm sciant aliud esse sceptrum, aliud plectrum, id est, differre iudicium politicum, à ministerio reconciliationis.

Aliud est iudicium forense aliud Ecclesiasticum.

Sed nolo in his nugis refutandis immorari. Cæterùm plurimæ & maximæ causæ sunt, propter quas sentio retinendam esse priuatam Absolutionem in Ecclesia, quæ est vox ministerij Euangelici priuatim applicans remisſionem petenti. Primùm enim hæc Absolutio illustre testimonium est, quòd post Baptismum lapsi conuerti posſint, & conuersi recipiendi sint & absoluendi, ac rursus fiant hæredes vitæ æternæ. Hæc causa valde mouere pias mentes debet, vt ament & tueantur priuatam absolutionem, & suo exemplo eius conseruationem adiuuent: Deinde retento ritu priuatæ absolutionis magis in Ecclesia conspicitur discrimen Legis & Euangelij, & ostenditur testimonium ipsis

exemplis,

exemplis, quòd in Euangelio mandatum traditum ſit de R. P. ſingulis annuntianda: Sicut Petrus Alexandrinus hunc ritũ citauit contra Nouatianos. Sunt & aliæ cauſæ ab vtilitate ſumtæ, quæ cum omnibus notæ ſint, mihi ad commemorãdum non ſunt neceſſariæ.

Dicam breuiter de duabus vtilitatibus: Quarum vna eſt, Quia rudiores poſſunt in hoc colloquio à miniſtro erudiri, quod parum differt ab Examine & repetitione Catechiſmi. 2. Quia miniſtri poſſunt diſcernere eos, qui ſunt admittendi ad Cœnam Domini ab alijs, qui propter graues cauſas arceri debent à ſacra communione.

CAPVT NONVM.

De Satisfactione.

DVo ſunt, quantum ego exiſtimare poſſum, præcipui fontes errorum de Satisfactionibus; videlicet Ignoratio hiſtoriarum, & confuſio diſciplinæ politicæ & iuſtitiæ Spiritus. Vt enim magna ſapientia eſt, noſſe hiſtoriam Eccleſiæ, & diſcernere politicos mores, à iuſtitia Spiritus: Ita magnum Chaos errorum naſcitur, quando aut hiſtoriæ veteres ignorantur, aut ſuperſtitione confunduntur Res ſpirituales & Politicæ. Recitabo igitur Iunioribus hiſtorica de origine ſatisfactionum, quæ huic toti negotio magnum lumen adferunt.

Vltima & ſumma pœna in Eccleſia eſt Excommunicatio, quæ in veteribus Canonibus nominatur Anathema.

Polybius. Multi inepti magis imitantur πάρεργα ſummorum virorum, quàm ἔργα. In hanc ſententiam etiam Cicero in Oratore inquit, quoſdam voluiſſe imitari Craſſum, qui fuit ea vehementia in dicendo, vt ſubinde pedibus pulſaret terram inter orandum. Illos igitur ineptos putaſſe, ſe ſimiles eſſe Craſſo, ſi ſimili modo pedibus pulſarent terram. Sic in omnibus Synodis tractata ſunt πάρεργα & ἔργα. Εργα fuerunt confeſsiones veræ doctrinæ, Symbola, & refutationes errorum, & dijudicationes dogmatum: vt ab Imperatore Conſtantino coacta eſt Synodus Nicæna, vt ederetur

Confeſsio perſpicua de Filio Dei, de ipſius æterna eſſentia & diuinitate, qua Patri eſt æqualis, contra blaſphemiam Arrij. πάρεργα in Synodis ſunt quædam regulæ, quas Græci vocant Canones, de diſciplina Eccleſiaſtica, de Ceremonijs, de reditibus, &c. Fuit autem in prima Eccleſia ſeueritas maior quàm quæ nunc eſt, aut eſſe poteſt: Sicut ex hiſtoria illa memorabili de Theodoſio Imperatore & Ambroſio conſtat. Nam Theodoſius, qui erat iracundior natura, & facilè concipiebat flammas irarum, propter paucorum militum interfectionem in vrbe Theſſalonica, iuſsit totam multitudinem populi promiſcuè, ſine vllo reſpectu ſexus aut ætatis, interfici. Et interfecta dicuntur ſeptem millia hominum propter edictum Imperatoris. Venit igitur Theodoſius aliquando ſecurus in templum Mediolanum, cuius Præſes & Epiſcopus erat Ambroſius, & petit ſe admitti ad communionem Cœnæ Domini: Ibi Ambroſius vt vir Dei, coram tota Eccleſia reijcit ac repellit eum, quòd eſſet cõſperſus cruore hominum innocentum, & excommunicat eum. Imperator vero octo menſes cõtinuos vixit in ſqualore, luctu, ac mœrore, nec priùs receptus eſt ab Ambroſio, quàm legem conderet, quæ eſſet frenum iracundiæ ſuæ: Ne quiſquam ſceleratorum afficeretur ſupplicio ante 30. diem. Hac lege conſulere voluit miſeris hominibus, qui ſæpe excluſi temporis breuitate non poſſunt ſe ſatis tueri & explicare. Et fuit hæc lex poſtea ſaluti multitudini Antiochenæ. Quia enim Antiocheni euerterant in nocturno quodam tumultu ſtatuam Placillæ coniugis Theodoſij, erectam in foro, Theodoſius iuſsit promiſcuè ſæuiri in omnes. Sed hæc lex retraxit eũ & poſtea cognita cauſa pepercit ciuibus.

Duo ſunt, quæ Græci vocant προφυλακτικά aduerſus multas hæreſes & ſuperſtitioſas opiniones. Vnũ eſt cognitio hiſtoriarũ Eccleſiæ & veterum certaminum. Alterum eſt diſcrimen illuſtre & conſpicuum inter diſciplinam, quæ eſt iuſtitia carnis, & iuſtitiam Spiritus, quæ in corde accenditur à Spiritu ſancto per Euangelium. His duobus remedijs præmuniti rectiùs poterimus dijudicare, & hanc controuerſiam de ſatisfactione, & multas alias, quæ omnibus temporibus in Eccleſia extiterunt.

Eſtque pœna, qua homo legitimo iudicio eijcitur ex Eccleſia, & donec non redit ad Eccleſiam, eſt membrum prorſus ab Eccleſia præciſum, & excluſum à ſocietate Sacramentorum & Eccleſiaſticorum officiorum.

Non temerè fulmen Excommunicationis edendum eſt, ſed

magna

magna deliberatione, & multis gradibus opus est ad executionem huius iudicij, quod est omnium in Ecclesia tristissimum.

Nec dubium est primos patres etiam vitasse conuictum eorum, quos hoc modo ex Ecclesia eiecerunt. Vt Adam & Eua expulerunt à se Cain, ad quem dicitur voce diuina: Vagus eris & profugus in terra, & gessit Cain signum reatus, sicut inquit textus: Et posuit Deus in eo signum, quod cuiusmodi fuerit, etsi certò affirmari non potest, tamen consentaneum est fuisse subitam consternationem coram alijs hominibus, ortam ex magnis pauoribus conscientiæ, qui sunt iudicium & pœna sic ordinata à Deo in toto genere humano.

Eruditi multa disputant de verbis cap. 4. Genes. in quibus dicitur, posuisse Deum signum in Cain. Sed quorundam est probabilis coniectura, quæ & mihi non displicet, videlicet in Cain fuisse subitam consternationem, quoties venerit in congressus aut colloquia hominū, & eam quidē ortam à dolorib. & pauorib. cōscientiæ, qui sunt executores diuini iudicij aduersus peccatum. Vt enim bona conscientia non tantùm est approbatio rectè factorum, sed etiam lętitia, qua cor delectatur honestis actionibus, & in illis suauiter acquiescit: Ita mala conscientia non est detestatio & accusatio scelerum otiosa, sed horribilis etiam dolor & pauor in corde, qui sequitur iudicium mētis improbantis scelera, qui dolor est velut carnifex & executor sententiæ latæ voce diuina, & ipsius conscientiæ iudicio.

Hic mos eijciendi excommunicatos à consuetudine & conuictu durauit postea in gentibus, quæ magis retinuerunt disciplinam primorum parentum. Nam & apud Græcos longo tempore hoc seruatum est, vt homicidæ & incesti, qui non interficiebantur, sed vagabantur tanquam excommunicati, gererent signa reatus: vt Orestes apud Euripidem, & Adrastus apud Herodotum, scilicet velamenta certa in capite: & apud Euripidem Orestes comedit solus, nec licet ei adesse communi mensæ: Et apud Sophoclem Oedipus in-

κέστος significat apud Græcos cingulum nuptiale, & per Me-

cestus re cognita ex Thebis eijcitur. talepsin ceremonias, quibus ornantur & cohonestantur legitimæ nuptiæ. ἄκεςος, significat nuptias, phibitas lege, quæ nullis ceremonijs nec bonis ominib. aut gratulationibus approbantur. Orestes interfecerat matrem Clytęmnestram, propterea quod & ipsa, vnà cum adultero Aegistheo interfecerat patrem ipsius reuersum ex bello Troiano. Hic interfector matris diu discurrit in Græcia furens & amens, gerens signa reatus. Tandem verò absolutus est Athenis in Areopago, non hominum, sed Deorum sententijs, ac tulit pares calculos, hoc est, nec simpliciter absolutus est, propter atrocitatem sceleris, nec simpliciter damnatus, quia venia dignus fuit, aut certè commiseratione, illius dolor conceptus ex Tragica cæde patris. Hanc enim habebant calculi pares significationem, vt nec simpliciter absoluerent reum, nec simpliciter damnarent, sed quasi in medio rem relinquerent pendentem.

De Adrasto scribit Herodotus lib. 1. Is propter interfectum à se fratrem fugit ad Crœsum regem Lydiæ, & ab eo tanquam sacerdote absolutus, aliquandiu vixit in aula Crœsi, & Præceptor fuit filij Crœsi. Sed in venatione, cùm vellet figere aprum, imprudens direxit telum in filium Crœsi. Etsi autem Crœsus remittebat pœnam capitalem Adrasto, quia delictum erat inuoluntarium: tamen ipse doloribus conscientiæ suæ, propter parricidium fratris, & cædem hanc, licet inuoluntariam, impulsus est, vt necem sibi conscisceret, cùm coniecisset se in rogum ardentem.

De Oedipo potestis cognoscere ex Tragœdia Sophoclis. Nam Thebani, iuxta oraculum Apollinis, eiecerunt hunc regem suum optimè meritum & sapientissimum propter incestum & illegitimas nuptias, quas habuit cum matre Iocasta.

Hi vetusti mores arcendi excommunicatos à conuictu, etiam retenti sunt apud Iudæos: Ideò Paulus hoc modo iubet vitari excommunicatos, ne sit cum eis communis mensa. Ex his vetustis ritibus excommunicatorum, translata sunt & in Ecclesiam spectacula publicæ pœnitentiæ, vt nominabantur, quæ postea Græci nuncuparunt ἐπιτίμια, id est, castigationes seu mulctas. Latini vocabulo vsi sunt minùs verecundo satisfactionum. Homicidæ & alij polluti manifestis sceleribus, vt adulteriis, stabant certo loco in templo per aliquot dies, induti sordidis vestibus, & gestantes

ſtantes ſigna. Vt homicidæ gladios gerebant, Adulteri faſces virgarum. His ſignis oſtendebant ſe fateri culpam & ſe dignos eſſe pœnis. Sic explorati, pòſt aliquot dies abſoluebantur, & ad communionem rurſus admittebantur. Id ſpectaculum à diſciplina veteri ortum fuit, ac prorſus nihil faciebat ad Remiſsionem peccatorum coram Deo, ſed fuit exploratio qualiſcunque eorum, qui ad Eccleſiam redibant, an ſeriò veniam peterent. Aliis etiam exemplo fuit, vt ignominiam vitarent. Item, vt cernerent ob oculos poſita teſtimonia, quæ oſtendebant lapſos recipi poſſe. Creuerunt autem hæc ſpectacula ſuperſtitione, cùm indocti homines magno errore affingerent, hos ritus, quos nominabant Canonicas ſatisfactiones, mereri Remiſsionem peccatorum, ſeu culpæ, ſeu pœnæ.

Ac plurimæ Synodi veteres nunc aſtrinxerunt, nunc laxarunt decreta de his ritibus, quæ cùm legunt iuniores, ſciant vnde nugaces illæ traditiones ortæ ſint, quæ non ſolùm carnificinæ conſcientiarum fuerunt, ſed extinxerunt etiam lucem doctrinæ de iuſtitia fidei, & de veris cultibus. Harum rerum hiſtoria conſiderata, quæ ad multas inextricabiles diſputationes Monachorum & iudicandas & refutandas mirificè prodeſt, deinceps, ſi placet videamus, quam variè nomen ſatisfactionis vſurpetur.

Laxationes ſatisfactionum vocantur indulgentiæ.

Principiò ſignificat compenſationem, Deo pro culpa ſatisfacientem, & placantem iram Dei, quæ ſatisfactio propriè per Filium facta eſt. Secundò vſurpatur pro ſatisfactione ciuili, qua debitor ſoluit pecuniã, quam debet, aut is, qui alium damno adfecit, damnum compenſat. Hæc ciuilis ſatisfactio eſt opus debitum, & pertinet ad contritionem, ac bonum propoſitum: vt raptor alienæ coniugis, ſi non reddit marito coniugem, manet adulter, & eſt ſine contritione. Ita debitor non volens ſoluere, cùm poſsit, manet fur, & regula vera eſt dextrè intellecta: Peccatum non remittitur, niſi ablatum reſtituatur.

1. Iohan. 2. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: Non autem noſtris tantùm, ſed etiam totius mundi.

Similis eſt ſententia Matth. 18. Niſi remiſeritis alter alteri

peccata, &c. Hoc candidè & dextrè intelligendum est. Non pendet remissio diuina ex nostra remissione, tanquam ex merito aut causa, sed ita tamen necessaria est, vt nisi hoc impedimentum, videlicet pertinacia illa nostra, & implacabilis erga alios animus, è medio tollatur, non possit habere locum remissio diuina. Ita quanquam restitutio ciuilis non meretur remissionem peccatorum, nec est causa, cur detur remissio, tamen nisi fiat talis restitutio, non potest ad te peruenire & promanare remissio diuina.

Tertiò significat satisfactionem canonicam, quæ à Monachis hoc modo definitur: Satisfactio canonica, est facere opera non debita, id est, non mandata lege Dei, sed opera supererogationis, iniuncta ab Episcopis, vel ministris, vt mereantur remissionem pœnarum purgatorii, vel aliarum pœnarum huius vitæ.

Post historicam commemorationem, quę ostendit à quibus fontibus ortæ & profectæ sint nugaces traditiones de satisfactionibus, quas vocant Canonicas: monuimus de varia & multiplici significatione ipsius vocabuli satisfactionis. Aliter enim vsurpatur hoc vocabulum in foro, aliter in verbo Dei, aliter in disputationibus Monachorum. Phrasi scripturæ significat compensationem pro culpa, quæ placat iram Dei, & tollit mortem æternam. Talis satisfactio est sola atque vnica mors saluatoris nostri Iesu Christi. In foro ciuili satisfactio intelligitur de restitutione debiti, & de compensatione damni, quo alius est affectus. Cùm soluis pecuniam creditori, aut cōpensas ei damnum, cuius causas ei efficaces dedisti, ciuiliter ipsi satisfacis, sed nunc loquimur de tertia significatione, quæ est vsitata in scriptis & sermonibus Monachorum.

Etsi enim fatentur Monachi satisfactiones non mereri remissionem culpæ, tamen fingunt non remitti pœnam æternam, nisi propter compensationem pœnarum purgatorij, vel aliarum temporalium, & addunt satisfactiones indici ab Ecclesia, vt illæ pœnæ mitigentur, & quidem oportere satisfactiones esse opera non debita lege Dei.

Breuiter declarabo iunioribus summam commenti Monachorum de satisfactionibus.

Vos intelligitis discrimen inter culpam & pœnam. Culpa est offensio summi boni, id est, Dei ipsius, est quiddam contrarium iustitiæ Dei, & pugnans cum lege Dei. Pœna verò est cruciatus & destructio,

quæ iusto

quæ iusto ordine comitatur culpam. Et cùm Deus sit bonum infinitum & æternum, iusto etiam ordine homo offendens Deum obligatur & ordinatur ad æternam pœnam. Monachi igitur sic fingunt: Culpam quidem & offensam remitti propter Filium Dei intercedentem pro nobis, sed pœnam negant remitti, nisi conuertatur & commutetur in pœnam temporalem, quæ est vel ignis purgatorius, vt ipsi fabulantur, vel pœna huius vitæ temporalis. Sed has pœnas temporales dicunt redimendas operibus illis non mandatis Lege Dei, sed electitiis, quæ Paulus vocat ἐθελοθρησκείας, indictis & denuntiatis ab Episcopis aut ipsorum ministris, cuiusmodi sunt ieiunia certorum dierum, certarum precationum recitationes, peregrinationes, &c. Hæc igitur vocant opera non debita, quia non habent expressum testimonium verbi Dei, & sunt opera supererogationis, perinde quasi homo sua disciplina satisfaciat Legi Dei, & possit alia maiora facere.

Has fabulas Monachorum constanter reiicimus, & retinemus regulam firmissimam: Pœnæ æternæ simul cũ culpa remittuntur propter Filiũ Dei, non propter vllas nostras compensationes. Nã mors Christi non tantùm est satisfactio pro culpa, sed etiam pro æterna morte: iuxta hæc dicta:

O mors, ero mors tua, O inferne ero pestis tua.

Q. d. Hactenus potenti morti omnia propter peccatum obtẽperarunt, prona & obnoxia fuerunt morti, & infernus vno hiatu omnia absorpsit: sed ego inijciam frenum & lupata faucibus mortis & inferni. Ego sic domabo & cõstringam hos duos potentissimos hostes, vt facilè mihi & meis victoriam tradant, fateantur me & meos ipsorum esse victores. Ex hoc loco Oseæ 13. Paulus extruxit dulcissimum carmen Triumphale seu ἐπινίκιον, vt Greci vocant, quod sequitur.

1. Corinth. 15. Mors vbi est aculeus tuus? Inferne vbi est victoria tua? Deo sit gratia, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.

Et Triumphi descriptio ad Colossenses cap. 2. semper in conspectu sit: Vbi Paulus disertè inquit, victorem Filium Dei, à seipso domitas & captas potestates inferorum ducere in Triumpho, cuius Triumphi gloriam non transferamus in nostra opera, sed firmissimè hanc consolationem teneamus; Fide iustificati pacem

habemus apud Deum, id est, certum est iram Dei placatam esse, & nos liberatos esse à pœnis æternis.

Verisſimè inquit Augustinus. Opera Dei omnia sunt perfecta. Deus nihil relinquit imperfectum, sed quæcunque instituit & incoat, ijs postremam manum admouet, perficit, & consummat, ne quid relinquatur mancum aut mutilum. Quare cum pax ſpiritualis sit opus & beneficium Filij Dei, nequaquam putetur aliquid deesse de perfectione huius pacis. Quod certè fieret, si tantùm pro culpa satisfecisset Filius Dei. Talis pax non esset integra & perfecta. Semper enim essemus solliciti de pœnis æternis, & earum compensatione. Sciamus igitur Christum pro culpa & pœna satisfecisse, atque ita suo merito nobis perfectam pacem restituisse.

Quare non sunt conſcientiæ turbandæ imaginatione Monachorum de satisfactionibus.

Cogitate qualis fuerit carnificina olim conſcientiarum, commentum illud Purgatorij. Cùm homines vocabantur ad vitæ exitum, & animam iam agebant, nulla audiebatur vox alia, nisi hæc vna: Tibi migrandum erit hinc in purgatorium, sed ne diu detinearis in illis flammis, quarum tantus est ardor, vt in infinitum superent calorem ignis, quem in foco alimus subiectis lignis: nos curabimus tuo nomine fieri Missas funebres, non parcemus vllis sumtibus, nullum laborem aut officium intermittemus, quod ſpectet ad te primo quoque tempore redimendum. Hoc verè est ex fumo in ignem conijcere, & ex Scylla in Charybdim.

Secundò. Etsi verisſimum est, Remisſionem pœnæ æternæ nunquam diuellendam esse à remisſione culpę, tamē necesse est diſcerni remisſionem culpæ à remisſione pœnarum temporalium huius vitæ. Nam Ecclesia propter multas causas cruci subiecta est, quas semper in conſpectu esse oportet.

Semper videndum est in Ecclesia, quæ res sint coniungendæ & copulandæ, & quæ rursus sunt diuellendæ, diſcernendæ, distinguendæ, vt in hoc loco necesse est coniungi & copulari remisſionē culpæ, & remisſionem pœnæ æternæ. Quia vnum & idem est beneficium Filij Dei, liberantis ab ira Dei & à culpa. Hæc rectè coniunguntur. Deinde tenendum est diſcrimen inter remisſionem culpæ, & inter remisſionem pœnæ temporalis in hac vita. Etsi enim Deus

credentibus

credentibus certò remittit peccata, iuxta illud, Beatus cui Dominus non imputauit peccata, &c. tamen suo quodam consilio propter certas causas, quarum aliquas patefecit Ecclesię, vult nos etiam post remissionem, exerceri certis calamitatibus & ærumnis, alium premit inopia, alium morbis exercet, denique singulis imponit suam sarcinam: Et partem fert quisque suam, vt inquit Poëta, sed hæc non sunt satisfactiones, vel pro peccatis, vel pro pœnis æternis.

Prima est: peccatũ commune generis humani, propter quod omnes homines vniuersaliter subiecti sunt morti, morbis, & multis communibus malis.

Secunda: Cùm mundus non agnoscat illum morbum, & iram Dei aduersus hoc malum, Deus magis premit Ecclesiam, vt agnoscat hæc mala, & vocetur ad pœnitentiam.

Tertia. Quia Diabolus rabiosiùs sæuit in Ecclesiam.

Quarta. Vult Deus crescere in nobis agnitionem infirmitatis nostræ, & deponi fiduciam nostri, & accendi inuocationem Dei. Ideo magis exercet sanctos. Vult etiam conspici Deus in nostra infirmitate suam potentiam aduersus Diabolum.

Quinta. Vt afflictiones sint testimonia immortalitatis & futuræ gloriæ. Quia enim hîc sinit à Tyrannis Deus interfici Baptistam, Paulum, & similes, quos antea testatus est sibi curæ esse, necesse est restare aliud iudicium, in quo rursus appareat, hos etiam post mortem Deo curæ esse, & puniri Tyrannos.

Habetis egregiam sententiam à Christo repetitam ex 3. capite Exod. Ego sum Deus Abrahæ, Isaac, Iacob, id est, Ego curo meos sacerdotes, testes, amicos, non solùm viuos, sed etiam mortuos, imò iam verè viuentes altera parte meliore sui. Curo non tantùm animas, sed etiam corpora in monumentis condita, quæ statuto tempore reuocabo in vitam, & rursus copulabo cum anima. Hæc est perspicua asseueratio, in qua affirmat se esse Deum, id est, protectorem, curatorem, defensorem, viuorum & mortuorum, animarum & corporum. Restat igitur iudicium, in quo Deus discernet Abelem à Cain, Baptistam ab Herode, Paulum à Nerone.

Sexta. Vt afflictiones sint testimonia doctrinæ. Quia enim sancti anteferunt confessionem suæ vitæ, apparet eos seriò sic sentire.

Septima. Vt efficiamur similes imaginis Filij Dei.

Octaua. Sæpe afflictiones sunt pœnæ certorum delictorum.

Nona. Vt appareat sanctos obedientiam præstare, non suæ voluptatis causa, sed propter Deum.

Decima. Vt Ecclesia sciat se non humanis præsidiis niti, sed habere custodem Deum.

Cùm igitur variæ ac diuersæ causæ sint, cur Ecclesia subiecta sit cruci, non imaginandum est omnes calamitates, certorum delictorum pœnas esse. Et satis commodè distribuuntur afflictiones in quatuor genera: Aliæ sunt τιμωρίαι, id est, pœnæ certorum factorum, vt exilium Dauidis. Aliæ sunt δοκιμασίαι, id est, exercitia vtilia ad frenandos pios, & ad confirmandam fidem, vt ærumnæ Iosephi. Aliæ sunt μαρτύρια, id est, testimonia doctrinæ & immortalitatis, vt Abel, Ieremiæ, Pauli, & similium neces. Aliæ sunt λύτρα, id est, precium pro aliorum peccatis. Tale autem est sola mors vnius Filij Dei. Sic Matth. 20. nominat suam passionem ipse Filius Dei.

In disputatione de satisfactionibus hæ duæ sententiæ semper ante oculos versentur: Quarum prior docet Filium Dei liberasse Ecclesiam, & omnes credentes, non tantùm ab ira Dei, hoc est, vt vulgò loquuntur, à culpa, sed etiam à pœnis æternis. Semper ergo coniungamus, nec patiamur diuelli hæc duo beneficia, quæ reipsa sunt connexa & colligata, videlicet remissionem culpæ & pœnæ seu mortis æternæ. Hoc est primum fundamentum veræ doctrinæ de satisfactionibus, & firmissima refutatio opponenda aduersariorum commentis. Altera hypothesis monet, necessarium esse discrimen inter remissionem pœnæ æternæ, & inter remissionem pœnarum temporalium huius vitæ. Etsi enim Deus immensa bonitate propter Filium remittit, tegit, & non imputat peccatum, & simul retrahit nos ex morte æterna, tamen iusto, sapienti & bono consilio propter multas causas, conuersos onerat in hac vita sarcina calamitatum non leui. Etsi autem omnes causas huius consilij discemus in vita æterna, tamen nunc vtile est, attentè & piè illas considerare, quas Deus vult à nobis agnosci & intelligi, quarũ aliæ sunt impulsiuę aliæ finales. Nunc sequuntur reliquæ hypotheses, quæ & ipsæ sunt firma & immota fundamenta veræ doctrinæ de satisfactionibus, & firmissimę refutationes

tationes aduersariorum. Λύτρον, militare est vocabulum: quando milites captiui redimuntur, necesse est persolui λύτρα, quod Galli vocant Ranzon, quo etiam nostri milites vtuntur.

Tertiò. Etsi pœnæ temporales præcipuè propter Filium Dei mitigantur, qui est vmbraculum Ecclesiæ: Quia magnitudinem iræ Dei hæc infirma natura sustinere non posset, sicut Daniel orat: Propter Dominum exaudi nos, & respice nostrum exilium: tamen & hoc verum est, propter totam conuersionem mitigari pœnas: Quia in sanctis promissiones legales additæ operibus non sunt irritæ, sed habent sua præmia, qualis est: Date & dabitur vobis.

Daniel. 9.

Id est, Messiam.

Lucæ 5. Cap.

Et cùm Paulus inquit: Si iudicaremus nos ipsi, non iudicaremur: loquitur de tota Pœnitentia, non de illis vanissimis vmbris, quas disputant etiam valere, si quis relapsus sit in peccatum mortale.

Si quis ebriosus aut libidinosus suscipiat cataphractus peregrinationem ad D. Iacobum: Et in itinere polluat sese nouis sceleribus: Ibi disputant nihilominus valere illam peregrinationem, & esse satisfactoriam. Indignæ sunt hæ voces, quæ in Ecclesia audiantur, vix inter Ethnicos ferendæ.

Quartò. Manifestè falsum est, quod Monachi fingunt, opera non mandata à Deo esse cultus Dei, & mereri remissionem culpæ & pœnarum, vt certis diebus abstinere à carnibus. Talia opera immediatè hoc fine facta, vt per ea Deus honore afficiatur, vocant cultus. Contra quã persuasionem tenenda est regula firmissima: Frustra colunt me mandatis hominum. Hoc vnum argumentum satis firmum est ad refutandas satisfactiones, de quibus Monachi loquuntur, quę quidem eò maiore cura taxandæ sunt, quia persuasio de satisfactionibus valdè auxit traditiones humanas, & confirmauit opinionem, quæ fingit, opera non mandata à Deo esse cultus Dei. Est autem cultus Dei opus mandatum à Deo, factum in agnitio-

Quasi pisces non haberent carnes.

ne & fiducia filij Dei, cuius operis principalis finis, seu mediatus, seu immediatus est, vt Deus honore afficiatur. Omitto iam quæ de impletione Legis in hac materia Monachi dixerūt.

Legi Dei potest satisfieri etiā à Laicis, qui sunt in mundo, inquiunt Monachi: Sed hoc intelligunt de disciplina externa prę standa Legi: Deinde dicunt, ijs, qui volunt esse perfectiores sanctitate & iustitia, Christus tradidit præter Legem etiam quædam consilia, vt de castitate, id est, cælibatu, de non vindicando, & de paupertate. Laici possunt saluari, etiamsi non sint pauperes, non viuant cęlibes, sed nos qui volumus eminere præ alijs, & maiorem coronam assequi in vita æterna, cogimur consilijs extraordinarijs obtemperare, & ideo ingrediuntur Monasteria.

Etsi autem vitandæ obscuritatis causa nolo recitare omnes Labyrinthos huius materiæ, tamen quædam argumenta refutabo, quæ excogitantur ad errores prætextu aliquo stabiliendos.

PRIMVM.

Misericordiæ est parcere, sed iustitiæ est immutabiliter seruare Legem, requirere obedientiam vel pœnam æqualem.

Deus non solùm est misericors, sed etiam iustus.

Non igitur remittit sine compensatione seu satisfactione.

Respondeo. Concedo totum argumentum. Non facta est remisio sine satisfactione, scilicet persoluta per Filium Dei. Sola obedientia Filij Dei est satisfactio, & æquale precium pro nostris peccatis, & sacrificium placans iram Dei, sicut & Esaias inquit: Ponet animam suam hostiam pro peccato. Hanc victimam vult Deus aspici, & iram, & misericordiam considerari, nec tribuendus est hic tantus honos, videlicet esse λύτρον seu satisfactionē pro peccato, vlli iustitiæ hominum.

Totum commentum Monachorum de satisfactionibus est comentitium, & nugatorium, plenum vanitatis, stultitiæ, & impietatis. Sed hoc boni habet, quòd præbet occasionem dicendi de rebus necessarijs, quarum cognitione & explicatione in Ecclesia carere minimè possumus. Summa autem responsionis ad primam obiectionem hæc est; Concedimus argumentum, si intelligas satisfactionem

tationes aduersariorum. Λύτρον, militare est vocabulum: quando milites captiui redimuntur, necesse est persolui λύτρα, quod Galli vocant Ranzon, quo etiam nostri milites vtuntur.

Tertiò. Etsi pœnæ temporales præcipuè propter Filium Dei mitigantur, qui est vmbraculum Ecclesiæ: Quia magnitudinem iræ Dei hæc infirma natura sustinere non posset, sicut Daniel orat: Propter Dominum exaudi nos, & respice nostrum exilium: tamen & hoc verum est, propter totam conuersionem mitigari pœnas: Quia in sanctis promissiones legales additæ operibus non sunt irritæ, sed habent sua præmia, qualis est: Date & dabitur vobis.

Daniel. 9.

Id est, Messiam.

Lucæ 5. Cap.

Et cùm Paulus inquit: Si iudicaremus nos ipsi, non iudicaremur: loquitur de tota Pœnitentia, non de illis vanissimis vmbris, quas disputant etiam valere, si quis relapsus sit in peccatum mortale.

Si quis ebriosus aut libidinosus suscipiat cataphractus peregrinationem ad D. Iacobum: Et in itinere polluat sese nouis sceleribus: Ibi disputant nihilominus valere illam peregrinationem, & esse satisfactoriam. Indignæ sunt hæ voces, quæ in Ecclesia audiantur, vix inter Ethnicos ferendæ.

Quartò. Manifestè falsum est, quod Monachi fingunt, opera non mandata à Deo esse cultus Dei, & mereri remissionem culpæ & pœnarum, vt certis diebus abstinere à carnibus. Talia opera immediatè hoc fine facta, vt per ea Deus honore afficiatur, vocant cultus. Contra quā persuasionem tenenda est regula firmissima: Frustra colunt me mandatis hominum. Hoc vnum argumentum satis firmum est ad refutandas satisfactiones, de quibus Monachi loquuntur, quę quidem eò maiore cura taxandæ sunt, quia persuasio de satisfactionibus valdè auxit traditiones humanas, & confirmauit opinionem, quæ fingit, opera non mandata à Deo esse cultus Dei. Est autem cultus Dei opus mandatum à Deo, factum in agnitio-

Quasi pisces non haberent carnes.

Esa. 4. dicitur: Frange esurienti panem tuum. Et Lucæ 6. Date & dabitur vobis. Hîc constat de causa efficiente impulsiua, id est, de mandato Dei, præcipiente hanc beneficentiam. De hac re iam non disserimus. Sed in hoc etiam opere à Deo mandato, tamen formam & finem peruertunt Papistæ. Primùm enim corrumpunt formam, quia præscribunt certa tempora, & certum modum dandi Eleemosynas. Venit autem regnum Dei, vt Luc. 17. dicitur, sine superstitiosa obseruatione circumstantiarum, loci, temporis, & similium. Iubet te Deus dare Eleemosynam, sed non præscribit tibi certas horas, aut diem, aut modum, sed circumstantias relinquit tuæ pietati & arbitrio: vnusquisque det secundum suas facultates, ne sit alijs abundantia, nobis inopia. II. Corrumpunt finem. Finis operis mandati à Deo est, vt Deus honore afficiatur, sed ipsi alium finem excogitant, aberrantem à voluntate Dei, videlicet, vt opus ipsum per se & sua dignitate mereatur remissionem peccatorum, aut remissionem pœnæ purgatorij.

Non rectè facit fingens homines lege iustos esse, & alia noua opera facienda esse, tanquam supererogationis, quæ sint precium ad compensandas pœnas.

TERTIVM.

Dauidi post remissionem culpæ imposita est pœna.

Ergo satisfactiones ad remissionem culpæ accedere debent.

Respondeo. Nego consequentiam. Quia pœnæ temporales diuinitus impositæ, non sunt compensationes purgatorij, aut pro morte æterna, sed habent alios fines, vt suprà dixi. Nam præcipuus finis omnium ærumnarum est, vt excitemur ad inuocationem, & confirmetur fides, & in liberationibus celebremus Deum.

Deus affligit, non vt perdat, sed vt reuocet nos ad pœnitentiam, & acuat in nobis, & augeat scintillas fidei & inuocationis, quę rebus secundis facilè extinguuntur.

Nulla Musica, nullum ἀκρόαμα dulcius est Deo, quàm inuocatio in ærumnis, & gratiarum actio post liberationem.

Omnes stertimus profundum somnum, quasi Lethęo flumine poti,

poti, & in Lethargum demersi in rebus secundis: Sed aduersæ res excitant & exsuscitant nos ad inuocationē, & acuunt vigilantiam, sicut prouerbiali figura dicitur: Qui nescit orare, discat nauigare. Quo significatur, nauigationis pericula, & alias afflictiones totius vitæ esse causas irritatrices & impulsiuas inuocationis. Vt enim, qui in metu naufragij est, saxeus sit oportet, qui non gemat ad Deum, & vota faciat: Sic profectò in omnibus alijs afflictionibus nobis vsuuenire solet. Loquor autem de pijs, qui Deum rectè agnoscunt.

Dauid intelligit se tantis miserijs propter lapsus suos deformatum esse, ac subijcit se Deo punienti, sed non resistit in hac cogitatione de pœna, sed scit se admoneri de Pœnitentia, de inuocatione, de fide, de glorificatione Dei, quòd tantis ærumnis non opprimitur, nec prorsus deseritur, sicut Saul desertus erat.

Hæc de primo gradu satisfactionum dixisse satis sit. In cæteris gradibus taxandis eò breuiores erimus. Quia manifesta mendacia continent.

Notoria, id est, publicè omnibus nota, non indigent refutatione.

II. Manifestè falsum est, quòd dicunt Monachos sic affluere meritis bonorum operum, vt ea cum alijs liberaliter communicare posint. Vt enim hoc loco nihil dicam de vita Monastica, quæ plena est idolatriæ, & hypocriseos, quis ignorat sanctos quotidiè precari: Remitte nobis debita nostra? Cùm igitur sancti non posint propria peccata tollere atq; delere, nequaquam aliorum hortulos suis riuulis irrigare possunt.

III. Manifestum & hoc est: Applicationem indulgentiarum, qua Papa alijs applicat merita sanctorum, commentitiam esse, & indulgentias olim nihil aliud fuisse, nisi laxationes canonum, quæ nihil pertinebant ad eas compensationes, de quibus Monachi loquuntur.

Olim in Ecclesia, cùm esset maior seueritas, fuit vsitata pœna publica, videlicet spectaculum publicum, quasi theatrum, in quo conspiciebantur rei manifestorum scelerum, nec prius recipiebantur ad Ecclesiam, quàm sic explorati essent, an seriò pœniterent. Hinc originem ducunt quadam κακοζηλίᾳ omnes traditiones & nugæ de satisfactionibus Monachorum.

IIII. Fabula de purgatorio refutatur his dictis: Iustificati fide pacem habemus.

Iohan. 5. Qui credit in me, non venit in iudicium, sed per mortem transiuit ad vitam.

Iohan. 8. Qui sermonem meum seruat, mortem nec videbit, nec gustabit in æternum.

Mors corporis est vmbra mortis, si conferatur ad mortem æternam: Imò pijs tantùm est dulcis somnus, dulce iter, & dulcis migratio ex his miserijs. Sed mors æterna, est æternus, & nunquam desiturus sensus iræ Dei, videlicet vermis conscientiæ, qui nunquam morietur, & ignis crucians corpora, qui nunquam extinguetur.

Et totum caput 8. ad Romanos perspicuè commentum de purgatorio refutat: Nulla nunc condemnatio his qui sunt in Christo Iesu. Item, Quis accusabit electos Dei?

Præclarè ergo Cyprianus: Quando isthinc excessum fuerit, nullus iam locus pœnitentiæ est, nullus satisfactionis effectus. Hîc vita aut amittitur aut tenetur. Hîc saluti æternæ cultu Dei & fructu fidei prouidetur. V. Cæterum quid de Missis funebribus & venalibus sentiendum sit, suprà satis diximus.

In loco de Sacramentis.

CAPVT DECIMVM ET POSTREMVM.

Cohortatio ad agendam Pœnitentiam.

Aulus iubet in Ecclesia proponi non modò doctrinam veram & necessariam, sed etiam παραινέσις, id est, cohortationes relinquentes in animis auditorum aculeos affectuum, videlicet timoris, fidei, & aliorum. Id verò maximè faciendum est in doctrina de Pœnitentia Non enim homines tantùm sunt erudiendi, vt sciant, quid sit Pœnitentia, quas habeat partes, &c. sed quisque pro modulo sui doni, & pro eo talento, quod sibi à Domino demandatum est & traditum, hortetur auditores suos, vt cogitent regnum

Dei consistere non in sermone, aut sola speculatione, sed multò magis in virtute, hoc est, in pauoribus & consolationibus, in agnitione peccati & iræ Dei, & in agnitione illius misericordiæ, quæ nobis propter mediatorem promissa est. Cùm autem hoc loco nobis sit dicendum more scholastico, hoc est, breuiter, non laxabo habenas Orationi, nec tela ventis permittam, sed ijs qui sunt præclarè instructi ab ingenio, pietate, eloquentia, hoc negocij do, vt ipsi partim pia cogitatione, partim ipso stylo amplificent, & ornent locos Paræneticos ad pœnitentiam, quorum extremam lineam duntaxat iunioribus adumbraui. Et vt plurimum verborum faciamus de his sententijs, tamen semper manet vera Pauli oratio, Regnum Dei non in sermone, sed in virtute consistit, &c. Profectò si vlla est concio necessaria his temporibus: hæ conciones de pœnitentia accommodatæ sunt, & consentaneæ ijs periculis & malis, in quibus uersamur.

Septem sunt loci, quibus animi auditorum ad veram pœnitentiam, id est, ad agnitionem peccati, & iræ Dei excitari, & rursus vera consolatione erigi possunt.

Primus est præceptum Dei: Agite pœnitentiam.

Secundus complectitur comminationes, & exempla iræ Dei aduersus contumaces in atrocibus delictis.

Tertius est commonefactio de periculis publicis & priuatis.

Quartus: Concio de futuro iudicio post hanc vitam.

Quintus: Amplisśima promisśio de misericordia diuina iuramento sancita.

Sextus: φιλανθρωπία Dei & Christi erga lapsos agentes pœnitentiam.

Septimus: Consideratio dulcisśimorum effectuum pœnitentiæ.

Etsi autem nihil vtilius est, quàm hos locos ita amplificare, vt aculeos affectuum in animis relinquant, tamen nunc breuitatis causa, summa sequemur fastigia rerum, & alijs, qui eloquentia excellunt, hortatores erimus, vt de singulis vberiùs & splendidiùs dicant.

De primo loco.

Semper in Ecclesia inde vsque ab initio sonat vox Spiritus sancti: Agite pœnitentiam. Hac voce audita contremiscere totum genus humanum oportebat, vt tremuerunt scopuli, & saxa rupis Sinai, cùm Deus ederet Decalogum. Vult enim Deus agnosci iram suam aduersus peccata omnia, & præcipuè aduersus contemtum Filij, sicut in Psalmo inquit: Osculamini Filium, ne irascatur, & pereatis in via. Vult nos verè expauescere agnitione tenebrarum, & horrendæ prauitatis & contumaciæ nostræ. Sit igitur in conspectu mandatum de pœnitentia, & nos non hortetur solùm, sed etiam impellat: vt seriò cogitemus de conuersione.

Hæc fuit concio Nohæ ante Diluuium. Hæc item fuit concio Loth ante deletionem Sodomę, omnium Prophetarum, Baptistę, Filij Dei, & adhuc omniũ verè docentium. Quare non existimetur esse vox hominis morosi & iracundi, sed, vt est reuera, vox Dei & Spiritus sancti.

De Secundo.

Etsi autem homines prophani, securi & ebrij voluptatibus, rident diuinas comminationes, tanquam ficta terriculamenta, & aniles fabulas: tamen nos, qui non sumus Epicurei, reuerenter audiamus fulmina denuntiantia iram Dei & æternas pœnas omnibus impijs, qui non conuertuntur, & cogitatione iræ Dei seriò expauescamus.

Quàm horribilis est oratio Esaiæ 66. Vermis eorum non desinet, & ignis non extinguetur. Vermis, inquit, id est, perpetuus cruciatus conscientiæ, in æternum cor ipsorum arrodens, vellicans, mordens, non desinet, & ignis, id est, flamma, qua corpus vretur, & vstulabitur, nunquã deflagrabit: Pœnæ præsentes, quid sunt ad hæc collatæ, nisi vmbræ quædam & fumus?

Non enim dubium est displicere Deo horribiliter securas mentes, non considerantes iram Dei, aut etiam elatas inani fiducia suæ sapientiæ, suæ iustitiæ, aut potentiæ: Sicut Paulus ad Eph. inquit: Impios esse, ἀπηλγηκότας, id est, sine dolore viuere: Et Ieremias, Erubescere nesciebant.

Quare

Quare vt emendetur securitas nostra, & vita temulenta, irā Dei consideremus, declaratam & multis sententiis & exemplis omnium temporum.

Esaias arguens peccata, & denuntians iram Dei omnibus impiis viuentibus in otio, & voluptatibus, gradi sono orationis vtitur. Audite cœli, auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est. Væ genti peccatrici. Disertè inquit, Dominum locutum esse. Non igitur humana reprehensio est, instituta humano consilio, vt cùm Socrates arguit vitia suorum ciuium: nec est vox irrita, sed efficax, penetratura in mentes & corda, accensura agnitionem peccati, & iræ Dei. Dauid Psalmo 7. fulminibus verborum terret lectorem, qui non est ferreus, & Caucasi rupibus durior: Si non conuersus fuerit, (impius) gladium suum acuit, arcum suum tetendit, & parauit illum, & sibi parauit tela mortis, sagittas suas contra inimicos parauit. Animaduertit pius Lector, quàm terribilis sit hæc Oratio, quæ ante oculos proponit Deum armatum gladio probè polito, & arcu non quidem remisso, sed tenso, cuius tela non aberrant à scopo, sed certò feriunt, & prosternunt, ad quæ diriguntur. O ferrea pectora, quæ tam tristi pictura non commouentur, nec cum Ieremia exclamant, Conuerte me Domine, & cōuertar: Corripe me Dōine in iudicio, non in furore, ne ad nihilum redigas nos. Amos cap. 9. Ecce oculi Domini super regnum peccans, & conteram illud. Gladio morientur omnes peccatores populi, qui dicunt: Non veniet super nos malum. Sophonias cap. 1. Et erit in tempore illo, scrutabor Ierusalem lucernis, & visitabo viros defixos in fecibus suis, qui dicunt in cordibus suis, Non faciet bene

Homines habent aures, & nō audiunt. Cùm igitur homines nolint audire verbum Domini, conuertit se Propheta ad creaturas, quæ manent in sua ordinatione, & constanter suis legibus obtemperant. Est autem Prosopopœia, qualis est illa Roman. 8. Tota creatura gemit & parturit, & cupit videre gloriam piorum. Deinde quasi testes allegat Propheta has creaturas aduersus contumaces.

In mitigatione, seu cum quadam moderatione.

Id est, in superbia, auaritia, vsuris, helluationibus, libidini-

Dominus, & non faciet malè, & erit domus eorum deserta. bus, mendacijs, Epicurea securitate.

Sic Lucæ 3. Baptista inquit: Iam securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Ita & Filius Dei Lucæ 13. clamat: Nisi egeritis pœnitentiam, omnes peribitis.

Ad has tristissimas sententias adiungantur exempla horribilium pœnarum, quæ securos & insanabiles omnibus temporibus oppresserunt. Notæ sunt historiæ de Diluuio, de conflagratione Sodomæ, de Cananæorum deletione, de excidio Hierosolymæ, de tot gentium & ciuitatum miserabili interitu. Has historias cùm legimus, sciamus opus Dei esse, quòd peccata puniuntur tantis calamitatibus. Cogitemus etiam has ipsas calamitates esse vocem Legis, commonefacientem nos de Pœnitentia.

De Tertio loco.

Quòd si aliena exempla parùm nos mouent, illa tamen certè pericula, in quibus publicè & priuatim versamur, permouere animos nostros debent, vt ad Deum per pœnitentiam redeamus. Quis enim adeò ferreus est, vt non magno cum dolore spectet incendia orbis terrarum, ruinas regnorum, confusiones religionum, domesticas calamitates infinitas. Videmus Turcas quotidiè latiùs grassari, & minari Germaniæ nostræ infinitam vastitatem. Videmus exortos esse tumultus principum Christiani nominis, perniciosos Ecclesijs. Res etiam ostendit defensores idolorum Pontificiorum ardere acerbissimis odijs aduersus pios. Vetant enim propagari Euangelium, & multos honestos homines crudeliter interficiunt. In his spectaculis esse otioso, & securo animo, quid est aliud, nisi manifesto furore ludere in media morte? Sicut latro impius pendens in furca furenter & petulanter ludit, subsannans Filium Dei. Agè verò, ne semper de publicis periculis dicamus, quis ita extremè stupidus est, prorsus vt neque attendat, neque consideret, quàm breuis & fugax, & incerta sit omnis vita nostra. Verissimè enim Simonides dixit: Faciliorem esse hominis mutationem, quàm muscæ, quantumuis cele-

nis celeriter volantis. Est & illa Senecæ Oratio vera, & vobis non ignota:

Nemo tàm diuos habuit fauentes,
Crastinum vt posset sibi polliceri.
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

Cùm igitur nascentes moriamur, & finis ab origine pendeat, vt Manilius dixit, non differamus pœnitentiam in aliud tempus, ne aut mors inopinantes opprimat, aut falsa pœnitentia, qualis fuit Iudæ, pro vera nobis obrepat. Virgilius 6. Aeneidos: Distulit in seram commissa piacula mortem.

Nunc tempus est, nos de somno surgere: Quia nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis: Hodie vocem Domini audientes non obturemus corda nostra, sicut Israelitæ in deserto fecerunt. Rom. 10. 2. Cor. 6.

De Quarto loco.

Neque verò quisquam adeò leuis & inconsideratus sit, vt existimet post hanc vitam locum pœnitentiæ relictum esse: Necesse est enim in hac vita fieri conuersionem ad Deum, sicut scriptum est: Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur, id est, nemo ciuis erit cælestis Ecclesiæ, nisi priùs in hac mortali vita ciuis fuerit huius Ecclesiæ, in qua sonat vox Euangelij, & conuersus fuerit ad Deum, antequam ex hac vita discederet. Quemadmodum enim in postrema mundi die, tradet Filius Dei regnum patri, id est, adducet ad æternum patrem omnes conuersos, vt Deus sit omnia in omnibus: Ita in horrendos, & æternos cruciatus abiiciet omnes Diabolos, & omnes homines, qui non conuersi sunt priùs ad Deum. Quamobrem tota vita nostra intueatur illud terribile iudicium, quod post mortem subituri sumus omnes, & assentiamur toti Euangelio, & in vera conuersione confugiamus ad Filium Dei, ac petamus, vt corda nostra accendat Spiritu suo sancto, vt ad illud iudicium initia iustitiæ æternæ afferamus. Nam, vt antea dictum est, prorsus necessarium est, in hac mortali vita conuersionem ad Deum fieri, ne reuocati ex

2. Cor. 6.

morte ad iudicium, terribilem ſententiam audiamus: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & angelis eius.

Semper itaque in conſpectu ſint, & mandata Dei de pœnitentia, & dicta de pœnis, & exempla pœnarum: Item publica & priuata pericula, & iudicium vniuerſale, vt verè expaueſcant corda agnitione iræ, aduerſus noſtra peccata.

De Quinto loco.

Sed ne tantùm horrendi pauores excitentur, accedat conſolatio & viuificatio, quæ fit fide ſtatuente iram Dei placatam eſſe per Filium, & propter Filium nobis remitti peccata, & nobis, reddi iuſtitiam & vitam, ſicut ſcriptum eſt: Gratia exuberat ſuprà peccatum. Item: Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

Vt autem hæc fides creſcat, & fiat ardentior, cogitemus iuſiurandum Dei, quod Ezechiel recitat cap. 33. Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. Nã conſcientiæ magis eriguntur, cùm audiunt non ſolùm promiſsionem gratuitam & vniuerſalem de remiſsione peccatorum, ſed etiam confirmatam iureiurando.

Hanc igitur conſolationem infigamus animis, & cogitemus, quanta vis ſit amoris diuini erga nos, quàm ardenter deſideret noſtram ſalutem, & hac cogitatione fidem in nobis excitemus.

De Sexto loco.

Etſi autem inenarrabilis bonitas & miſericordia Dei ex ampliſsima promiſsione reconciliationis, & ex iuramento æſtimari poteſt, tamen plura teſtimonia φιλανθρωπίας Dei, & Chriſti erga lapſos colligamus, vt tot illuſtribus teſtimonijs voluntatis diuinæ excitati accedere ad Deum, ducente Chriſto, incipiamus.

Principiò ſatis conſtat, Deum admirabili bonitate differre pœnas humanorum ſcelerum, vt nobis concedat ſpacium ad agendam pœnitentiam. Sic Eſaiæ 30. dicitur: Expectat Dominus

vt miſe-

vt misereatur vestri, id est, differt pœnas, non penitus delet vos, non accendit totam iram suam, vt aliqui conuertantur & sanentur: Et de mora expresse concionatur Christus Luc. 13. recitans parabolam de ficu, quam paterfamiliâs vult manere etiam quarto anno. Et Paulus Roman. 2. inquit: An diuitias bonitatis eius & patientiæ, & longanimitatis contemnis? An ignoras quod bonitas Dei ad pœnitentiam te alliciat? Hanc lenitatem Dei, cùm singuli experti simus, exsuscitemus nos ipsi ad pœnitentiam, & agamus gratias Deo, quòd non deleti sumus in ipsis lapsibus sine pœnitentia, vt Pharao, Chore, scortator interfectus à Phinees, & multi quotidie in latrocinijs, in adulterijs, & aliis furoribus subitò interficiuntur.

Deinde quanta bonitas est, quòd Deus legatos ad nos mittit, quorum voce vltrò nobis pollicetur, atque defert reconciliationem, nec vllam à nobis compensationem seu satisfactionem pro contumacia postulat? Hanc bonitatem Dei Paulus prædicat 2. Corinth. 5. Deus posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo igitur legatione fungimur, tanquam Deo adhortante per nos: Redite in gratiam cum Deo. Eum enim, qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos essemus iustitia Dei per eum. Quis non obstupescat, cogitans de hac magnitudine misericordiæ diuinæ? Verè inquit Seneca: Nihil est magnum, quod non sit placidum. Huius honestissimi dicti exemplum maximè illustre in Deo conspicitur. Non enim implacabilis est, (ἄσπονδος) sed toties offensus, reconciliationem vltrò nobis offert, & pœnam, quam nos eramus meriti, in Filium deriuat. Hæc sententia dulcissimè pingitur in imagine pastoris, quærentis ouiculam perditam, & in patrefamiliâs, qui filio procul conspecto occurrit, eundemque suauissimo osculo complectitur, & reconciliatum vestit & ornat.

Lib. 2. de tra. Et faciles motus meus generosa capit. Ouid.

Quid dicam de Christo, qui cùm sit mitis, & humilis corde, placidissimè recipit agentes pœnitentiam, vt Matthæum, Mulierem peccatricem, Zachæum, Latronem emendatum, & alios

innumerabiles. Affirmat enim, se non venisse propter iustos, sed vt peccatores ad pœnitentiam reuocet.

Tertiò, Tanta vis est bonitatis diuinæ, vt post reconciliationem sanciat æternam ἀμνηστίαν, id est, obliuionem iniuriarum. Testes huius asseuerationis de re omnium maxima sunt, Ieremias & Ezechiel. Sic enim Ieremiæ 31. scribitur: Omnes cognoscent me, quia ero propitius iniquitati eorum, & peccati eorum non recordabor amplius. Et Ezechielis 18. Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.

Mich. 7. Quis Deus sicut tu, remittens iniquitatem?

Postremò. Conuersi non tantùm erunt ἀνυπεύθυνοι in illo iudicio vniuersali, sed etiam iudices erunt Diabolorum & impiorum.

εὐθύναι, publicæ rationes: ὑπεύθυνος, obligatus ad rationẽ reddendam, vt omnis quæstor est ὑπεύθυνος principi.

Huius sententiæ perspicuæ confirmationes passim extant, vt Iohannis 3. cap. Qui credit in Filium, non iudicatur. Iohan. 5. Qui credit in me, non venit in iudicium, sed ex morte transiuit in vitam.

Lucæ 22. Iudicabitis duodecim tribus Israel. 1. Corinth. 6. An nescitis, quòd sancti mundum iudicaturi sint?

Hanc tantam bonitatem non aspernemur, nec ea abutamur, sed lapsi accusemus nos vero gemitu, vt Dauid inquit: Peccaui Domino, & intueamur mediatorem Filium Dei, & fiducia mediatoris redeamus ad Deum, rursus inuocemus, petamus nobis ignosci, nos recipi & sanari. Cogitemus illam dulcissimam vocem: Gaudium est in cælis de vno peccatore resipiscente, Lucæ 15.

De Septimo loco.

Et quoniam homines respectu vtilitatis maximè mouentur, proponamus nobis vberrimos fructus, quos conuersio ad Deum gignit. Sunt enim fructus pœnitentię, Remissio peccatorum, reconciliatio cum Deo, donatio Spiritus sancti, & vitæ æternæ,

tranquil-

tranquillitas cordis orta à fide, ſeu fiducia mediatoris, exauditio inuocationis, mitigatio pœnarum, multiplex benedictio. Sed quia de his effectibus, quibus nihil ſuauiùs cogitari poteſt, ſuprà ſatis dixiſſe videmur, nunc breuiores erimus, & à Deo precabimur, ſicut Dauid precatur: Pſalm. 119. Erraui ſicut ouis perdita, quære ſeruum tuum Domine. Item: Pſal. 90. Doce me numerum dierum meorum, vt ambulem corde ſapienti.

FINIS LOCI DE POENITENTIA.

LOCVS DE PRAEDESTINATIONE, SEV DE ELECTIONE.

STVDIOSIS ACADEMIAE IHENENSIS, S.

SAepe auditis, difficilem esse doctrinam Ecclesiæ, quia de multis magnis rebus aliud est iudicium rationis, aliud Dei. Inprimis autem difficilis est Locus de Electione, seu de Prædestinatione, vt semper iudicarunt homines docti & indocti. Neque enim de hac tanta re quidquam dici potest tàm circumspectè, quin in varias reprehensiones incurrat. Siquis enim vrget τὸ ῥητὸν in dictis Pauli: huic mox obiicitur Stoicorum durities. Sin autem quærit mitiorem sententiam, videtur scripturam parum piè, & reuerenter tractare, eamque ad suas opiniones inflectere. Etsi igitur magnitudine rei ab huius loci explicatione deterreor, tamen Psalmi dictum me consolatur, quod iubet, vt Deus infantium & lactentium voce celebretur. Ne solis quidem fulgorem sustinent oculi: Neque tamen propterea lucem fugimus: Ita nequaquam deserenda, aut abiicienda sunt hæc studia doctrinæ cœlestis, etiamsi omnia mysteria diuinæ sapientiæ exhaurire non possumus. Quare quod faustum & felix sit, hodiè locum de Prædestinatione incoabo, in quo explicando summa sequar fastigia rerum, cùm integra enarratio æternæ Academiæ propria sit. Valete, & Deum orate, vt docentibus & discentibus firmitatem valetudinis, & reliqua adminicula necessaria suppeditet. Die 14. Martii. 1556.

Victorinus.

Præfatio in Locum de Prædestinatione, obiter excepta.



Tsi nulla pars doctrinæ Christianæ in hac mortali vita penitùs & tota cognosci potest, quoniã, ut Paulus ait, ex parte Prophetamus, tamen Deus vult nos prima Elementa studiosè discere, vt præparemur ad sapientiam æternæ Academiæ, in qua Deus erit omnia in omnibus, & omia arcana consilia non solùm de creatione, sed etiam de Electione & gubernatione Ecclesiæ nobis patefaciet, & liberalißimè nobiscum communicabit. Hæc semper sunt cogitanda, quoties ingredimur, vel in scholas, vel in templa, vt agnoscamus discrimen inter incoationem, & consummationem sapientiæ cœlestis ac diuinæ. Incoatur quidem in hac vita aliqua Dei agnitio iuxta patefactiones à Deo traditas, sed ea nondum est perfecta & consummata: Ideò Paulus toties has voces vsurpat, præsertim ad Philip. 3. Cupio Deum ita cognoscere, sicut ab eo sum cognitus. Ne autem diutius auditores detineam, dictabo breuem Præfatiunculam, quæ sit παρασκευὴ, *& præparatio ad locum de Electione, de quo non sumus prolixè dicturi propter rei ipsius arcanam & ineffabilem magnitudinem. Ac vt in Arithmetica regula Cosßica, seu regula Algebræ, est præcipuus artis numerãdi locus, & nemini, nisi artificibus exploratè perceptus & cognitus: Ita in Theologia nullus est locus abstrusior, quàm hic ipse, quem nunc incoamus. Et si vllo in loco vitanda est audacia & temeritas asseuerandi, tùm profectò vel maximè id vitium fugiendum est in explicatione arcanorum Dei de Electione. Nos verè tanquam lactentes, & infantes verba facimus, vel potiùs balbutimus de re tanta, & tamen aliquid est dicendum propter ordinem doctrinæ.*

De Prædestinatione, seu de Electione.

Omnium sapientum animi, ab initio mundi vsque ad finem, expetiuerunt & expetent, harum maximarum, & arcanarum rerum explicationem, qualia sint consilia Dei in Electione Ecclesiæ, cur tantam multitudinem hominum perire sinat, cur in eo cœtu, qui audit verbum Dei, multi sint vocati, pauci electi. Quis enim non iure miretur, eã multitudinẽ, quæ duce Moyse ex Aegypto egressa est, & certissima testimonia præsentiæ Dei vidit, in deserto prostratam esse, nec quenquam ex tanto numero in terram promissam venisse, nisi Iosue & Caleb? Cohorresco iutuens hoc tàm triste exemplum. Si enim Deus non pepercit posteris Abrahæ, ex quibus natus est Christus secundum carnem, quid fiet de aliis, qui propter professionem gloriantur se esse filios Dei?

Quoties repetit Christus, hãc vocem, Multi sunt vocati, pauci electi, non est puerilis oratio, nec potest eludi præstigijs Sophismatum, sed τὸ ῥητὸν, sicut sonat firmiter est retinendum. Et quidem res seu experientia ostendit veram esse hanc Christi sententiam.

Nemo putet me hyperbolicè exaggerare hoc exemplum. Meministis enim Paulum ipsum 1. Corinth. 10. deducere vniuersam Ecclesiam ad considerationem historiæ populi educti ex Aegypto, & in deserto prostrati propter varia peccata, atque horribilibus pœnis longè ante oppresi, quàm portum terræ Canaan conspexit. Et disertè inquit Paulus: Hæc omnia propter nos scripta esse. Et Psalm. Venite, exultemus Domino, idem docet: Hodiè inquit, Si vocem eius audieritis, &c. Iam argumentare à maiore ad minus: Si non pepercit Deus naturalibus ramis, vt Paulus inquit Rom. 11. Si non pepercit oleæ, quantò minùs parcet oleastro? Non nimis blandiamur nobis propter professionem Euangelij. Bonum quidem est, & necessarium profiteri Euangelium, sed non satis est egredi ex Aegypto, & videre miracula Dei, & gustare, quàm dulcis sit Dominus. Non sola professio te saluabit, sine vero timore & fide, sed qui stat, videat ne cadat.

Denique

Denique, vt alia exempla omittam, omnes sani mirantur, quare Deus tot años furores Antichristi, hoc est, Papæ & Machometi, grassari sinat.

Mahometus iam annos 900. & amplius sparsit venenatum dogma & blasphemias aduersus Filium Dei, in tota Asia, tota Aphrica, & in bona parte Europæ. Nullam enim scimus publicam Ecclesiæ congregationem esse (de singulis fidelibus nunc non loquor) vel in Asia, vel in Aphrica. Omnia ibi sunt plena idolatria & blasphemijs aduersus Deum. Cogita, quàm sint ampla regna. In Africa est Aegyptus, & multæ aliæ clarissimæ Prouinciæ. In Asia, Deus bone, quàm sunt pulcra regna & florentia, Arabia, Syria, Palæstina, Media, Persia, Minor Asia, pontus, &c. In Europa quantas regiones occupauit, Thraciam, Græciam, Macedoniam, Vngariam, &c. In reliqua Europa, qualis est status, quæ forma regnorũ? In Hispania tota, iam etiam in Anglia, in Gallia, in Italia, in Polonia, in multis alijs regnis dominatur Papa. Non dico de singulis pijs, quos nouit Dominus, sed publica vox sonans in publicis congressibus non exauditur de Christo. In ipsa verò Germania vix tertia pars, aut quarta, est custos verę doctrinæ. Reliquæ partes omnes, aut Idolatrijs, aut superstitionibus sunt pollutæ. Denique inter nos ipsos in hoc paruo cœtu, quàm multi sunt hypocritæ.

Sed has disputationes Paulus vno versu conficit, exclamans: O altitudo diuitiarum, sapientiæ & scientiæ Dei: Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles viæ eius: Et 1. Corinth. 13. discernit Academiam æternam, in qua Deus erit omnia in omnibus, & suam nobis sapientiã, & iustitiam communicabit, à schola huius vitæ, in qua, velut pueri, prima elementa doctrinæ cœlestis discimus. Nunc, inquit, ex parte prophetamus, & tanquam infantes, & lactentes de maximis rebus balbutimus, easdemque per speculum in ænigmate cernimus: postea verò resuscitati ex morte perfectè Deum agnoscemus, ostendentem se immensa misericordia, & patefacientem sapientiam suam, & luce, sapientia, iustitia, vita & lætitia æterna nos implentem.

Ich weis dir nicht zusagen / was Gottes rath sey / daß er vns vocem Euangelij lesset predigen / Vnd den andern so viel Völckern nicht. Nos certè illis non sumus meliores.

Quoties igitur dicta scripturæ occurrent difficiliora, vt verbi causa: Iohan. 12. Non poterant credere, quia scriptum est, Excæca cor populi huius: Actor. 13. Crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Roman. 9. Cùm nondum nati essent, &c. meminerit lector prophetiam seu enarrationem scripturæ in hac vita imperfectā esse, & lapidem accommodandum esse ad regulam, non regulam inflectendam esse ad lapidem, hoc est, redigendas esse mentes in captiuitatem, in obsequium Christo, vt Paulus inquit 2. Corinth. 1. nec vim afferendam esse scripturæ propter absurditates, quæ rationem offendunt.

Ego diu cogitaui, qua ratione possint mitigari hæc dicta, sed profectò non possum reperire remediū aliquod efficax, quod non modò cicatricibus, sed etiam vulneribus medeatur, Man kan wol ein Pappirlein naß machen/ vnd das an Offen kleiben/ aber wenn es warm wird/ fellts doch wider herunter. Sæpe audistis dictum Pauli Roman. 8. Sensus carnis est inimicitia contra Deum. In quo detrahit Paulus homini non modò actum, sed & potentiam satisfaciendi legi Dei: Cui autem deest vtrumque, actus & potentia, huic prorsus nihil relinquitur de actione ex suis viribus. Ita inquit Iohan. 12. Non credebant in Christum, das gieng noch hin/ Multi non credunt, sed tamen illuminantur: aber daß er dazu setzt/ nec credere poterant, vt scriptum est: Quod hic reperiemus remedium & malagma, quod leniat huius loci duritiem? Sic Roman. 9. de duobus fratribus Esau & Iacob. Hic nihil potest tam argutè, vel absurdè obijci contra Paulinam sententiam, quod non ille præciderit.

Cùm enim Philosophi fateantur suas tenebras in disputationibus de motu octauæ Sphæræ, de ordine Planetarum, de quadratura circuli, de materia cœli, de natura animæ: nemini mirum videri debet, si interpretes verbi diuini quædam arcana, aut ignorent, aut non satis explicent.

Quòd si exempla reiectionis, quæ animus meminisse horret, luctuque refugit, nos fortè offendent, illam Christi vocem cogitemus, qua Pettus de metis vocationis admonetur: Tu me sequere, id est, obtempera tuæ vocationi, nec sis de alijs sollicitus, quæ ad tuam vocationem minimè pertinent. Hæc breuiter in

ter in veſtibulo dicenda putaui, ne quis ſubtiliorem huius loci explicationem à nobis requirat, quàm pro rei ipſius magnitudine, de qua diſſeritur. Eſt enim moderati ingenij, eam formam explicationis poſtulare, à qua rei natura non abhorret.

DISPOSITIO LOCI DE *Electione.*

I. Caput. Quo ordine doctrina de Electione cognoſcenda ſit.
II. Ex quibus fontibus hæc ſapientia haurienda ſit.
III. Qui ſint electi ad vitam æternam.
IIII. Ad quem vſum hæc doctrina transferenda ſit.

CAPVT PRIMVM.

Quo ordine hæc doctrina cognoſcenda ſit.

RÆclarè D. Lutherus in præfatione Epiſtolę ad Romanos monet. Hic, inquit, curioſuli illi habenis cohibendi ſunt, qui antequam Chriſtum & virtutem crucis diſcant, abyſſum illam prædeſtinationis ſcrutantur, & num prædeſtinati ſint, necne, fruſtra inueſtigant. Nam hi haud dubiè in confuſionem conſcientiæ, aut deſperationem ſua hac inepta curioſitate ducent & præcipitabunt ſeipſos. Tu verò in ratione diſcendarum ſacrarum rerum ſequere ſeriem & ordinem hîc traditum ab Apoſtolo: Primùm diſce cognitionem Chriſti, vt agnoſcas omnes vires tuas nihil valere, niſi ad peccandum. Deinde vt per fidem cum carne tua aſsiduè lucteris, quemadmodum ſeptem priora capita huius Epiſtolæ docent. Mox cùm ad caput octauum perueneris, hoc eſt, vbi crucem & tribulationes exper-

Roman. 7. Non inuenio in me bonum.

tus fueris, tùm primùm senties in 9. 10. & 11. capitibus, quàm plena consolationis sit prædestinatio. Nam nisi tribulationem expertus sis, nisi ad portas inferi aliquando, vt in Dauide, & in alijs sanctis videmus, ductum te senseris: non poteris hanc prædestinationis sententiam sine periculo & blasphemo quodam fremitu naturæ contra Deum tractare. Necesse est igitur Adam veterem primùm esse mortificatum: Sensum carnis detritum: lactentes in Christo primùm adolescere, antequam hoc plenum vinum bibant. Nam & hic est sua quædam pueritia, cui lacte interim opus est, dum solido cibo assuescat. Hæc D. Lutherus.

In ratione studiorum necesse est ab ijs ordiri, quæ sunt facilia, postea verò ad obstrusa & arcana progredimur.

CAPVT II.

VErisimum est Psalmi dictum: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Nam mentes humanæ destitutæ verbo Dei, non aliter in rerum diuinarum contemplatione caligant & cæcutiunt, quàm vespertiliones ad lucem conuersæ meridianam: Quoties igitur de Electione angimur, reiectis alijs disputationibus quæ ex ratione sumuntur, obtemperemus præcepto Petri: Benè facitis attendentes Prophetico sermoni, tanquam lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec exoriatur Lucifer in cordibus vestris. Cùm autem duo sint genera doctrinæ diuinitus traditæ, Lex & promissio gratiæ, quæ propriè vocatur Euangelium; sciamus non ex Lege, sed ex Euangelio de Prædestinatione iudicandum esse. Nam Lex est speculum, quod intuentes nihil cernimus, nisi peccata nostra, & iram Dei ordinantis nos ad damnationem, & horribiles pœnas, iuxta illud: Maledictus omnis, qui non seruat omnia, quæ sunt scripta in libro Legis. Quamobrem in veris doloribus non confugiamus ad Legem, sed ad vocem Euangelij, tanquam ad fontem aquæ viuæ: Eamque prudenter discernamus à

2. Petri 1.

mus à

mus à Lege. Promiſsiones Legis ſunt conditionales, id eſt, poſtulant conditionem impletæ Legis, ſicut clarè dicitur: Qui fecerit hæc, viuet in eis: Item, Hoc fac & viues. At promiſsio Euangelij propria, quæ promittit remiſsionem peccatorum, reconciliationem, ſeu imputationem iuſtitiæ & hæreditatem vitæ æternę gratuita eſt, ita vt propter mediatorem, non propter noſtra merita, aut Legis impletionem exhibeatur.

Ceſſante conditione, ceſſat conditionalis promiſsio. Poſtulat autem Lex diuina hanc conditionem, vt ſimus ſine peccato, & ſine concupiſcētia. Hac conditione ceſſante, ſicut ceſſat in nobis: nemo ſperet aut ſomniet, ſe ſine Chriſto fructus promiſsionum Legalium percepturum.

Hoc diſcrimen neceſſe eſt meminiſſe, & ſemper in conſpectu habere. Eſt & hoc diligenter conſiderandum, vtramque concionem vniuerſalem eſſe, concionem Pœnitentiæ, & concionem gratiæ. Arguit Deus peccatum in omnibus hominibus in hac deprauatione naturæ. Rurſus etiam promiſsio vniuerſalis eſt, iuxta illud: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Offert Deus gratiam omnibus confugientibus ad filium mediatorem, nec eſt προσωποληψία in Deo, nec imaginanda eſt particularitas de donis. Non omnibus dat robur Samſonis, non omnes facit Muſicos ſummos. Sic non eſt cogitandum de ſalute æterna, quæ cùm ſit bonum ſummum & neceſſarium omnibus, promiſsio vniuerſalis eſt ad omnes credentes pertinens. Hanc intueamur, nec ſinamus hanc veram conſolationem nobis excuti ex pectore. Non igitur ex ratione, ſed ex verbo Dei, nec ex Lege, ſed ex Euangelio iudicandum eſt de Electione.

CAPVT III.

Voties de Electione dicitur, ſemper ante omnia cogita dictū Pauli: Quos elegit, hos vocauit. Vocatio autē viſibilis eſt. Nam vocatorū cœtus eſt multitudo externa profeſsione amplectentiū Euangeliū. Nulla igitur electio cogitetur extra hunc viſibilem cœ-

tum. Ac magna consolatio est piis, scire quod necesse sit semper in hoc visibili cœtu, in his templis, & his scholis, aliquos esse electos, & quòd nusquam alibi vlli sint electi. Amandus est igitur hic visibilis cœtus, & hoc ministerium, & Deo gratiæ agendę sunt, quòd nos ad societatem Ecclesiæ vocauit. Magna enim prærogatiua est, esse ciuem huius Ecclesiæ, in qua sonat vox Euangelij. Hæc verissimè dicuntur de toto corpore, seu de toto numero electorum & saluandorum. Cum autem multi sint vocati, pauci electi, quæri solet, quæ membra huius corporis electa sint ad vitam æternam. De hac quæstione etsi difficile est pronuntiare,
2.Tim. 2. Quia fundamentum Dei stat firmum, habens hoc sigillum: Nouit Dominus suos: tamen ex Euangelio hæ duæ hypotheses nobis notæ sunt, in quibus acquiescendum est reiectis aliis Labyrinthis, qui pauidas mentes non sanant, sed potius euertunt. Vna est:

Cùm agis pœnitentiam, & in vera consolatione credis te recipi propter mediatorem, certum est, tunc te placere Deo, iuxta dictum: Iustificati fide pacem habemus. Altera est: Si in hac fide & inuocatione tandem perseueras, sine dubitatione, etiam alii iudicare de te possunt, quòd sis electus ad vitam æternam. Quia expressè scriptum est: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Matth. 24. Ebr. 3.

Nemo autem ignorat, vtrumque opus Dei esse, sine hypocrisi conuerti ad Deum, & postea perseuerare in fide & inuocatione Filii Dei. Itaque semper in auribus tuis, lingua, & pectore hæc Psalmi verba repetantur: Confirma hoc Deus quod operatus est in nobis, id est, Cùm antea in conuersione nos adiuueris, & vera consolatione nos erexeris, perfice incoatum beneficium, nec desere nos in periculis, & in afflictionibus, sed opitulare nostræ infirmitati, vt posimus retinere gratiam tuam & donum in gratia. Tu-

Psalm. 68.

Philip. 2. Deus est, qui dat velle, & perficere.

Roman. 5.

um est regnum, tua potentia, tua gloria. Tu igitur rege nos, quia non est hominis via eius, neque est viri dirigere gressus suos. Tu suppedita robur & vires ne deficiam, ne sæuo vincar ab hoste. Propter te, propter te facias, vt blasphemi confundantur.

Ierem. 10.

Psalm. 119. Erraui sicut ouis, &c.

Esaiæ 48.

Quando homo, & vir in scriptura conferuntur, homo significat plebeios homines obscuros &c. Vir significat heroicos præstantes virtute, sapientia, gloria rerum gestarum, &c.

Talis precatio assiduè repetita non erit irrita, sed certò impetrabit ea, quæ petimus, vt testatur dulcissima promissio Christi: Quanto magis pater vester dabit Spiritum Sanctum petentibus.

Lucæ 11.

CAPVT IIII.

Doctrina de Electione confirmat nos, ne in tanta imbecillitate nostra, & in tam varijs periculis & distractionibus existimemus, Ecclesiam tantùm humanis viribus & consiliis regi:

Si humanis consilijs regeretur, iamdudum redacta fuisset in nihilum: Was erhelt sie dann? Nichts anders dann quod Christus ait, Ego pro te rogaui Petre, ne deficiat fides tua. Item super hanc Petram, &c. & portæ inferorum, &c. Item Iohan. 10. Oues meæ, &c. & nemo rapiet eas ex manibus meis. Esa. 46. Consilium meum stabit, &c.

Ac propterea fracti desperatione abiiciamus doctrinam, sed sciamus adesse Deum Ecclesiæ suæ, & nobis opem ferre. Ipse enim sua misericordia recepit Adam & Euam, desertos ab omnibus creaturis, & Filius semper fuit, est & erit custos Ecclesiæ. Hic custos rexit arcam Nohæ, seruauit populum eductum ex Aegypto. Hunc vsum doctrinæ de Electione monstrat D. Lutherus in Præfatione Epistolæ ad Romanos.

Cum & missio Euangelizantium & verbum sit ex Deo, certè in solius Dei manu situm est, vt credamus, atque ita iustifi-

cemur & saluemur, & hæc stabilis sententia, & immota prædestinationis necessitas summè necessaria est. Tàm imbecilles enim sumus, vt si in nostris manibus situm esset, paucissimi aut nulli saluarentur. Diabolos enim omnes vinceret. Nunc cùm hæc stabilis, & certissima Dei sententia mutari non possit, nec ab vlla creatura conuelli, tum certè spes est nobis reliqua tandem vincendi peccata, quantumuis etiam nunc in carne sæuiat.

Dixi de Electione seu Prædestinatione multò breuius, quàm rei magnitudo postulat, sed eloquimur non quantum volumus & debemus, sed quantum possumus, vt Gratiani Imperatoris vtar verbis.

Gratianus Imperator adolescens princeps pius & amans veræ religionis misit ad Ambrosium Episcopum Mediolanensem, formulam suæ Confessionis de Trinitate, quæ adhuc extat. In ea vsurpat hæc verba plena modestiæ & pietatis: Eloquimur non quantum debemus, sed quantum possumus. Eadem Oratione ego quoque meritò vtor in fine explicationis hactenus traditæ de Electione. Etsi enim sentio plura dicẽda esse de re tanta, tamen eadem excusatione me tueor, qua vsus est ille sapiens & pius princeps Gratianus: Eloquimur quantum possumus.

FINIS LOCI DE ELECTIONE.

LOCVS

LOCVS DE SACERDOTIO CHRISTI.

STVDIOSIS ACADEMIAE IHENENSIS, S. D.

Citis hoc tempore Ecclesiam meditari amplissimam historiam de Passione & Resurrectione Domini nostri Iesu Christi. Sunt autem in hac historia duo potissimum loci considerandi, vnus de sacerdotio Christi. Alter de regno eiusdem Domini. Vt enim tempore Passionis ardentissimè pro Ecclesia omnium temporum orauit Filius Dei: & sacrificium suum nobis applicauit, quæ quidem ad Sacerdotis officium propriissimè pertinent: Ita post resurrectionem idem Dominus est rex diuina potentia colligens, defendens & seruans Ecclesiam, & propugnans nos aduersus Diabolorum & Tyrannorum furores. Primùm igitur tempus nos admonet, vt de his maximis rebus cogitemus. Deinde collatio historiæ, de qua dixi, cum Prophetarum vaticiniis satis ostendit, quàm necessaria sit horum locorum cognitio. Nam Prophetæ non obiter attingunt officia sacerdotis & regis Christi, sed ea luculentis concionibus explicant. Ac vt omittam cæteros, quàm nos delectat splendida oratio Esaiæ tribuentis Christo non solùm regia, sed etiam Pontificia munera? Hæc enim de sacerdotio Christi dicuntur: Ponet animã suam hostiam pro populo. Item pro transgressoribus rogauit. De regno autem inquit: Videbit longam posteritatem, & consilium Dei feliciter perficietur manu eius.

Item: Diſtribuam ei magnam hæreditatem, & fortes ſpoliabit. Neque verò propter hiſtoriam duntaxat & conciones Prophetarum hi loci cognoſcendi ſunt, ſed multò magis propter quotidianam inuocationem, & conſolationem ſeneſcenti Eccleſiæ inprimis neceſſariam. Quoties inuocas Deum, cogitandum eſt, An & cur exaudiaris. Certum eſt autem nos exaudiri propter Pontificem Chriſtum, perferentem noſtra vota & gemitus ad æternum Patrem. Conſtat igitur nullam inuocationem fieri poſſe ſine conſideratione ſacerdotii Chriſti. Illud etiam inter precandum cogitemus, Filium Dei ſummū ſacerdotem, ſtantem coram æterno Patre, verè affici noſtro dolore, & gemere nobiſcum, vt pater φιλόστοργος gemit cum liberis magna calamitate oppreſſis.

Habentes ergo Pontificem Chriſtum, accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, vt Epiſtola ad Hebræos dulciſſimè inquit: Quid dicam de Regno Chriſti? cuius hæc beneficia propria ſunt, collectio Eccleſiæ, liberatio à Tyrannide Diaboli, & à morte æterna, effuſio Spiritus ſancti, miranda defenſio, & conſeruatio Eccleſiæ aduerſus manifeſtam vim Tyrannorum, & impiam fraudem hæreticorum, Denique reſuſcitatio Eccleſiæ ad vitam & gloriam æternam. Hæc magnifica & ſalutaria beneficia animo colligentes, non dubitemus Chriſtum caput Eccleſiæ, ac ducem nobis adfuturum eſſe, nec permiſſurum, vt vera doctrina deleatur.

Cùm igitur explicatio ſacerdotii, & regni Chriſti præcipuum lumen afferat hiſtoriæ de Paſſione & Reſurrectione Chriſti, & ſanctiſſimis Prophetarū oraculis, & plurimum conducat ad inuocationem & conſolationem, hortor pios auditores, vt reliquis locis doctrinæ

Christianæ etiam hos titulos adiungant. Quod qui facient, haud illos Expectata seges vanis eludet auenis. Bene valete, & à Christo rege & sacerdote Ecclesiæ petite, vt nobis halcyonia in his tumultibus & ruinis regnorum concedat, nec sinat fieri dissipationes apicularum, quæ mellificium Deo gratum exercent. Die 28. Martii. Anno 1556.

Victorinus.

N 3

Præfatio in locum, de Regno & sacerdotio Christi.

Tsi multæ sunt appellationes, quæ describunt officia & beneficia Filii Dei, liberatoris nostri, tamen scriptura titulis regis & sacerdotis præcipuè gaudet & delectatur. Non enim obiter tantùm his nominibus Filium Dei appellat, sed prolixè commemorat, quale sit ipsius regnum, & sacerdotium, & quæ bona hominibus adferat, & à quibus malis liberet.

Græci dicunt duas esse partes iustitię vniuersalis, quarum vna vocatur ἀναίρεσις τῶν κακῶν, id est, malorum deletio, fuga malorum, Daß einer das böse fleuhet/ Altera pars nominatur θέσις τῶν εὐεργετημάτων positus beneficiorum. Græca melius sonant, id est, Iustitia primùm vitat & fugit ea, quæ sunt prohibita, seu mala pugnantia cum regula iustitiæ. Deinde præstat ea quæ congruunt ad normam iustorum & honestorum operum. In hanc sententiam Esaiæ 1. dicitur: Desinite malefacere, & discite benefacere, quasi dicat, non satis est omittere atrocia delicta, adulteria, furta, &c. sed necesse est insuper præstari, & exerceri officia necessariarum virtutum, iustitiæ, castitatis, beneficentiæ, veritatis, & aliarum. Sic quoties de regno & sacerdotio Christi cogitas, veniat tibi in mentem, à quibus & quantis malis Christus nos liberet. 2. Quæ bona restituat depulsis malis. Liberat autem Christus nos ab ira Dei, à peccato damnante, & à morte æterna. Deinde reddit nobis pro ira Dei gratiam Dei, pro peccato iustitiam, pro morte vitam æternam. Ita discatis comprehendere gratias priuatiuas & gratias positiuas, vt veteres loquuntur, Non solum cogites, quæ mala deleuerit, & sustulerit sua morte, sed etiam quæ bona restituerit omnibus credentibus sua resurrectione. Hæc & Paulus complecti voluit Roman. 4. Christus traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.

Ac mihi quidem de his rebus cogitanti, nulla pars doctrinæ plus conducere videtur ad consolationem, & ad inuocationem, quàm explicatio regni & sacerdotij Christi. Cùm autem de regno Christi, infra dicendum sit, nunc de sacerdotio Christi

pauca

pauca dicam, vt iuniores intelligant, quantum in eo loco momenti sit ad alendam pietatem. Quærit mens in inuocatione quid alloquatur, quis exaudiat, quis opem ferat, quo obiecto debeat niti fides. De his grauissimis quæstionibus Christus respondet, cùm de se tanquam de sacerdote ait Iohan. 16. Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, hoc est, Fides vestra verè expectet ab æterno Patre bona, & nitatur non vestra dignitate, non vllis aliis intercessoribus, sed nitatur me sacerdote, perferente preces vestras in arcanum consilium Patris, & nominatim ita petat: Deus æterne Pater Domini nostri Iesu Christi miserere nostri, exaudi & iuua nos propter Filium tuum Dominum nostrum Iesum, quem constituisti sacerdotem & intercessorem, vt sæpe alibi formam recensui. Sic Epistola ad Ebræos cap. 4. nos ad hunc sacerdotem deducit. Habentes pontificem Iesum accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ.

Epistola ad Ebræos pulcerrimo ordine complectitur præcipuos locos doctrinę Christianę, In 1. cap. confirmat articulum de diuina natura Messiæ seu Christi, In 2. dulcissimè concionatur de assumtione naturæ humanæ. Non, inquit, assumsit angelos, sed semen Abrahæ. In 3. discernit officium Christi à Moyse, & reliquis ministris. Seruus distat à Domino. Quid fuit autem Moyses, nisi seruus in domo Dei? At Messias est Filius herilis, est hæres omnium bonorum Dei, imò ipse est conditor domus Dei Ecclesiæ. In 4. capite, incoat splendidam & copiosam concionem de sacerdotio Christi. Eamque continuo filo seu continua serie orationis perducit vsque ad cap. 11. Sciatis igitur sedem huius materiæ, hoc est, præcipuum locum scripturæ concionantem de sacerdotio Christi, extare in Epistola ad Ebr. Postquam autem prolixè, splendidè & copiosè verba fecit de sacerdotio Christi, attexit cap. 11. doctrinam de fide: Docet quid sit, & repetit exempla fidei ab Abel ad Dauid vsque. Quia necesse est personam & sacerdotium fide applicare. Quia verò semper fidei comes est sancta crux, ideo in cap. 12. recitat consolationem. In 13. proponit præcepta de operibus dilectionis exercendis erga proximum, Præcipuè verò de hospitalitate, quam omnibus Christianis dulcissimis verbis commendat.

Quæ verò maior consolatio piæ menti proponi potest, quàm ea sententia, quæ docet hunc sacerdotem, non modò sacrificium suum obtulisse, sed etiam nobis applicasse? vt Iohan. 17. inquit: Ego sanctifico me pro eis, vt & ipsi sint sanctificati in veritate.

Audietis infrà Encomium & summam cap. 17. Iohan. quod continet postremam & ardentissimam precationem Christi pro Ecclesia omnium temporum. Ego sanctifico me, id est, offero me & hanc meam obedientiam pro credituris per verbum Apostolorum in me. Finis, vt & ipsi sint sanctificati, id est, placentes Deo, accepti ad vitam æternam, donati Spiritu sancto, & remissione peccatorum. In veritate, id est, non tantùm imaginatiuè, sicut Iohan. 1. dicitur: Veritas & gratia per Christum facta est.

Et Psalm. 16. Sanctis qui sunt in terra, omnis voluptas mea in eis. Sed de applicatione Sacerdotij Christi suo loco plura dicentur. Cùm igitur locus de Sacerdotio Christi, doctrinam grauissimam, & consolationem dulcissimam contineat, nemini dubium esse potest, quin plurimùm operæ & studij in eo consumendum sit.

DISPOSITIO LOCI DE Sacerdotio Christi.

I. Quid sit Sacerdos Noui Testamenti.

II. De officiis huius Sacerdotis.

III. Quòd appellationes Regis & Sacerdotis referendæ sint ad totam personam, non tantùm ad alteram naturam.

IIII. Discrimen Leuitici Sacerdotij, & Sacerdotij Christi.

V. De applicatione Regni & Sacerdotij Christi.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Sacerdos Noui Testamenti.

Vmmus Sacerdos noui Testamenti, est persona immediatè missa à Deo, ad patefactionem Euangelij, ad placandam irã Dei suo sacrificio, & ad precandum pro nobis, habens testimoniũ quòd exaudiatur, per quam & exhibentur bona promissa in Nouo Testamento. Huius descriptionis membra in Epistola ad Ebræos, & in tota scriptura recitantur & declarantur. Ac missus est hic sacerdos statim initio ad patefaciendam promissionem: Semen mulieris conteret caput serpentis: Ideò scriptum est: Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis, & quidem dicitur λόγ☉, quia per eum Pater se nobis patefacit. Ac propter eum, & per eum immediatè semper inde ab initio collecta est Ecclesia, & viuificata dato Spiritu sancto, protecta & seruata, sicut Iacob inquit: Angelus, qui redemit me ex cunctis malis, benedicat pueris istis. Hic non dubium est angelum intelligi Filium Dei missum ad redemtionem & benedictionem.

Definitio est collecta ex partibus sacerdotalis officij Christi. Prima pars huius officij est, patefacere Euangelium. 2. Precari pro Ecclesia omnium temporũ. 3. Placare irã Dei sacrificio suo. 4. Exhibere bona promissa in Nouo Testamento.

Iohan. 1. cap.

Genes. 48. cap.

Filius Dei non tantùm est sacerdos, & rex Ecclesiæ tempore passionis, & deinde post resurrectionem, sed fuit sacerdos, & rex Ecclesiæ inde vsque ab initio. Sæpè princeps aliquis tradit munus Cancellarij viro sapienti, eloquenti & iusto: procul à sua aula remoto, versanti in peregrinatione aliqua: vt fieri potest, vt princeps aliquis mittat consiliarium in Angliam, non vt cancellarium, sed vt legatum, sed antequam redit ille confecto munere legationis, mittit ad eum nuntium vnà cũ

literis, quæ significant voluntate principis ipsum esse creatum cancellarium. Quomodo potest esse cancellarius inquiat, aliquis, cum nondum sit in aula? Satis est eum esse vocatum ad munus istud voluntate principis, etsi aliquantisper differtur executio, huius mandati & vocationis. Ita Filius Dei ante assumtionem humanæ naturæ vocatus est ad munus sacerdotis, & regis, sed statuto tempore, id est, confectis ferè 4. millibus annorum à mundi creatione factus est victima, resurrexit ex morte, ascendit in cœlum, consedit in carne ad dexteram Patris, paulo pòst resuscitaturus Ecclesiam ad vitam æternam. De hoc perpetuo regno & sacerdotio Christi inquit Apocalypsis, Christus vel agnus est occisus ab origine mundi, id est, ipse est vocatus ab origine mundi ad hanc obedientiam præstandam in passione, & propter hanc vocationem est perpetuus sacerdos Ecclesiæ, ab initio vsque ad finem. Patres ante diluuium, & Prophetæ ante Christum tàm habuerunt regem & sacerdotem, quàm nos, sed hoc interest, quòd nondum obtulit suum sacrificium. Nos credimus in Christum exhibitum resuscitatum, regnantem ad dexteram Patris. Ita Tempora sunt patribus, non variata fides.

Quod autem oret pro nobis, verba apertè testantur Ioh. 17. Non pro eis tantùm oro, sed pro omnibus, qui credent per verbum eorum in me, & Esaiæ 53. scriptum est: Ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit. Neque verò precatur solùm pro Ecclesia omni tempore, sed etiam certò exauditur, iuxta illud: Hic est Filius meus dilectus quo delector.

Psalm. 2. Postula à me. Nil tibi larga manus nostra negare potest.

Postremò & sacrificium pro nobis obtulit sua morte, & quidem id sacrificium nobis applicauit, sicut expresè inquit Ioh. 17. Pro eis ego sanctifico me. Et Matth. 20. Filius hominis venit dare animam suam λύτρον pro multis. Hæc autem applicatio, vt infra rursus dicam, fide apprehendenda est, & statuendum, verè nobis donari remissionem propter huius sacerdotis sacrificium & intercessionem.

In genere solemus dicere, tria esse officia sacerdotis. 1. Est docere. 2. Orare. 3. Sacrificare pro modo vocationis. Hæc tria officia consideremus in Christo. Quid docet Christus? Lex per Moysen data est. Ergo non est Legislator Christus.

Christus. Quid ergo docet? Patefacit Euangelium, hoc est, profert arcanum decretum diuinitatis de reconciliatione ex sinu æterni Patris, teste Iohanne Baptista cap. 1. Deum nemo vidit vnquam, Filius, &c. 2. Vbi orat pro Ecclesia? Iohannes cap. 17. recitat formulam ardentissimam precationis, in qua Christus ante agonem, seu ante luctam in horto precatus est, & vota fecit pro Ecclesia omnium temporum. Ibi inter cætera inquit: Non pro eis, id est, Apostolis tantùm oro, sed pro omnibus credituris, &c. Hac voce nihil potest dulciùs ad consolandas mentes dici aut cogitari. Si credis Christo, & habes initia fidei, etiamsi infirma, cogita Filiū Dei pro te precatum esse, & nunc etiam precari. Et hæc precatio Christi est vnicum fulcrum sustinens mundum, genus humanum, Oeconomias, Politias, Ecclesiam, ministerium, & omnia, & remoto hoc fulcro in antiquum chaos omnia verterentur & ruerent, vt Poetæ loquuntur: Nam quod in pace nunc tamen aliqua sedemus, hoc profectò non humanis præsidijs acceptum referre debemus, sed huic vni precationi Christi recitatæ in agone, quam quotidie adhuc repetit. 3. Quid offert Christus, aut quid sacrificat? Non ingreditur in sanctum sanctorum per sanguinem hircorum, sicut Leuitici sacerdotes, sed suum sanguinem patri offert, vt sit λύτρον pro nostris peccatis, & disertè applicat nobis hoc sacrificium. Iohan. 17. Ego sanctifico me, id est, offero me pro eis, id est, omnibus credentibus per verbum Apostolorum in me.

CAPVT II.

De officijs huius Sacerdotis.

ETsi ex definitione, quam recitaui, agnoscit pius Lector, quæ & qualia sint officia sacerdotis Christi, videlicet docere Euangelium, precari pro nobis, & non tantùm offerre suum sacrificium, sed id etiam applicare omnibus credentibus, tamen quia non semel hæc audiuisse satis est, iuuat in ijs immorari, vt per has cogitationes accendantur motus spirituales. Ac primum quidem cogitemus, quale genus doctrinæ ex sinu æterni Patris prolatum Ecclesiæ patefecerit, idque procul segregemus à Lege &

Politica sapientia. Nam multi indocti omnibus temporibus insulsè tres Leges finxerunt, Legem naturæ, Legem Moysi, & Legem Euangelij de dilectione, & de vitanda concupiscentia.

Lex de dilectione proximi dicitur à Christo mandatum nouum, Iohan. 13. Non quò ad notitiam, sed quò ad obedientiam, quia scilicet est rarum & inusitatum in mundo. Nam pauci candidè diligunt alios. Omnes sumus mercatores propriarum vtilitatum: in amicitia ζεῖ χύτρα ζεῖ φιλία. Deinde, quod dicitur Ioh. 15. Mandatum meum do vobis, &c. vbi Christus suum mandatum esse dicit, intelligendum est, non quo ad νομοθεσίαν, id est, promulgationem, quæ antea fuerat facta per Moysen, sed quia nemo potest huic Legi obtemperare, sine agnitione Christi, & auxilio Spiritus sancti. Porrò Christus Matth. 5. repetit etiam & declarat præceptum: Non concupisces. Neque tamen sequitur: Ergo Lex Euangelij est Lex de dilectione, & de vitanda concupiscentia. Quia hæc ipsa Lex priùs est tradita in Decalogo.

Hæc deliramenta offuderunt tenebras Euangelio. Ideo reiicienda sunt, & prudenter discernendum est Euangelium, quod est singulare, & mirandum decretum diuinitatis, factum deprecante pro nobis Filio, & postea prolatum ex illo arcano consilio, de Remissione peccatorum, & de restitutione iustitiæ, & vitæ æternæ, à sapientia Legis, quæ insita est mentibus hominum in creatione, sicut numerorum notitia. Sed de hac distinctione Legis & Euangelij aliâs sæpè dicitur.

Omne rarum carum, vilescit quotidianum. Uns ists nit seltzam. Sed primis parentibus fuit summum mysterium.

Deinde, cùm Christus pro nobis intercesserit, & intercedat, quem exaudiri certum est, non dubitemus nos propter hunc propitiatorem & intercessorem recipi. Hæc est piis dulcis, & salutaris consolatio, & asiduè cogitanda est: Quoties igitur nostras precationes incipimus, cogitemus hunc summum sacerdotem Filium Dei, stantem coram æterno Patre, verè affici nostro dolore, & gemere nobiscum, vt Pater φιλόστοργος gemit cum liberis magna calamitate oppressis, & nostras preces perferre ad

Quare sumus segniores & languidi adeo inter precãdum?

æternum

æternum Patrem. Hæc certè inter precandum semper cogitanda sunt.

cur friget ita nostra oratio? Non postrema causa est: Quia somniamus nos solos esse, qui recitamus preces, & neminem esse, qui ad nostra vota adiungat suos gemitus. Scriptura verò affirmat Filiū Dei esse Sacerdotem, & intercessorem, & perferre in sancta sanctorum nostros gemitus, vota, preces, cultus, &c. Roman. 8. Sedet ad dexteram Dei interpellans pro nobis. Item: 1. Iohan. 2. Filioli mei, nolite peccare, sed si quis peccauerit, habemus aduocatum. Et in Epistola ad Ebr. Ingreditur in sanctum sanctorum, & apparet pro nobis apud Patrem. Item Iohan. 16. Quidquid petieritis in nomine meo. De Spiritu sancto nobiscum gemente, extat Roman. 8. Spiritus clamat ad Deum gemitibus ineffabilibus. Ergo duos habemus eximios aduocatos. Quomodo hos potest negligere Pater æternus? Sed hæc maiora sunt, quam vt penetrent in alueolos angusti nostri pectoris.

Etsi autem omni tempore pro sanctis precatus est, & precatur, tamen ardentissima fuit precatio, quam in agone suo recitauit. Petit enim hæc quatuor bona ingenti motu pectoris ab æterno Patre: Quorum primum est, vt veritas, id est, Lux Euangelii in Ecclesia maneat: Pater, inquit, Sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas.

Secundum est, vt sit inter Doctores pia concordia, cuius vinculum est consensus de vera doctrina: Oro, Pater, vt in nobis vnum sint.

Tertium est, vt Pater æternus ea στοργῇ complectatur vniuersam Ecclesiam, qua Filium diligit. Sit in eis tua dilectio, qua me diligis.

Quartum est, vt Deus propter hoc sacrificium omnibus remittat peccata, & det vitam æternam fide confugientibus ad Christum.

Has tantas res, cùm precatio Christi ardentissima & dulcissima complectatur, ad verbum ediscenda est, & sæpe magna intentione animi cogitanda.

Hi quatuor sunt præcipui loci, ad quos cætera omnia sunt referenda. Credo neminem vestrum esse, quin sentiat le[gens] hæc, magnum feruorem, vel saltem aliquem calorem Spiri[tus] ...gens O ... cus san-

cti, &c. Ac sit pijs omnibus hoc persuasum, cum historia passionis Christi semper coniungendam esse lectionem capitis 53. Esaiæ, & caput 17. Iohannis.

Postremò discernatur Passio Christi ab aliorum sanctorum ærumnis. Nam Ieremiæ & Pauli supplicia, non merentur aliis remissionem peccatorum, nec sunt sacrificia placantia iram Dei, sed sunt debita obedientia in istis, quæ tamen propter confessionem & propagationem doctrinæ aliis prodest. Ita inquit Paulus Philip. 2. Sed & immolor propter sacrificium, & oblationem fidei vestræ, id est, immolor, vt confessio mea luceat in supplicio, & sit testimonium Euangelij confirmans fidem vestram, quæ est verum sacrificium, & vera oblatio.

Mola generaliter significat quiddam rotũdum. Hinc transfertur appellatio ad res, quæ habent figuram orbicularem & rotundam, vt in corpore humano, Molam vocant os rotundum in genu, Die Kniescheibe. 2. Significat mola medicis carnem rudem & informem, quàm mulierculę infelici partu edunt. Qua de re non libenter dico apud iuniores. Mann heists germanicè ein Monkalp. 3. Mola vsurpatur pro placentula rotunda, quæ salsa, seu sale conspersa Deo offerebatur, Ein Fladen der gesaltzen ist. Inde est immolare, quasi dicas, Molam seu placentam salsam offerre. Postea tamen transfertur ad omnia sacrificia. sed ad rem. In Dialecticis sæpè dictum est, duplex essę sacrificium. Aliud ἱλαστικὸν, aliud εὐχαριστικόν. Vnicum autẽ est ἱλαστικὸν, obedientia Christi in tota passione. Aliorũ sanctorum obedientia est sacrificium εὐχαριστικὸν, id est, non compensans peccatum, non placans iram Dei, sed tantùm declarans gratitudinem Deo debitam, pro acceptis beneficijs. Alibi etiam sæpè audiuistis, quatuor esse genera calamitatum in Ecclesia. 1. Est τιμωρία, id est, pœna certi delicti, vt exilium Dauidis. 2. δοκιμασία, id est, exercitium pietatis. 3. Genus est μαρτύριον: vt, Quare Paulus interficitur à Nerone? Non vt mereatur mihi, tibi, aũt sibi remissionem peccatorum, sed vt in supplicio luceat ipsius confessio, qua testatur se non voluptatis & quęstus causa circumtulisse doctrinam tot annis, sed propter gloriam Dei, & Ecclesiæ collectionẽ. Deinde etiam, vt testetur restare aliud iudicium, in quo Deus discernet Paulum à Nerone. At verò solius Christi sacrificium est λύτρον [illegible]d tollit peccatum & mortem,

quo.

At Christi

At Christi passio singulare sacrificium est, ordinatum ad hoc ingens, & inenarrabile bonum, vt iram Dei placet, & sit satisfactio pro peccatis nostris. De hoc sacrificio notæ sunt Prophetarum conciones, vt Esaiæ 53. Ponet animam suam hostiam pro peccato, & Zach. 9. In sanguine Testamenti tui educes de lacu vinctos tuos.

CAPVT III.

Quòd appellationes Regis & Sacerdotis Christi referendæ sint ad totam personam, non tantùm ad alteram naturam.

Magna dissimilitudo est inter has propositiones: Filius Dei est mortuus, & Filius Dei est rex & sacerdos Ecclesiæ. Vt enim illa, ad naturam humanam referenda est: Ita hæc loquitur de officio, quod conuenit personę secundum vtramque naturam. Hanc formam sermonis discimus ex promissionibus, quæ manifestè comprehendũt vtramque naturam, Semen mulieris conteret caput serpentis. Item, In semine tuo benedicentur omnes gentes: & Ierem. 23. Suscitabo germen Dauidi, & regnabit rex, & hoc est nomen, quo vocabunt eum, Iehoua iustitia nostra. In his

Magister sententiarum lib. 3. dist. 19. imprudenter & impiè affirmat Christum esse Mediatorem non secundum diuinitatem, sed tantùm secundum humanitatem, & affert hanc rationem: Quia nihil est medium inter Deum & Deum, hoc est, si Christus esset mediator secundum diuinitatem offerret sibi ipsi. Quid autem est absurdius, quàm sibiipsi offerre? Non tanti facienda est hęc obiectio, vt propter eam discedamus à verbo Dei, quod affirmat Christum esse sacerdotem & regem, Mediatorem & liberatorem, non tantum secũdum humanam, sed etiam secũdum alteram naturam. Nec ipse Magister tantùm defen-

& multis similibus dictis, manifestum est describi Christum Deum & hominem, fungen- dit hoc, sed etiam habet suffragatores suos Stancarum, & alios. tem officio regis & sacerdotis secundum vtramque naturam. Si enim hæc persona tantùm esset Deus, non posset tentari, crucifigi, & mori. Sin autē tantùm esset homo, nec videre, nec sustinere magnitudinem iræ Dei posset, nec vincere mortem, nec reddere iustitiam, & vitam æternam, quæ sunt opera solius naturæ omnipotentis. Ostendunt etiam officia summi sacerdotis, & mediatoris noui Testamenti, non tantùm intelligi naturam humanam, sed personam, quæ est Deus & homo, habentem actiones in vtraque natura. Nam huius mediatoris proprietas est, videre corda inuocantium, discernere veram inuocationem, & hypocrysin, exaudire inuocantes, & ingredi in consilium arcanum æterni Patris, id est, videre voluntatem æterni Patris, & pro nobis deprecari. Hæc propriè sunt naturæ omnipotentis. Agnoscamus igitur regem & sacerdotem hunc Christum, Deum & hominem, & gratias agamus Deo pro hoc immenso beneficio, quod Filium voluit assumere humanam naturam, & hunc Filium Deum & hominem voluit esse redemtorem & saluatorem, & caput Ecclesiæ, quod omnia perficit.

Quòd autem obiicitur. Nemo est mediator sui ipsius, Item, Nemo est deprecator apud seipsum: Responsio perspicua est. Hæc vera sunt eodem respectu, & vbi vnica persona est, sed hîc discerni oportet inter mittentem diuinitatem, & Filium missum. Filius, in quantum missus est, est mediator & sacerdos.

Recitat Cyrillus in Thesauro, prorsus similem obiectionem Nestorii. Si Christus secundum naturam diuinam esset sacerdos, sibiipsi offerret. Respondet autem, officium esse personæ. Hæc missa persona est mediatrix apud mittentem diuinitatem. Nec tamen missio & obedientia tollit æqualitatem potentiæ.

• Hic interfuit disputationi in Synodo Ephesina, qua refutatus est Nestorius.

CAPVT

CAPVT IIII.

De diſcrimine Leuitici ſacerdotij, & ſacerdotij Chriſti.

QVando auditis fieri mentionem ſacerdotij Leuitici, nolite arbitrari ſacerdotium illud fuiſſe Papatum Romanum, humanis conſilijs inſtitutum, vel potius humana audacia excogitatum, ſed cogitate id quod res eſt, Deum fuiſſe authorem omnium ceremoniarum templi Hieroſolymitani, & totius ordinis ſacerdotum. Sed hæ pulcerrimæ ceremoniæ, & hi ritus vnà cum politia annis 40. poſt Chriſtum reſuſcitatum deletæ ſunt.

Alexander Magnus, cùm expugnaſſet vrbem Tyrum in Phœnicia, acceſsit ad Hieroſolymam, iratus, & eo animo, quaſi ſumturus pœnam de Iudæis. Cauſa verò mouens bilem ipſi, erat hæc. Cùm occupatus eſſet Alexander obſidione Tyri, petiuit à vicinis Iudæis auxilium: ſed Iudæi memores beneficiorum, quæ à Perſicis regibus acceperant, rectè fecerunt, quòd noluerunt hoſti Alexandro præbere auxilium. Hoc offenſus Alexander, poſt expugnatam Tyrum adduxit exercitum ad vrbem, ſed ſummus Pontifex Iaddus, indutus veſte Pontificia, vna cum cœtu ciuium proceſsit Alexandro obuiam, quem cùm conſpicatus eſſet Alexander, deſilijt ex equo: interrogatus verò, quare ſe obijceret pedibus ſacerdotis? Reſpondit: Quia cùm adhuc domi in Macedonia deliberarem, de ſuſcipiendo bello aduerſus Perſicos reges, obuiam venit mihi talis ſacerdos, qui dedit mihi mandata de inferendo bello Perſis, & felices ſucceſſus mihi promiſit. Itaque non dubito, hunc ſacerdotem eſſe miniſtrum ſummi numinis, à quo adiutus ſum in difficilimis bellis gerendis. Hoc exemplum recito, vt intelligant adoleſcentes, diuinitus fuiſſe conſtitutum, & conſeruatum ſacerdotium populi Iudaici.

Epiſtola ad Hebræos conſpicuis limitibus, tanquam in iudicio regundorum finium, diſcernit ſummum ſacerdotem noui Teſtamenti à ſummo ſacerdote veteris Teſtamenti. Sic enim cap. 5. inquit: Sacerdos veteris Teſtamenti erat homo in-

Aaron fuit primus ſacerdos in populo Dei, & tamē fuit author primus Idololatriæ. I.

firmus. Persona verò missa ad sacerdotium noui Testamenti est hic Filius, de quo inquit æternus Pater: Filius meus es tu: Ego hodie genui te. Et capit. 7, Lex homines constituit summos sacerdotes habentes infirmitatem: Sermo autem iuramenti post Legem, Filium in æternum consummatum. Ita primum personæ illustre discrimen faciunt inter summos sacerdotes vtriusque Testamenti.

II. Ebr. 5. Deinde differunt genere doctrinæ, quod profitentur. Ille enim natus in familia Aaronis, minister Legis erat, proponens maledictiones, id est, denuntians iram Dei aduersus peccata populi. Hic verò natus in familia Iuda, est minister Euangelij, benedicens, hoc est, liberans à peccato & morte, & reddens iustitiam, & vitam æternam.

III. Tertiò differunt intercesſione. Ille enim exiguo tempore pro Ecclesia precabatur: Hic est æternus sacerdos, semper intercedens pro nobis, & saluans inuocantes, merito & efficacia. Ille ingrediebatur in sanctum sanctorum manu factum. Hic ingreditur in cœlum, & arcanum consilium diuinitatis.

Ebræ. 6. & 9.

Sanctum sanctorum erat sacratisſima pars templi.

IIII. Ebr. 9. Quartò differunt modo sacrificandi. Ille alienum sanguinem offerebat, qui non poterat sanare vulnera conscientiæ, sed carnem tantùm purgabat. Hic verò suum sanguinem, liberantem conscientias à mortuis operibus, obtulit. Quia imposſibile
Ebr. 10. erat sanguine taurorum & vitulorum auferri peccata.

Ac ille quidem quotannis iterabat suum sacrificium. Hic vna oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos. Denique summus sacerdos in Lege, sibi & populo sacrificium appli-
Ebr. 7. & 9. cabat. At Christus non sibi, sed Ecclesiæ, & singulis credentibus suum sacrificium applicat.

V. Ebr. 7. Postremò differunt forma institutionis, & numero seu succesſione. Nam Leuiticum sacerdotium sine iuramento institutum & approbatum est. Nostri verò sacerdotis officium iureiurando sancitum & ordinatum est, vt in Psalm. dicitur: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum, seundum ordinem Melchisedech.

Communis est opinio, quæ & mihi

& mihi non displicet, Melchisedech fuisse filium Nohæ, qui appellatur Sem. Hunc aiunt habitasse in eo loco, qui olim dicebatur Salem, & postea dictus est Ierusalem. Distat autem à Sodomis octo milliaribus, vbi habitauit Loth, sicut Abraham in Hebron. Vocatur autem Melchisedech rex Salem, non sicut iam loquimur nominantes Regem Galliæ, sed sicut scriptura reges vocat, Dominos vnius aut alterius territorij, quales nunc sunt comites.

Præterea vetus sacerdotium plures administrabant, sed noui Testamenti vnus duntaxat sacerdos est.

Hæc discrimina copiosè declarantur in Epistola ad Ebræos cap. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

CAPVT QVINTVM ET POSTREMVM.

De applicatione Sacerdotij Christi.

SEmper in omni vita cogitandum est de applicatione sacrificij Christi, & intercesione pro nobis. Sic enim rectè de mediatore, & sacerdote Christo cogitabimus, cùm videlicet intuebimur, eum pro nobis quoque intercedentem, & pro nobis applicantem sacrificia. Nam ad officium sacerdotis pertinet, non solùm offerre aliquid, sed mens accedat orans pro eo, pro quo fit sacrificium, & testificans se pro illo hanc obedientiam præstare.

Ideò verba applicationis recitata à Filio Dei Iohan. 17. fidelisimè meminerimus. Ego, inquit, pro eis me sanctifico, vt & ipsi sint sanctificati in veritate. Item, Oro non pro eis tantùm, sed pro omnibus credituris per verbum eorum in me. Hic palàm affirmat Christus, valere suum sacrificium non tantùm pro Apostolis, sed pro omnibus, qui Euangelium amplectuntur. Hæc autem applicatio fide apprehendenda est, & statuendum huius sacrificii fructum ad nos pertinere, & propter hoc ipsum sacrificium verè nobis placatam esse iram Dei, nos verè recipi, ex-

audiri, & saluari. Ideò Paulus inquit Roman. 3. Iustificamur gratis gratia ipsius per redemtionem, quæ est in Iesu Christo, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine suo. Sic, inquit, tibi est propitiator, cùm credis, quòd propter ipsius mortem Deus tibi placatus sit. Hanc doctrinam applicationis perpetuò, & summa cura meminerimus. Ac vtraque pars à multis scriptoribus neglecta est. Non monent, vbi Christus pro nobis applicauerit suum sacrificium, & vbi præcipuo munere sacerdotis functus sit. Nam proprium summi sacerdotis officium est, applicare suum sacrificium. Postea multò minus tradiderunt, quomodo singuli, sacrificij fructum sibi applicare debeant. Hîc finxerunt applicationes per missas & alia opera. Contra hos errores diligentissimè muniendæ sunt mentes, & discenda est doctrina de fide, qua sibi vnumquemque Deus vult hoc sacrificium applicare, vt Paulus ait: Christum per fidem esse propitiatorem, id est, fide statuendum esse, pro nobis Christum mortuum esse, & nos sanguine eius ablutos esse.

FINIS LOCI DE SACERDOTIO CHRISTI.

LOCVS

LOCVS DE REGNO CHRISTI.

Præfatio in Locum, de Regno Christi.



N Historia paſsionis Filii Dei triſtiſsima ſpecies oſtenditur, cùm Chriſtus producitur veſtitus purpura, & ſpinis coronatus. Quid eſt autem tàm ſimile huic imagini, quàm aurea ſomnia de regno politico Meſsiæ? Verè enim capiti Chriſti ſpinas inſigunt, & eum contumelia afficiunt, ſicut milites illudentes inquiunt, Aue Rex Iudæorum.

Quadruplex eſt meditatio paſsionis Domini.

I. Eſt hiſtorica ſeu Pædagogica, qua diſtribuitur hiſtoria in certos Actus, & cogitatur, quid ſit paſſus Chriſtus in horto, quid in domo Caiphæ, &c.

II. Omnium ſaluberrima eſt ſpiritualis, quæ eſt timor & fides. Timor excitatur, quando cogito, quanta res ſit peccatum, Item, ira Dei aduerſus peccatum. Nam iræ magnitudo potiſsimum conſpicitur in hac victima. Si enim alia victima potuiſſet placari, nequaquam Deus Filium ſuum trucidandum obieciſſet aſpidibus. E regione accenditur fides, quando cogitamus tantam eſſe bonitatem Dei, vt non pepercerit Filio vnigenito, & tantum fuiſſe amorem noſtri in Filio, vt propter nos ſe abiecerit, non modò infra angelos, ſed etiam infra creaturas omnes.

III. Eſt exemplaris, ſicut 1. Pet. 2. dicitur: Chriſtus mortuus pro nobis reliquit nobis exemplum, &c. Item, Qui vult me ſequi, tollat crucem ſuam.

IIII. Eſt Allegorica. Quia in hiſtoria paſsionis ſine omni dubio propoſita eſt imago omnium, quæ acciderunt & accident Eccleſiæ vſque ad finem mundi Quoties igitur audis Chriſtum productum, ſpinis coronatum, cogita eas ipſas ſpinas eſſe tetras illas, & pernicioſas opiniones de regno politico Chriſti,

Nam hæc deliramenta delent agnitionem peccati & iræ Dei aduersus peccatum, obscurant doctrinam de cruce, & promissiones spirituales, extinguunt lucem de beneficiis mediatoris, & de iustitia fidei. Semper autem in Ecclesia tales spinæ capiti Christi infixæ sunt. Constat Iudæos, & olim somniasse, & adhuc somniare, Messiam domitis gentibus regnaturum esse, & omnes Prouincias iusto & tranquillo imperio gubernaturum, iuxta Legem Moysi. Sic Romanus Pontifex multipliciter inijcit purpuram Christo, & coronat eum spinis. Quia affirmat Ecclesiam esse politiam similem regno, in qua oporteat vnum aliquod visibile caput esse, armatum potentia & potestate condendi Leges & interpretandi, laxandi & astringendi Leges diuinas & humanas: Et hoc caput alligatum esse certo loco, & electioni certi Collegii, vt in aliis regnis: Denique imperia mundi petenda esse à sede Romana. Ex hac imagine natus est versus, qui fuit inscriptus coronæ Rodolphi, electi contra Henricum Quartum, & sepulti in Mersburg, vbi in pugna ei manus præcisa est:

De regno Christi extant conciones Prophetarum & Psalmorum, valdè illustres & splendidę. Atque haud scio, an Prophetæ & Psalmi vllo in argumento sint alacriores, quàm in describendo regno æterno & spirituali Christi. Simus igitur nos quoque in legendis & audiendis illis concionibus paulo alacriores, nec tantùm discamus doctrinam quadam puerili diligentia, sed dem⁹ operam, vt & nos sentiamus efficaciam regni Christi in vera consolatione, & in tãtis vitę periculis. Si quis enim pijs oculis aspexerit regnum Christi resuscitati ex morte, & regnantis ad dexteram patris, & dantis dona hominibus, is profectò ingẽti animo vincet õnes minas & illecebras mundi, & facilè eluctabitur ex Diaboli insidijs, vagos etiam & errantes animi sui impetus faciliùs retinebit atque coercebit. Sed Iudæi legentes illas splendidas descriptiones regni Christi, detorquent illas ad Metamorphosin illam, qua regnum Christi transformatur in politiam.

Sicut in Imperio Germanico septem sunt Electores, penes quos est vis creandi Imperatores Romanos: Ita in aula Romani Pontificis sunt Cardinales, qui habent ius eligendi Pontificem, quem vocant ipsi caput Ecclesiæ, & vicarium Christi in terris.

Petra

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho,

Longa est historia de bello, quod gestum est inter Henricum Quartum Imperatorẽ Romanũ, & Rodolphum Ducem, vt quidam volunt, Saxoniæ, seu, vt alij, Sueuiæ.

Hildebrandus, vel potiùs Hellebrandus Pontifex Romanus, ante annos ferè 500. acerrimè contendit cum Henrico Quarto, de duobus Priuilegijs, quæ conatus est ad Romanam aulam, & sedem Pontificiam transferre, & perpetuò alligare. Vnum erat de confirmatione Pontificis. Quod sic intelligatur. Ante Henricum Quartum nullus Papa eligebatur aut cõfirmabatur sine suffragio & cõsensu, ac approbatione Imperatoris. Non erat rata electio Papę, nisi accessisset consensus Imperatoris. Hanc consuetudinem è medio tollere conatus est hic Hildebrandus. Alterum verò priuilegium erat de electione Episcoporum in Germania. Nam ius creandi Episcopos erat penes Imperatorem, & penes Principes. Hoc igitur & ipsum ad se rapere voluit, sicut tandem etiam rapuit. Cùm autem persuasionibus non posset obtinere hæc duo ab Henrico Quarto, vi & armis extorquere conatus est. Itaque Rodolpho persuasit per Episcopos, vt contra Dominum suum arma moueret, qui deinde in bello, gesto in agro vicino Mersburgensi, amisit dextram, qua pręstiterat iuramentum Imperatori, & relatus saucius ex prælio in oppidum, paulo ante extremum vitæ halitum, belli furias, Episcopos, quorum iussu arma ceperat, aduocauit, & dixit eis miserabili voce: Videte, hæc est manus, qua ego fidem dedi meo Domino. Sed cogitate, an habuerimus satis iustas & necessarias causas deficiendi ab illo. Atque ita exhalauit animam. Hildebrandus verò postea etiam filium ipsum Imperatoris contra patrem incitauit.

Eodem modo peccant & Anabaptistæ, qui Leges ferunt de Platonica communione rerum, & de noua forma Magistratuum & iudiciorum, & fingunt regnum Christi futurum esse eiusmodi ante supremum iudicij diem, vt pii & electi regnent, impiis vbique deletis. Contra hos perniciosos errores necesse est benè præmuniri mentes, & tenere hanc sententiam: Per Euangelium nequaquam constitui mundanum imperium, sed incoari in nobis agnitionem veram Dei, iustitiam & vitam æternam, & post resuscitationem mortuorum, Ecclesiam, tãquam in vna ciuitate, in æterna consuetudine mansuram esse apud Deum, vbi fruetur eius sapientia & bonitate sine fine. Hanc cœlestem politiam expectemus vera fide, spe, confessione, & tolerantia ærumnarum.

& veram Dei agnitionem & inuocationem in hac vita propagemus, nec arma capiamus, sicut fecerunt Monetarius, & furiosi homines Anabaptistæ in vrbe Monasteriensi.

Duæ illæ historiæ, vna de seditione rusticorum, altera de Anabaptistarum furore in vrbe Monasteriensi, dignissimę sunt lectione & perpetua memoria. Quia inter alia docent præcipuè, quanta sit Diaboli potentia grassantis in genere humano, & impellentis hanc infirmam naturam, ad tantas confusiones opinionum, cultuum, & morum. Quales enim opiniones fuerint, & adhuc sint, in cœtu miserorum hominum Anabaptistarum, sępè audistis. Errant enim de præcipuis articulis, maximè verò de peccato originis, de iustitia, qua coram Deo sumus iusti, de ministerio verbi & Sacramentorum, de Baptismo: Item de coniugio, denique de ordine politico.

Ad has opiniones tetras & horrendas addunt multos furores manifestos in moribus, sed quis est fons præcipuus tantorum malorum alius, præter somnium illud de regno Christi politico?

CAPVT I.

Quid sit Regnum Christi, & quæ sint eius beneficia.

Egnum Christi est gubernatio Christi colligentis sibi Ecclesiam per ministerium Euangelii, omnibus temporibus mundi, & liberantis eam à peccato & æterna morte, & sanctificantis eam dato Spiritu sancto, vt sit æterna ipsius hæreditas, & mirabiliter eam defendentis & regentis in hac vita, vt verè inuocet, & agnoscat exaudiri preces, ac celebret Deum, & resuscitantis ex morte ad vitam & gloriam æternam.

Definitio est collecta ex partibus. Cùm enim loquimur de regno Christi, mentio facienda est duarum rerum. 1. Incoationis, deinde consummationis huius regni. Incoat igitur Christus in hac

hac vita regnum suum. 1. Per ministerium Euangelij & Sacramentorum per quod verè & certò est efficax, & colligit sibi æternam Ecclesiam. Deinde liberat suã Ecclesiam, non à Tyrannide Herodis, aut Pilati, sed à Tyrannide Diaboli, & à morte æterna. Manet quidem mors corporis propter peccatum, quæ pijs tantùm est sòmnus, sed à morte æterna prorsus sunt liberati. 3. Sanctificat Filius Dei Ecclesiam Spiritu sancto, vt sit æterna ipsius hæreditas, sicut scriptum est, Accipite Spiritum sanctum, &c. & apud Ioelem, Effundam de Spiritu meo, &c. Item: Zach. 12. Effundam super &c. 4. Ecclesiam, quæ verè est pusillus grex, & pauper, & egenus, vt Soph. 3. inquit, defendit, seruat, regit aduersus furores Diaboli & mundi, ac Tyrannorum, etsi aliqua membra sinit propter confessionem interfici, &c. 5. Consummatio verò huius regni sequetur post resurrectionem, quãdo Christus tradet regnum Patri, id est, Ecclesiam adducet ad æternum Patrem, & Deus erit omnia in omnibus.

In hac descriptione consideremus, quæ bona adferat regnum Christi, & à quibus malis liberet. Politica gubernatio regit externam disciplinam, & pacem tuetur legibus, iudiciis, & armis. At Christi regnum colligit ex genere humano æternam Ecclesiam, & accendit in cordibus piorum lucem & agnitionem veram Dei, iustitiam & vitam æternam.

Iam cogitent pii, quantum beneficium sit collectio Ecclesiæ per ministerium Euangelii. Paulus quidem ad Ephesios 4. enarrans dictum illud: Ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus: Inter præcipua dona recenset ministerium Euangelii, & addit hoc ministerium seruari & instaurari, ne extinguatur lux veræ doctrinæ de Deo, & vt textus inquit, ne fluctuantes circumferamur omni vento doctrinæ, per hominum præstigias & imposturas. Vbi enim Christus sedens ad dexteram Dei non seruat ministerium, nec subinde repurgat, obrepunt errores infiniti, sicut Ethnici & hæretici amisso verbo Dei in horrendos furores inciderunt. Psal. 68.

Coss. Rom. victores in Triumpho ascendebant in capitolium, & ducebantur captiui hostes victi, denique distribuebantur aliqua munera circumfusæ multitudini.

Epiphanius refutans Carpocratem sic inquit: Carpocrate

& eius diſcipuli dediderunt ſe omnibus voluptatibus, contaminarunt ſua corpora omnibus vitijs & flagitijs, habuerunt communes coniuges: vt autem haberent aliquem prætextum furorum ſuorũ, allegarunt dictum Matth. 5. Eſto conſentiens aduerſario tuo, quod niſi feceris, tradet te ille iudici. Aduerſarius, inquiunt, eſt Diabolus: huic oportet nos obtemperare, & ſequi eius impulſum & ductum. Niſi enim hoc fecerimus, tradet ille nos poſt mortem iudici, & ſi poterit nos conuincere aduerſus illius imperium vllius contumaciæ, detrudet nos in carcerem, id eſt, in corpus aliquod porci, aut canis, aut lupi: donec perſoluamus extremum quadrantem. Tales furores & ſimiles excitantur, cùm reijcitur vera vox verbi Dei.

Agnoſcamus ergò ingens Chriſti beneficium eſſe, quòd ſeruat hoc miniſterium, & ſi quando cœpit obſcurari, exſuſcitat Doctores, qui doctrinam rurſus illuſtrent.

Deinde non ſolùm Doctor eſt, ſed etiam liberator, deſtruens opera Diaboli, peccatum & mortem, & reſtituens credentibus Euangelio, iuſtitiam & vitam æternam.

Tertiò ſanctificat Eccleſiam dato Spiritu ſancto, qui teſtimonium dat Spiritui noſtro, quòd ſimus filii Dei, & opitulatur infirmitati noſtræ, & clamat ad Deum pro nobis, gemitibus ineffabilibus. Roman. 8.

Quartò. Etſi Eccleſia aſsiduè verſatur in periculis, quæ humanis conſiliis diſcuti non poſſunt, tamen Filius Dei eam mirando modo ſeruat ac defendit, vt cùm in Aegypto à rege edictum propoſitum eſſet, vt recens editi fœtus necarentur, & Aegyptij tentarent omnes vias premendi & delendi populi Iſrael, annis totis 80. tamen Chriſtus mirabiliter eam gentem ſeruauit & auxit, & defendit poſtea in deſerto, & in exilio Babylonico. Sic in Oriente atque in Aegypto, cùm Maximinus Imperator incredibili vſus ſæuitia, Eccleſiam crudeliter attriuiſſet, attenuaſſetque adeò, vt breui nomen Chriſti extinctum iri ab omnibus putaretur, mirabili huius regis prouidentia reliquiæ non ſeruatæ ſolùm, verum multorum Ethnicorum acceſsione in immenſum auctæ ſunt: Tyranno interim cum omnibus impiis fame ac peſte miſerabiliter conſumtis, vt ſcribit Euſebius lib. 9.

Dici nõ poteſt, quãta fuerit ſæuitia & crudelitas iſtius perſecutionis, regnan-

nis, regnante Maximino. Interdictum est Christianis omnibus oppidis & pagis. Itaque Christiani, cùm essent pulsi ex omnibus cœtibus hominum, coacti sunt latebras quærere, & abdiderunt se in syluas, & montium cauernas, & quicunque Christianus deprehensus fuit, statim raptus est ad supplicium, tanquam victima.

Denique tota historia Ecclesiæ, inde vsque ab initio mundi continet huius beneficii exempla plurima, quæ ostendunt Ecclesiam aduersus mundi furores mirabiliter defensam esse.

Postremò resuscitabit hic rex Ecclesiam suam ex morte, vt in omni æternitate Deum coràm intueatur, & fruatur eius sapientia, iustitia, & lætitia, & vicissim eum celebret.

Hæc beneficia Filii Dei, tùm verè magnifaceremus, si magnitudinem nostrorum malorum intelligeremus, hoc est, si videremus, quantum malum sit peccatum, quod in natura nostra circumferimus, si iram Dei aduersus peccatum sentiremus, si afficeremur metu pœnarum, quæ omnes impios ignorantes, aut contemnentes hunc regem opprimẽt. Sed in hac caligine humanarum mentium quotusquisque de sua immunditie, de ira Dei, & de tristissimis pœnis impiorum cogitat? Harum igitur maximarum & arcanarum rerum considerationem in pectoribus accendito tu Fili Dei Spiritu tuo sancto, vt verè expauescamus agnitione peccati & iræ Dei, & rursus vera consolatione erigamur, & te in omni æternitate celebremus.

CAPVT II.

Quale sit Regnum Christi, & de discrimine Regni Christi & Politici.

Vm Christo Domino nostro obiectum esset crimen plausibile, apud Ethnicum & profanum Magistratum, videlicet, hunc captiuum affectare regnum, planam & perspicuam confessionem edit, in qua expresè affirmat se regem esse, sed addit interpretationem, inquiens: Regnum meum non est de hoc mundo. Atque ita discrimen regni Mesiæ, quod est æternum, & regni

politici, quod cessaturum est, tradit. Differunt autem hæc duo regna, Obiectis. Beneficiis, Forma gubernationis, Gloria, Præsidiis & stabilitate.

Potestas politica versatur circa externam disciplinam & pacem, quam tueri debet.

Sed regnum Christi non tantùm regit externos mores, sed arguit & sanat corda, vt Esaiæ 61, dicitur: Spiritus Domini super me, ideò vnxit me, & ad prædicandum humilibus misit me, vt mederer contritis corde, vt prædicarem captiuis liberationem, & clausis apertionem carceris, vt prædicarem annum placabilem Domini, * & diē vltionis Deo nostro, vt lugentes consolarer, vt ponerem fortitudinem lugentibus Zion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro Spiritu mœroris.

Hoc vaticinium Prophetæ debet nobis eò magis esse commēdatum, quia Christus, vt scribitur Luc. 4. in patria sua Nazareth primæ concionis argumentum sumsit ex cap. 61. Esaiæ. Deinde etiam ideo, quia habet pulcerrima & maximè insignia lumina figurarum.

*Id est, annum Iubilæum, cuius erat hoc ius, vt serui manumitterentur, & fundi redirent ad pristinos Dominos. Leuit. 25.

Secundò. Potestas politica tantùm seruit huic mortali vitæ, nec liberat homines à peccato & morte, nec reddit iustitiam & vitam æternam. At huius regni beneficia æterna sunt, videlicet, placatio iræ Dei, reconciliatio Dei & hominum, donatio iustitiæ, Spiritus sancti, & vitæ æternæ, destructio operum Diaboli, peccati, & mortis.

Hæc admiranda beneficia non solùm consideremus, quoties de regno Christi dicitur, sed etiam fide nobis applicare discamus, quandocunque corda verè consternata conspectu peccatorum luctantur cum diffidentia & desperatione.

Diligenter considerate dictū Pauli. Regnum Dei non est in sermone, sed in virtute, quasi dicat: Non satis est diligenter audire aut legere verbum Dei, nisi adiungatur etiam spiritualis experientia, quæ consistit in vero timore, & vera fide, id est, vt vno verbo complectar, in vera pœnitentia.

Tertiò. Differunt Forma gubernationis. Princeps in constituendo Reipub. statu inprimis operam dat, vt idoneis hominibus Magistratus demandentur, eáque in re seruat Geometricam æqualitatem, Tribuit munus Cancellarii viro sapienti, docto eloquenti, Exercitum tradit perito bellatori, Gubernationem studiorum literatis, Præturam Iurisconsulto. Denique singulis personis conuenientia officia aßignat.

Christus verò in collectione Ecclesiæ, Vtitur infantibus & lactentibus, hoc est, Eligit ad tantum, & tàm admirandum opus Apostolos, homines priuatos, humiles, imbelles, imperitos, infantes, quibus nulli omnino videri poterant minus idonei, Sed eligit infirma mundi, vt confundat fortia. Quod autem de Apostolis dixi, hoc eodem modo de omnibus Doctoribus Ecclesiæ dici potest: Sic enim Paulus exclamat: Ad hæc quis idoneus, scilicet ad explicationem doctrinæ, ad diiudicationem maximarum controuersiarum, ad gubernationem Ecclesiæ?

Differunt etiam modo executionis in defensione & pœnis. Nam politica potestas armis defendit subditos, & contumaces punit vi corporali seu gladio: sed Christus per vocem Euangelii dat æterna bona remißionem peccatorum, Spiritum sanctum, & vitam æternam, & punit contumaces non vi corporali, sed verbo videlicet legitima excommunicatione.

Magistratus est custos, id est, executor legis. Executio complectitur defensionem iustorum & pœnam contumacium, & insanabilium.

Etsi autem humanæ sapientiæ valde mirum videtur, res tantas effici per verbum: tamen nobis certißimum sit hæc ita effici per verbum. Ideò scriptum est: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, Item: Euangelium est ministerium Spiritus. 2, Corinth. 3. Huc adiungantur & verba Christi. Quorum remiseritis peccata, remittentur eis. Clarè enim affirmat auferri peccatum per vocem Euangelii, quam sonat minister, & per eam dari Spiritum sanctum.

Quando vobis obstrepunt prophanæ cogitationes, sicut sæpè homini obstrepunt de ministerio Euangelij eiúsq; dignitate, necesßitate, denique præstantia, semper sonet in auribus vestris, in

corde, & tota mente, institutio, & approbatio Christi amplissimi & gloriosissimi huius muneris, quæ describitur Iohan. 20. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis, &c. & addit, Sicut me misit Pater, &c. Quid potest dici, aut cogitari, in cœlo aut terra gloriosius, quàm hæc Christi institutio, ordinantis & approbantis ministerium.

Quartò. Differunt gloria. Nam gloria Imperiorum est præstantia consilii in togata gubernatione, & in bellis felicitas, qua hostes perfligantur.

Quidam Legatus missus ad tres reges, regem Angliæ Henrirum Octauum, regem Galliæ Franciscum, & regem Hispaniæ, patrem Caroli, Philippum, reuersus ad suos, dixit se tria vidisse. In Anglia pulcrum regem. (Fuit enim Henricus præstanti corpore.) Deinde in Gallia pulcrum regnum. verè enim Gallia comparatur lilio florenti inter spinas. Tertiò addidit se vidisse in Hispania sapiens consilium. Hæc postrema laudatio longè anteferenda est duobus Encomijs antea recitatis. Consilij sapientia in togata gubernatione est summum decus. Tempore belli summa gloria est victoria, & triumphi, vt summa gloria Alexandri est, quod intra paucorum annorum spacium, totum ferè terrarum orbem suo imperio subiugauit.

Propriè autem Ecclesiæ gloria in hac vita, est vera Dei agnitio, inuocatio, professio veræ doctrinæ, conseruatio perpetua Ecclesiæ, etiamsi in aliqua membra sæuitur, magnitudo animorum in vincendis insidiis Diaboli, & mundi illecebris ac minis, Virtutum multarum decus, in quibus præsentia Dei cernitur.

Quintò. Præsidia regni politici sunt exercitus & opes necessarię ad sumtus domesticæ gubernationis, & ad bella gerenda. Ecclesia verò non est munita præsidiis visibilibus: Sed tegitur à Filio Dei, & habet custodes angelos, vt Matth. 28. Christus inquit: Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Hac igitur nos consolatione sustentemus, quod verè Filius Dei nobis ad-

Matth. 8. Volucres habent suos nidulos, & Vulpes habent suas foueas: Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Huic imagini oportet nos esse similes, sicut D. Lutherus inquit: Omnis verè pius Doctor, aut non est diues, aut non est diu diues.

est,

est, iuuat, & propugnat nos, siue habeamus externa præsidia, siue simus oppresi cruce.

Postremò. Differunt stabilitate. Nam omnes politiæ suum habent finem & terminum. At huius regni non erit finis. Quia rex est æternus, & populo suo dat vitam æternam, quæ hic incoatur, & post resurrectionem consummabitur.

Quomodo incoari posit vita æterna in hac vita, docet Filius Dei: Hæc est vita æterna, vt cognoscant, te solum esse Deum, & quem misisti Iesum esse Christum, quasi dicat: Non est beatitudo, & inanis voluptas, qualem somniant Turcæ, qui imaginantur in vita æterna nos lautis ac delicatis epulis fruituros, & vnumquemque vxores habiturum] quot velit, & nescio, quæ alia. Talis non est vita æterna, inquit Filius Dei, sed est sapientia, & vox admiranda, qua agnoscimus vnam essentiam esse Dei, sed tamen tres distinctas personas. Deinde qua in hac vita credimus, & in illa coràm cernemus voluntatem Dei, patefactã in Lege & Euangelio. Quando igitur rectè agnoscis Deum & Mesiam, tum certò statuas in pectore tuo esse semina, & initia, & gustum vitæ æternæ.

Hæc de regni Christi, & politici discrimine sæpè repetenda sunt, non solùm ob hanc causam, quòd mundus multipliciter in confusione huius discriminis peccat, & libenter transformat Ecclesiam, in politiam humanam, sed ideo etiam, ne consolatio, & inuocatio Filij Dei, & vera exercitia fidei obscurentur politicis imaginationibus. Nam oculi intenti in politica bona, his amisis putant Ecclesiam à Deo abiectam esse.

Sicut qui laborant morbo oculorum, qui Græcis ὀφθαλμία dicitur, vix cernunt ea, quæ ante pedes sunt, quia oculi impediti caligine offusã non possunt rectè discernere colores: Ita fascinati imaginationibus & somnijs, de regno politico Christi: Prorsus nihil intelligunt, de spiritualibus beneficijs Dei, & de vera inuocatione, & putant Ecclesiam externis bonis æstimandam esse, quibus amisis, existimant nos à Deo abiectos esse.

Hæc imaginatio refutanda est, & firmisimè statuendum, non propterea abiectos esse à Filio Dei credentes, etsi sunt in me-

diis suppliciis. Gloriamur enim non solùm spe gloriæ Dei, sed etiam afflictionibus, vt Paulus Roman. 5. inquit: Gloriamur spe gloriæ Dei, id est, certo speramus, quod Deus sit vniuersam Ecclesiam, & nos singulos, qui sumus ciues & membra Ecclesiæ ornaturus sapientia, iustitia, & vita æterna. Neque verò solùm hac spe futuræ gloriæ nos sustentamus, sed etiam gloriosos nos esse ducimus propter afflictiones. Dicat aliquis: Quę est hæc gloria? Hanc mihi non expeto: Respondeo: Aerumnæ vel patientia, quæ præstatur in ærumnis, est gloriosa, quia ornat gloriam Dei, est testimoniũ de doctrina & mortalitate secutura post hãc vitam. Deinde est gloriosa, quod attinet ad Catastrophen. Nam ærumnæ habebunt exitum gloriosum in vita æterna.

Imò si verè iudicare volumus, semper Ecclesia cruci subiecta gloriosior est, quàm in statu tranquillo, vt maior fuit gloria populi Israel in deserto, & in Babylone, quàm vnquam florente politia in terra Canaan. Quia virtus Dei in infirmitate perficitur. Videtur hoc esse Paradoxum: dicere quod Ecclesia sit gloriosa in ærumnis & calamitatibus: Sed nihil absurdi esse in hoc dicto intelligunt ij, qui quæ sit vera Ecclesiæ gloria sciunt, Psalmus inquit, Omnis gloria Ecclesiæ est intus seu interna, hoc est, vera Dei agnitio & inuocatio, Confessio constans, Fortitudo in ærumnis, &c. Hæc gloria magis conspicitur sub cruce, quàm in florenti statu. Exemplo est historia populi Israel, cuius multo maior fuit gloria in decreto & exilio, quã aliâs vnquã, In deserto, quanta sunt miracula edita? Carnes & Manna data sunt è cœlo. Rupes percussa effudit fontem, columna ignea noctu fulsit in castris. Interdiu nubes fuit ductrix exercitus. Deinde quanta fuit gloria in exilio Babylonico? Seruati sunt tres viri coniecti in fornacem igneum stupendo miraculo, quod & regem ipsum mouit. Daniel abiectus inter leones seruatus est incolumis. Ipsi Danieli sunt monstrata vaticinia de rebus maximis, de Christo, & de Monarchijs, & tota Ecclesia. Post annos septuaginta reducta est Ecclesia populi Iudaici in patriam & politia instaurata est, & defensa deinceps vsq; ad Monarchiam Græcam. Sic quando Filius Dei pendet in cruce maior est eius gloria, quàm cum suscitaret mortuos. Tanta ibi sunt edita miracula, vix vt vllius mens ea posit capere.

Sic pij

Sic post Christum vsque ad Constantinum fuerunt decem persecutiones, in quibus aliquot centena millia Christianorum fuerūt trucidata, & tamen maior gloria eo tempore Ecclesiæ contigit, quàm vnquam in florenti statu.

CAPVT III.

Refutatio opinionis, quæ transformat regnum Christi in politiam.

Ihil est homini dulcius gloria, præsertim cum tranquillitate coniuncta, seu spe tranquilli & gloriosi status. Hunc omnes appetimus & quærimus. Sed Christus hunc errorem, somniantium tale regnum in Ecclesia, & hanc vitiosam cupiditatem damnat, inquiens: Regnum meum non est de hoc mundo. Item, Reges gentium dominantur: Vos autem non sic. Et Paulus disertè inquit Philip. 3. Nostrum πολίτευμα in cœlis est. Cùm autem Iudæi fascinati opinione de regno Mesiæ politico, non possint conuinci testimoniis Christi, & Apostolorum, vt hoc somnium abiiciant, experiamur, si possimus ex veteri Testamento argumenta depromere, quæ homines sanos conuincunt, vt fateantur Regnum Christi non esse mundanum imperium, sicut Iudæi somniant.

Daniel inquit: Regna in fine mundi erunt alibi ferrea, alibi testacea, id est, alibi erunt cruenta, alibi ignaua, & tantùm populi opes exhaurientia.

Ac primùm quidem ipsa æternitas regni Christi satis ostendit, quantùm distet Iudæorum opinio ab reipsa atque à veritate. Nulla enim politia, aut imperium in hac mortali vita perpetuum est. Clarè autem affirmant Prophetæ, Christum sine fine regnaturum esse, vt Esaias cap. 9. vocat Mesiam, Patrem æternæ vitæ, & mox addit: Regnum ipsius nunquam desiturum esse, vt confirmet illud in iudicio, & iustitia ad omnem æternitatē.

Hæc verba repetit angelus Lucæ 1. quando affert lætissimā

famam de assumtione humanæ naturæ Christi ex virgine Maria.

Et Psalmo 45. Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi. Item: Psalmo 72. Timebunt te, quamdiu Sol & Luna erunt, in generatione & generatione.

II. Deinde limites huius regni idem declarant. Quæ enim politia totum terrarum orbem sua iurisdictione complexa est? Opulenta quidem regna, Babylonici & Persici reges tenuerunt, sed terminis Asiæ hæc regna inclusa fuerunt.

Alexander Magnus aliquam Europæ partem Asiatico imperio adiunxit. Romani imperij omnium Maximi terminus fuit Euphrates.

Crassus duxit exercitum contra Parthos, sed quomodo fuerit exceptus & tractatus, notum est ex historijs. Iulianus duxit magnas copias, quibus voluit in suam ditionem redigere Parthos, sed quo euentu, similiter declarant historiæ.

Iam verò constat limites regni Christi esse ortum & occasum Solis, vt in Psalmo 72. dicitur: Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Et Zacharias cap. 9. in descriptione regni Christi hunc ipsum versum vsurpat.

III. Accedit illa quoque causa, cur regnum Christi à politiis discernendum sit, quòd beneficia Mesiæ pertinent ad vniuersam Ecclesiam à principio mũdi vsque ad finem. Si igitur Regnum Christi politicum esset, nequaquam prodesset patribus & Prophetis, qui ex hac vita migrarunt ante Mesiæ aduentum.

In semine tuo benedicentur omnes gentes.

IIII. Quid dicam de amplissima promissione vocationis gentium, toties repetita in concionibus Propheticis, quæ inanis & irridenda esset, si soli Iudæi deletis gentibus dominarentur, & Spiritus altos gererent.

Esa. 49. Parum est, vt sis Saluator tribuum Israel, sed eris lumen gentium.

Adde

Adde huc firmam & immotam consequentiam, quam Christus Matth. 22. ex dicto Psalmi, Dixit Dominus Domino meo, &c. extruit: Nam in eodem regno & eadem natura successor nunquam appellatur Dominus Patris, aut aui Regis. V.

Sed omnium maximè hanc sententiam, quam volumus obtinere, confirmant dicta Prophetarum, quæ de morte & resurrectione Mesiæ concionantur. Daniel clarè inqut: Christus occiditur. Et Esaias: Ponet animam suam pro peccato. Ergo non habebit dominationem corporalem in hac vita. Hæc & alia multa cùm legimus, possumúsne dubitare, quin Iudæi & alij, somniantes politicum regnum Mesiæ, in summo errore versentur, atque in maximarum rerum ignoratione. VI.

CAPVT IIII.

De circumstantijs huius Regni.

ETsi non potest dici satis, ac ne cogitari quidem, quantas res complectatur regnum Christi: tamen quia vult Deus incoari huius doctrinæ Elementa, addam paucas admonitiones de circumstantijs regni Christi.

Qualis Rex est Messias?

In Psalmo 45 tribuuntur huic Regi dulcissima Epitheta, quorum consideratio piis mentibus hauddubiè grata est. Primum laudatur forma Mesiæ, & antefertur omnium hominum pulcritudini. Quia reuera nullius hominis sapientia, & virtus par est sapientiæ, & virtuti Christi: Quarum rerum vera est, & summa pulcritudo. Nam in eo fulget agnitio firmissima æterni Patris, & ardet in eo summus amor æterni Pa-

Speciosus forma præ filijs hominum.) De Alexandro olim iactatum est vulgò: In regno Alexandri nihil esse pulcrius ipso rege Alexandro: Sed multò veriùs de Christo dici potest: In regno Christi nihil est pulcrius ipso rege Christo.

Hæc est illa pulcritudo, de

tris, & cæteræ pulcerrimæ virtutes.

qua Esaias cap. 53. inquit: In ore eius non est inuentus dolus, nec peccatum fecit, id est, est ἀναμάρτητος, sine peccato: Est enim conceptus efficacia Spiritus sancti, & natus ex virgine, vixit sine vlla labe aut macula peccati. Etsi autem multæ sunt, & maximæ virtutes in Christo, tamen ipse duas præcipuè celebrat: Matth. 11. inquiens: Discite à me, quia sum mitis, & humilis corde, id est, Ego excello duabus virtutibus omnium maximè, quarum vna est Mansuetudo, & patientia opposita cupiditati vindictæ. Altera humilitas seu modestia, qua me abijcio, non modò infra Deum, sed etiam infra omnes angelos & homines. Sic enim de se inquit Psalm. 22. Ego sum vermis, & non homo.

Quare de Messia cogitantes, de vera pulcritudine, id est, de sapientia in eo lucente, & de omnibus virtutibus cogitemus.

Deinde laudatur eloquentia huius regis: Diffusa est gratia in labiis tuis. Non enim mente tantùm valet, sed iuncta est facundis gratia dictis.

Homer. in Odyss. Mente vales: iuncta est facundis gratia dictis.

Quæ est igitur mellea eloquentia Christi? Neminem ego tam dissoluto animo esse arbitror, quin hæc cùm audiat: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: Item: Sic Deus dilexit mundum, &c. fateatur ea melle, & fauo mellis dulciora esse. Nulla enim mater blandioribus verbis vnicam, & carissimam filiolam ad se vocare potest, quàm Christus peccatores ad se inuitat.

Etsi autem magna ornamenta sunt, sapientia, virtus, eloquentia, tamen hæc sine potentia & neruis rerum gerendarum non multùm valent. Sæpè enim è medio pellitur sapientia, vi geritur res: Spernitur Orator bonus, horridus miles amatur. Non doctis dictis certatur, sed maledictis, vt Ennij versibus vtar. Itaque Psalmus non modò ea, quæ dixi, Christo tribuit, sed etiam potentia diuina hunc regem armat: Benedixit te Deus in æternum. Disertè vocat Messiam benedictum regem,

Psalm. 118. Benedictus, qui venit in nomine Domini.

Deo placentem, & potentia diuina instructum, vt possit delere peccatum & mortem, & reddere iustitiam, & vitam æternam credentibus.

Hæc omnia complectitur apppellatio benedictionis.

Et quoniam fœlicitas plurimùm valet ad res præclarè gerendas, adiungit Psalmus superioribus ornamentis fœlicitatem: In decore tuo inquit, prospera-re, id est, omnia huic regi cedent, omnia prona erunt, nihil ille suscipiet, quod non maxim celeritate & admirabili fœlicitate ad exitum perducturus sit. Est enim Schiloh, id est, fœlix & fortunatus, & Porez, vt eum Micheas cap. 2. appellat. Nam Diaboli regnũ ita perrũpit, vt aggeribus ruptis, cùm spumeus amnis Exijt, oppositasque euicit gurgite moles: Fertur in arua furens cumulo, camposque per omnes, Cum stabulis armenta trahit.

Sigismundus Imperator fuit princeps sapiens, & virtute præstans, & eloquens, & potens, sed fuit infœlix, ideo nihil magni gessit aduersus Turcas.

Alexander domuit 12. annis totum Orientem, omnia ei procumbunt ad pedes: Es gehet jm Thor vnd Thür auff/ wo er hin kompt.

Hactenus armatum regem, & gerentem maxima bella Psalmus descripsit. Nunc pingit imaginem togati gubernatoris. Est enim Christus non modò bellator fortis, sed etiam bonus gubernator. Cùm igitur summa virtus sit in domestica gubernatione iustitia, affirmat Sceptrum Christi rectum esse: nec intelligatur iustitia Christi in eam sententiam, quasi tantùm in ipso Christo sit, sed de communicanda alijs, sicut promissio inquit: In semine tuo benedicentur omnes gentes, quasi dicatur: Omnes alii homines sunt maledicti, id est, rei coram Deo, & oppressi peccato & morte. At hic noster rex benedictus est, non solùm, quia Deo placet, & ornatus est diuina sapientia, iustitia, & vita, sed ideò etiam, quia delet peccatum & mortem, & restituit suo populo iustitiam & vitam.

Hom. ἀμφότερον βασιλεύς τ᾽ ἀγαθὸς, κρατερός τ᾽ αἰχμητής.

Est autem cognata virtus iustitiæ Nemesis seu Zelus, id est, iusta indignatio aduersus scelera.

Hac Nemesi ardere omnes bonos principes & gubernatores oportet. Quare & hanc in Messia prædicat. Dilexisti iustitiam, & odisti impietatem. Sic Psalmo 69. dicitur: Zelus domus tuę comedit me, id est, adduco vitam in discrimen ad liberandam Ecclesiam, quam diligo, & ad depellendas contumelias, quibus Deus afficitur, quæ mihi ingentem dolorem afferunt, & iram accendunt aduersus blasphemiam.

Lucilius: Virtus est dare, quod reipsa debetur honori. Hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum.

Psal. 5. Non Deus volens iniquitatem tu es.

Zelus est affectus mixtus, constans partim amore, partim ira, & indignatione. Tu si verè amas coniugem tuam, simul irasceris omnibus, qui malis artibus conantur eam abs te abalienare, vt Samson. Mixta est insania luctu. Virg.

Postremò rex noster vnctus est, id est, ordinatus ab æterno Patre ad hoc regnum, & donatus Spiritu sancto, ad perficiendam hanc mirandam liberationem Ecclesiæ, colligendæ ex toto genere humano, & donandæ iustitia, & vita æterna.

Explodamus igitur somnia de regno politico Messię, & res æternas cogitemus. Noster Messias regnū æternū constituit, abolito peccato, deleta morte, & restituta æterna iustitia & vita. Hæc bona ab eo petamus, & expectemus.

Circumstantiæ, inquit Hilarius, illuminant omnia dicta. Diximus igitur qualis rex sit Dominus noster Iesus Christus. Nunc considerandum est, qualem habeat populum, & quid agat, non solùm rex, sed etiam ministri eius & populus subiectus. Et quia rex patitur, & Ecclesia cruci subiecta est, necesse est breuiter indicari causas dissimiles, propter quas rex patitur, & Ecclesia onerata est calamitatibus. Hæc breuissimè tantùm attingemus. Quia in alijs locis copiosiùs declaranda sunt. Non potest autem de regno Christi dici, aut cogitari, nisi particulam aliquam harum maximarum rerum cogitatione & sermone complectamur.

Qualis est populus Messiæ?

Psalmus 110. vno versu Ecclesiæ descriptionem conficit: Populus

pulus tuus spontaneus, in die victoriæ tuę, in ornatu sancto: quasi dicat: Alii reges vi & armis cogunt multitudinem, vt sit in officio: Hic verò rex persuadendo flectet populum suum ad spontaneam obedientiam, quæ lucet in fide, dilectione, & tolerantia calamitatum. Vocat enim ornatum sanctum, vestitum Pontificium, per quem intelligit dona Spiritus sancti, & virtutes Deo placentes, veram inuocationem, propagationem veræ doctrinæ, & reliquam incoatam obedientiam.

Cogitate ipsi, quàm dulcis sit hic versiculus Psalmi. Sæpè auditis ex 1. lib. politicorum Aristotelis, duplicem esse gubernationem: alteram δεσποτικὴν, alteram πολιτικὴν: Estq́ perspicuum discrimen vtriusque gubernationis. Nam Dominus cogit seruum minis, & vi adhibita, vt faciat officium. Sed politici gubernatores, Themistocles, Scipio, & similes regunt ciues persuadendo, hoc est, ostensione alicuius boni. Themistocles non habet imperium in ciues Atticos, quale habet Dominus in seruum propriè dictum, sed monstratis bonis & commodis, flectit eos in hanc, vel in illam sententiam. Huius gubernationis duplicis imago proposita est in natura hominis. Voluntas regit Locomotiuam, & externa membra δεσποτικῶς, sed aliter regit voluntas cor & affectus, scilicet πολιτικῶς. Considerata autem hac distinctione, faciliùs intelligitur hic versus Psalmi, qui vocat populum Christi spontaneum. Ergo gubernatio Christi non erit δεσποτική, Tyrannica, sed politica & ciuilis, hoc est: Tu persuadendo, & suaui sermone conciliabis studia & voluntates subditorum, & ita eos gubernabis, vt sua sponte, sine simulatione, veráque cordis reuerentia, & subiectione præstent omnia officia, quæ tibi placent. In ornatu sancto.) Metaphora est à splendido & sumtuoso vestitu Pontificio sumta.

Quid agit Rex in suo regno?

Rex noster resuscitatus ex morte, non sedet otiosus ad dextram Dei, sed est efficax, mittit, & gubernat Euangelii ministros, dat Spiritum sanctum audientibus & amplectentibus

Papistæ putant, eum sedere in cœlis, ludentem cum angelis: Ideo constituunt ipsi vicarium, Papam.

Euangelium, intercedit pro nobis, & dat remiſsionem peccatorum, exaudit nos inuocantes, defendit & ſeruat Eccleſiam ſuam, depellit Diabolos, & eorum organa, Tyrannos, fanaticos Spiritus, & alios impios. Denique reſuſcitat mortuos, & dat vitam æternam ijs, in quibus fide in hac vita incoata eſt iuſtitia, & coniicit in æternas pœnas omnes, qui perſeuerant in contemtu Dei.

Hæc admiranda opera omnia ſunt effectus regni Chriſti, & ſæpè in concionibus Prophetarum & Apoſtolorum deſcribuntur, vt Epheſ. 1. Ipſum dedit caput ſuper omnia Eccleſiæ, quæ eſt corpus eius, ac plenitudo, id eſt, Integrum corpus Chriſti, omnia in omnibus perficientis. Apertè affirmat Chriſtum non otioſum eſſe, ſed efficacem in membris Eccleſiæ, & cap. 4. Sedet ad dexteram Patris, dans dona hominibus. Sed quia teſtimonia huius aſſeuerationis omnibus nota ſunt, mihi ad commemorandum non ſunt neceſſaria.

Quæ ſunt officia Miniſtrorum, & populi in hoc Regno?

In Pompa triumphali Chriſti, ingredientis Hieroſolymam, dulciſsimæ imagines ſunt, pingentes officia docentium & auditorum. Apoſtoli & alij Miniſtri Euangelij, ad Chriſtum adducunt aſinam & pullam, id eſt, populum Legis & gentes, & imponūt Chriſtum, non ſeſe, id eſt, volunt Chriſtum regnare, non quærunt ſibi imperia & potentiam, nec fingunt nouam doctrinam, ſed Chriſti doctrinam fideliter proponunt. Populus verò triplex officium præſtat: Canunt laudes venienti Meſsiæ, Geſtant frondes oleæ, & palmarum, & ſubſternunt veſtes. Hæc officia ſemper & debet præſtare, & vtcunque præſtat Eccleſia. Cantus ſignificat doctrinam Euangelii, inuocationem, confeſsionem, & gratiarum actionem.

πέμπω deduco, mitto: χρὴ ξεῖνον παρέοντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν. Inde πομπὴ, ein Geleite/ comitatus.

Deinde Rami oleæ & palmarum ſigna ſunt confeſsionis.

Olim

Olim petentes à duce aliquo pacem, ad eum accedebant, gestantes oleæ ramum. Significant igitur rami oleæ, hunc Meſsiam eſſe authorem veræ pacis cum Deo, per eum, & propter eum dari nobis pacem, à Deo remitti nobis peccata, & nos recipi à Deo, & tolli iram, & mortem æternam. Frondes verò palmarum ſignificant victorias, & in triumphis geſtabantur. Ita hic tribuitur Chriſto laus, quòd ſit victor. Mordet calcaneum Chriſti & Eccleſiæ Diabolus, & exercentur varijs ærumnis, ſed vincit Chriſtus, & reprimit Diabolum, & conculcat eum ſub pedibus noſtris, & tandem ei prorſus adimet poteſtatem graſſandi, & excruciabit eum æternis pœnis. Tertium officium eſt ſubſternere veſtes, id eſt, corpus & facultates conferre ad miniſterij conſtitutionem & defenſionem: Item, ſi ſit opus, potiùs amittere vitam & opes, quàm abiicere Euangelium in confeſsione, ſicut ſcriptum eſt Matth. 16. Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.

Exemplum recitatur apud Liuium lib. 10. dec. 3.

Epheſ. 2. Ipſe eſt pax noſtra.

In vita Theſei, apud Plutarchum, narratur exemplum huius ſignificationis, quòd palma habita fuerit Symbolum victoriæ.

Quare Chriſtum oportuit pati?

Cùm nollet Deus totum genus humanum perire, & tamen iuſtitia Dei compenſationem, & pœnam pro peccatis noſtris poſtularet, Filius factus eſt deprecator, & pœnam ac horrendam iram Dei in ſeſe deriuauit, vt nobis Pater placaretur. Paſſus eſt igitur, non propter ſeſe, ſed propter nos, vt Iohannes inquit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et Eſaiæ cap. 53. prolixè eadem ſententia tradita eſt.

Deus non tantùm eſt miſericors, ſed etiam iuſtus. Exercet igitur erga nos vtramque virtutem mirabili temperamento.

Quia enim miſericors eſt, non vult perire totum genus humanum, non vult abijcere nos in æternam damnationem, ſicut iuſto iudicio ſuo abiecit Diabolos, Sed quia ſimul eſt iuſtus iuxta ſuam legẽ,

quæ est æterna & immota, & postulat vel obedientiam integram, vel satisfactionem & pœnam , ideò necesse fuit iram Dei placari persoluto precio, quod satisfaceret iustitiæ & Legi Dei : sed talem ompensationem & λύτρον cùm nec angeli, nec homines possent præstare, ideò Filius Dei inenarrabili reuerentia æterni Patris, & ardentissima dilectione erga nos, factus est deprecator, & intercessor, & deriuauit in sese iram & pœnam, quam debebamus nos præstare. Tollitur autem omnis obligatio solutione eius, quod debetur, nec interest, vtrum is soluat, qui debet, an alius pro eo. Igitur sanati sumus nos eius liuore, vt Esaias inquit.

Cur Ecclesia patitur?

Non vt propriis afflictionibus mereatur reconciliationem, sed aliæ multæ sunt caussæ: verùm præcipua est; Cùm peccatum hæreat in nobis, vult Deus hanc massam peccati destrui, vt noua natura vestiamur. Ideò manet mors: Et vt agnoscamus iram Dei aduersus peccatum, & repressis prauis inclinationibus accendatur in nobis noua lux, & crescat, duriùs exercetur Ecclesia, quàm cæteri homines, & concurrunt aliæ causæ, quæ sunt recitatæ aliis locis.

Causæ calamitatum Ecclesiæ aut sunt impulsiuæ, aut finales. Impulsiua communis, seu vniuersalis, est peccatum, quod omnes circumferimus. Est enim vetus illud fermentum, quod in hac vita non potest omnino extirpari. De hac causa Paulus inquit Roman. 8. Corpus mortificatur propter peccatum. Causæ finales multæ sunt, sed præcipua hæc est, vt crescat in nobis pœnitentia, timor Dei, fides, vera obedientia, humilitas, & reliquæ virtutes incoatæ. De hac causa inquit Paulus 2. Cor. 4. Exterior noster homo corrumpitur ac destruitur: vt interior subinde magis ac magis renouetur, hoc est: Quantò magis premitur caro nostra, seu vetus natura cruce & calamitatibus, tantò magis crescit interior lux de Deo, interior consolatio, interior obedientia, &c.

Deponamus igitur illas suaues imaginationes, magis placidam & tranquillam vitam nostram fore, quia sumus membra Ecclesiæ Dei: imò sciamus nos circumferre peccatum, & propterea mergi in ingentes ærumnas, vt discamus agnoscere iram

Dei

Dei aduersus peccatum, nec crescere lucem Spiritus sancti in nobis sine cruce.

Iudicium à domo Domini incipit.

Hæc de causis, cur subiecta sit Ecclesia cruci, breuiter recensui, quia alibi prolixiùs totus hic locus tractari solet.

De circumstantijs vbi, & quando, & de Præsidijs huius Regni.

Suprà aliquid dixi: Non enim alligatum est certo loco, vt imperia mundi, sed vbicunq; est cœtus, reuera fundamētum retinens, id est, articulos fidei omnes, & non defendens pertinaciter idola, ibi verè est hæreditas Christi, & aliqua membra electa sunt ad æternam gloriam, etiamsi sunt dissimilia, alia imbecilliora alijs.

Regnum Gallicum nusquam est, nisi in Gallia. Sed Christi regnum non venit cum obseruatione, Lucæ 17.

Christus venustè inquit cap. 24. Matth. Vbi cadauer, ibi congregantur aquilæ. Est figura prouerbialis. Non vult nos disputare de loco certo, & sede Ecclesiæ: Quia Ecclesia exulat in mundo, vagatur, sicut populus Israel vagatus est in deserto annos 40. Ibi autem erit Ecclesia, vbi ad cadauera congregabuntur aquilæ, hoc est, vbi sonabit prædicatio Euangelij pura & incorrupta, de morte, passione & resurrectione Messiæ, & vbi erit aliquis cœtus, discens & amplectens hanc doctrinam, & fide hunc mediatorem apprehendens. Christus seipsum vocat cadauer, sicut in Psalmo se confert vermiculo. Nos vocat aquilas, quæ sustentantur ab hoc nobili cadauere.

De modo, quo applicantur huius Regis beneficia.

Psalmus 2. disertè inquit: Beati omnes, qui confidunt in eo. Affirmat beatos fore homines, id est, liberos à peccato, morte, Tyrannide Diaboli, si confidāt propter Filium se à Deo recipi, & per Filium defendi & seruari. Ac prorsus idem dicit Psalmus,

quod Baptista inquit Iohan. 3. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: Qui non credit in Filium, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

CAPVT V.

De discrimine Regni Christi, & Regni Dei.

PAulus Ephes. 5. inquit: Nullus fornicator, &c. habebit partem in regno Christi, neque in regno Dei, id est, Adulter perseuerans in peccato, primùm non est particeps regni Christi: Quia veræ Ecclesiæ iudicio & sententia excommunicatus est, non habetur in numero Christianorum, &c. Deinde non erit hæres vitæ æternæ, sed erit igni destinatus tanquam palea.

Præclarè D. Lutherus dixit: Regnum Dei, & Regnum Christi differre non re, sed modo rei. Nam in Christi regno florent & dominantur verbum, Fides, & Spes. In regno Dei ministerium docendi, mandatum hominibus, cessabit, nec opus erit fide aut spe. Quia coram fruemur æterno conspectu Dei. De hac dissimilitudine regni Filij, & regni Patris, Paulus loquitur 1. Corinth. 15. Tunc tradet Filius regnum Patri, id est, adducet ad æternum Patrem omnes conuersos, ostendet eis æternum Patrem. Quia collectio Ecclesiæ in hac vita fit per Filium mediatorem, qui conseruat ministerium Euangelij, & cum voce Euangelij effundit in corda credentium Spiritum sanctum, & simul interea est sacerdos, & deprecator assiduus pro Ecclesia. Postea verò post resurrectionem, non tantùm per vocem Euangelij agnoscemus Deum, sed coràm intuebimur eum, cum erit omnia in omnibus. Et 1. Cor. 13. Nunc in ænigmate per speculum cernimus, id est, Nunc per

Roman. 8. Quod quis videt, non sperat. August. Tantum lætabimur, quantũ diligemus, & tantum diligemus, quantum agnoscemus.

Quare vocat verbum Dei ænigma? An adeò est obscurum, verbum

verbum cernimus Patrem: postea diuinitas coràm conspicietur, & regnabit non ministerio Euangelii, sed immediatè. Idem docent & hæ sententiæ. Rom. 8. Spe salui facti sumus. 1. Ioh. 3. Nunc filii Dei sumus, sed nondum manifestum est, quales erimus. Scimus autem cùm manifestabitur, similes nos ei futuros esse: Quia videbimus eum quemadmodum est.

Coloss. 3. Vita vestra abscondita est cum Christo in Deum. Quando autem Christus manifestabitur, qui est vita vestra, tunc & vos cum eo manifestabimini in gloria.

vt non possit intelligi? Respondeo: Sic vocat, Quia est mysterium, & arcana sapientia, longè posita extra conspectum omnium creaturarum, & est talis, quam nemo approbat sine luce Spiritus sancti.

Id est, Regnum Christi est incoatio: Regnum Dei est consummatio bonorum, quæ Euangelium promittit. Hæc summa est totius huius capitis doctrinæ.

Sed huius Ecclesiæ cœlestis nemo ciuis erit, nisi prius in hac mortali vita ciuis fuerit Ecclesiæ, in qua sonat vox Euangelii, & conuersus fuerit ad Deum, antequam ex hac vita discedat. Qui igitur habet hanc spem, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.

Confirmatio huius sententię extat 2. Corinth. 5. Superinduemur, si tamen non nudi reperiemur, id est, oportet nos adferre ad illam Academiam æternam quædam initia. Item: Psal. 48. Expectabimus misericordiam tuam in medio templi tui, id est, Extra Ecclesiam non est salus.

CAPVT VI.

Imagines Regni Christi.

ON probo Origenicam consuetudinem, transformandi omnia scripturæ dicta in Allegorias, partim intempestiuas, partim absurdas & impias. Sed tamen aliqua sunt exempla, & aliquæ res gestæ, quæ ab ipso Christo & Apostolis dextrè enarrantur, & accommodantur ad regem Christum & Ecclesiam. Tales

allegorias, quæ habent fundamentum in scriptura, valde probo, & illis mirificè delector. Quia talis est omnium natura, vt ament picturas & imagines. Elegi autem ex magno numero talium imaginum paucas, & eas quidem, quæ videntur maximè inseruire, & illustrare institutum nostrum. Vos in lectione scriptorum Propheticorum & Apostolicorum obseruabitis plures, & diligenter annotabitis.

Plurimæ sunt imagines regni Christi in concionibus Propheticis & Apostolicis, sed nos ex tanto numero maximè insignes & illustres eligemus. Adam, inquit Paulus Roman. 5. est typus futuri (id est, Christi.) Sicut enim propter alienum lapsum natura humana oppressa est peccato & morte: Ita alieno merito, scilicet Christi, reconciliamur Deo: sed mox ipse Paulus addit correctionem, quæ monet multa dissimilia esse, cùm ait: Non sicut delictum, sic & donum.

Simile non est idem: Et nullum simile currit quatuor pedibus. Nemo igitur insulsè & absurdè vrgeat omnes partes similitudinum. Sed videat, ad quam partem congruat.

Primùm enim res ipsæ sunt dissimilimæ, scilicet peccatum propagatum ab Adam & mors, Et econtra iustitia donata à Christo, & vita æterna.

Iohan. 3. Quod ex carne natum est, caro est. Primi parentes tales ex se genuerunt, quales ipsi erãt post lapsum. Sicut leprosus gignit leprosum. Eph. 2. Nos eramus filij iræ natura, id est, naturali propagatione, non tantùm imitatione, sicut Pelagius finxit, qui prorsus sustulit doctrinam de peccato originis.

Secundò. Modus propagationis est dissimilis. Peccatum propagatione carnali transmittitur in omnes posteros, qui naturali modo nascuntur. Gratia verò, seu iustitia non transmittitur propagatione carnali, sed singuli eam in regeneratione accipiunt, vt Ioh. 1. & 3. dicitur.

Anabaptistæ dicunt, ex sanctis parentibus nasci sanctos liberos, & ideò fingũt nihil opus esse Baptismo: sed has Diabolicas imaginationes refutant perspicuè conciones Christi, Iohan. 3. & 1.

Tertium

Tertium discrimen continet salutarem consolationem, Quòd videlicet gratia potentior sit peccato, & exuberet supra peccatum: Hæc suo loco copiosiùs declarantur. Genes. 28. dulcis descriptio Messiæ, & Ecclesiæ proponitur in scala, quam vidit Iacob.

Qualis est similitudo Anemonis & rosæ, talis est inter Adam & Christum similitudo, quæ cōsistit in alieno merito. Res verò ipsæ tàm sunt diuersæ, quàm cœlum & terra, sicut & modus propagationis, Item: gradus peccati & gratiæ.

Iacob, postquam eripuisset fratri Esau ius primogenituræ, & illū arte quadam circumuenisset, coactus est metu fratris fugere ad Laban. Sed dum iter facit noctu, commoratur in aperto campo, ibi fatigatus ex itinere, decumbit humi, substernens capiti saxum. Vt autem solent suauiter dormire defatigati labore: Ita ipse quoque multò suauiùs dormiebat decumbens in saxo, quàm aliquis delicatus in plumis & serico villoso. Ibi dormienti offertur visio non physica, aut Diabolica, sed diuina. Videt enim Iacob scalam, quæ à terra vsque ad cœlum pertingebat, & Dominus ipse innititur scalæ, & angeli descendunt & ascendunt.

Hanc scalam Christus Iohan. 1. interpretatur: Scala est ipse Christus cacumine cœlum tangens, vt in Genesi dicitur: Quia est in eo natura diuina. Ideo in Genesi clarè additur, Deum innixum fuisse scalæ. Consistit autem in terra: Quia Λόγος assumsit humanam naturam, obnoxiam doloribus & morti, sed hæc scala coniungit cœlum & terram, id est, Deum & Ecclesiam. Quodque cœlum dicitur esse apertum, significat iam Deum propitium esse, & respicere inuocantes ipsum, & saluare. Quia verò in hac scala ascendunt & descendunt angeli, significatur Christum ipsum gestare Ecclesiam, & perducere ad æternum Patrem. Primùm ipse gestat pœnas peccatorum, & placat Patrem. Deinde placata ira Patris, etiam nos adducit ad Patrem, vt Roman. 5. scribitur,

Ebr. 4. Habemus Pontificem tentatum omnibus modis, quibus nos tentamur, sed sine peccato.

Iohan. 3. Nemo potest ascendere in cœlum, nisi Filius, qui descendit, qui est in cœlo, id est: propria virtute nemo ascendit in cœlum, nisi is, qui descendit,

Per hunc habemus accessum. sic & ipse inquit Iohan.14. Ego sum via, veritas, & vita. Quòd verò nominat angelos, significat totam Ecclesiam, & præcipuè Doctores. Hi primùm ascendunt, quia singuli priùs quærere debemus reconciliationem cum Deo, & accipere ab eo dona, propter Filium.

Quomodo ergo ascendimus? per scalam, quam vidit Iacob, hoc est, fiducia mediatoris.

Psalm. 50. Impio autem dixit Deus: Quare habes in ore tuo verba mea? hoc est: Quare tu doces verbum Dei, cùm ipse non timeas Deum, nondum sis ei reconciliatus? Sed hoc tamen non sic accipiendum est, quasi ministerium non sit efficax, nisi ex dignitate ministri.

Postea verò descendunt, & impertiunt hæc dona aliis, doctrinam, gubernationem, & ministeria, iuxta vocationem.

Estque hæc dulcissima imago regni Christi, quam Deus proposuit ostensa scala Iacob, & quam Christus interpretatur, semper in conspectu habenda. Nam de multis magnis rebus pios admonet, videlicet, quòd per solum hunc Messiam sit aditus ad æternum Patrem, non per opiniones humanas, non per merita nostra: Item, quòd hæc persona sit Deus & homo: Item, quòd ascendere nos primùm, & à Deo reconciliationem ac dona accipere oporteat, & deinde ea proferre ac exercere, vt Deus celebretur, & beneficia Filii Dei innotescant, sicut Petrus inquit: Nos vocatos esse, vt enarremus virtutes eius, qui nos in admirandam lucem vocauit.

Nec verò dubium est, res gestas heroici ducis Iosue esse imagines victoriæ & triumphi Filii Dei, Domini nostri Iesu Christi, resuscitati ex morte, & ascendentis in cœlum, & paulò post ad nos redituri, vt conterat Sathanam sub pedibus nostris. Quemadmodum enim Iosua populum, de manu Moysi in suam manũ pręstantem victoria traditum, per Iordanem traduxit in terram promissam, & singulis familiis ἐπιϐάλλον μέρος assignauit: Ita verus Iosua Dominus noster Iesus Christus traducit nos per miserias huius vitæ in domũ Patris sui, & in tabernacula nõ manu facta & fragilia, sed permanentia & æterna.

Ioh. 14. In domo Patris mei mansuri estis.

In histo-

In historia Samsonis duæ sunt pulcerrimæ picturæ regni Christi: vna de mellificio in ore leonis: Altera de maxilla asini, qua Samson mille Palæstinos interfecit.

Samson ardebat amore cuiusdam puellæ natæ in familia Palęstinorum, sicut nunc in Saxonia sunt potentissimæ vrbes ad mare Balticum, Lubeca, & aliæ: Ita tùm florente politia Iudaica, magna fuit potentia maritimarum vrbium, quæ fuerunt in Palęstina. Hi Palęstini incolæ maritimarum vrbium gesserunt continua bella cum vicinis Iudæis, quorum potentiā nolebant crescere. Vt autem Samson haberet occasionem irritandi, & prouocandi hostes, duxit in matrimonium filiam Palęstini cuiusdam. Dum autem est in itinere, incidit in leonem famelicum, quem impetu Spiritus sancti in frusta concerpit, & ex interuallo reuersus in eum locum, reperit in faucibus leonis examen apum, exercentium suum mellificium. Itaq; cùm esuriret, fauum mellis exemit, & postea in conuiuio nuptiali tale ænigma proponit, sicut mos olim fuit in solennibus conuiuijs non certare poculis, vt nunc fit, sed eruditis colloquijs, de natura rerum, de veterum historijs: De conficiente exijt cibus, & de forti dulcedo. Hoc ænigma nemo potuit soluere intra aliquot dies. Tandem persuasa est sponsa à Palęstinis, vt peteret solutionem à suo sponso. Postea simulârunt se reperisse ænigmatis solutionem nullo monitore, sed hanc simulationem venustissimè reprehendit Samson, inquiens: Nisi vitula mea arassetis, &c. Hoc accommodauit ad sponsam suam, sed nos idem dictum rectè referre possumus ad Ecclesiam, quæ nisi audiatur, nunquam perueniemus ad agnitionem Christi. Quod ad alteram allegoriam attinet, Samson non vsus est armis, quibus nos vtimur, machinis æneis, sed mandibulam asini arripuit, & hac armatus, mille Palęstinos trucidauit. Fatigatus autem labore militiæ, expetiuit potum & rigationem. Quia labor exiccat & consumit, quidquid est succi in orificio ventriculi. Ibi igitur inuocans Deum, petit ab eo potum. Deus ex illa mandibula mortui asini effundit fontem, seu venam viui laticis. Hoc viuo latice suauissimè recreatur defatigatus Samson, & Deo gratias agit.

Quemadmodum enim ex leone mortuo nascuntur apes & mella: Ita ex Christo mortuo, qui factus est victima pro nobis, nata sunt Euangelium & Ecclesia. Nam Christus mortuus &

resuscitatus sparsit mel, id est, vocem Euangelii per Apostolos in totum orbem terrarum, & hac prædicatione collegit sibi examen apum, id est Ecclesiam, à qua agnoscatur & celebretur. Et vt apes aluntur melle, ac circa mellificium potissimùm occupatæ sunt: Ita pij sese consolantur & sustentant in magnis curis, & laboribus sola voce Euangelii, quæ, vt Psalmus ait, melle & fauo mellis dulcior est, ad eamque illustrandam & propagandam, omnem curam, studium, laborem conferunt.

Christus in Apocalypsi comparatur leoni.

Deinde Samson est imago fortissimi ducis Filij Dei, belligerantis cum toto regno Diaboli. Pugnat autem mandibula, id est, ministerio vocis sonantis Euangeliũ. Nam ex ore infantium & lactentium perficit robur, & destruit inimicum & vltorem,
Psalm. 8. [*vindictæ cupidum.*] Etsi autem maxilla asini squalida est, tamen fundit aquas, quibus se fatigatus dux, & iam siti periturus, suauiter recreat & reficit. Ita Euangelium spretũ ab Epicureis, monstrat veram & firmam consolationem laborantibus & oneratis, vt dicitur: venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.

Matth. 2. Accommodatur ad Christum: vocabitur Nazaręus. Significat autem Nazaræus peculiariter consecratum & dedicatum Deo. Talis fuit Samson typus Christi.

Quid dicam de admirabili, & penè incredibili victoria Gedeonis, cui Esaias cap. 9. triumphum Christi comparat? Vt enim Gedeon imbellem exercitum ducit contra immensam hostium multitudinem & diuina victoria ornatur:

Madianitæ, & Arabes, & multi Orientales populi magno agmine fecerunt irruptionem in terram Canaan, quam incolebat populus Iudaicus. Ac textus dicit tantam fuisse multitudinem illorum, vt more locustarum totam terram non modò texerint, sed etiam absumserint. Cùm hac ingenti multitudine, congressurus fortissimus dux Gedeon, non habet in manu arma idonea ad tantam rem gerendam, nec instructus est multitudine, quæ posset par esse tanto exercitui, & copijs: sed tantùm trecentos viros habet in comitatu, qui dextra manu tenebant tubam, sinistra vas testaceum, cui

ceum, cui erat inclusus ignis. Cùm autem ventum esset ad castra hostium, & iam manus conserenda: trecenti illi simul edunt tubæ sonitum, canunt clasßicum, & testulas, quas sinistra gerebant, effringunt media nocte, ita vt ignis subitò emicaret & effunderetur. Hoc subito sonitu & inexpectato, atque nouo fulgore hostes territi, vertuntur in fugam, & vt solet fieri in fuga, quæ diuino terrore excitata est, ruunt in mutua viscera. Ac tanta strages editur, quanta antea nunquam. Gedeon persequitur fugientes, & interficit innumeras copias.

Ita nos miseri & imbecilles, sequentes ductum & auspicia Filii Dei, sola voce Euangelij, quam profitemur, & scintilla fidei lucente in ærumnis, vincimus hostes potentisßimos, Peccatum, Mortem & Diabolum. Sed hanc imaginem optimè & pulcerrimè illustrat D. Lutherus in enarratione 9. cap. Esaiæ. Qui igitur volet, inde eam assumat.

FINIS LOCI DE REGNO CHRISTI.

LOCVS DE RESVRRECTIONE MORTVORVM.

STVDIOSIS IN ACADEMIA IHENENSI, S. D.



N omnium articulorum explicatione prodest conferre Philosophiam, & doctrinam Ecclesiæ propriam. Quia collatio ostendit Ecclesiæ doctrinam perfectiorem esse. Etsi enim Philosophi saniores eruditè disputant, animas hominum post mortem superstites esse: tamen de resurrectione mortuorum nihil docent, quam vox diuina planissimè patefecit. Hanc igitur de re tanta concionantem audiamus, & assensionem in mentibus nostris diuinitus confirmari petamus. Præcipua autem confirmatio Articuli de Resurrectione mortuorum, seu restitutione nostrorum corporum, est 15. caput prioris Epistolæ Pauli ad Corinthios. Primùm enim Paulus hanc sententiam confirmat, quòd mortui resurrecturi sint, sumto argumento ab ordine causarum & effectuum. Posita causa in actu sufficiente, necesse est sequi effectum. Christus, qui mortuus resurrexit, est causa sufficiens nostræ resurrectionis, non solùm merito, sed etiam efficacia. Non igitur dubium est, quin futura sit mortuorum resurrectio. Quòd autem Christus post mortem reuixerit, id perspicuè confirmat Paulus, partim dictis scripturæ Propheticæ, partim asseuerationibus hominum dignorum fide, qui Christum resuscitatum totos 40. dies viderunt.

Deinde

Deinde docet, qualis sit futura resurrectio mortuorum. Postremò attexit splendidam concionem, de causa mortis, & de victoria aduersus peccatum, & mortem, donata per mediatorem, & propter eum. Sed quoniam ante annos quatuor totum caput mediocriter enarraui, nunc breuior ero, ac tantùm methodicam repetitionem huius articuli proponam. Quam spero studiosis aliquid lucis ad lectionem Pauli allaturam esse. Bene valete, 13. Maii. Anno Christi 1566.

Victorinus.

Præfatio obiter excepta.

IC Articulus est finis nostræ fidei. Ideo enim amplectimur totum Symbolum, de tribus personis diuinitatis, & de beneficijs Christi mediatoris, vt in hac vita habeamus remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, & post mortem fruamur resuscitati æterna vita, & consuetudine Dei, & omnium electorum. Quare cum recitatis Symbolum Apostolicum, vel Nicenum, inprimis expendite tres articulos, qui his verbis exponuntur: Credo remissionem peccatorum: Deinde credo carnis resurrectionem, credo vitam æternam. Quod perinde est, ac si diceres: Ego credo, vnum esse Deum, & tres personas diuinitatis, æternum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: Credo item Iesum Christum factum esse victimam pro nobis, passum & resuscitatum esse, vt propter hunc Dominum, & per eum, non solùm habeamus in hac vita remissionem peccatorum, sed etiam post mortem anima rursus innexa corpori, & copulata viuat vitam beatam, & ad omnẽ æternitatem. Ac profectò frustra assentitur cæteris articulis, qui in Symbolo comprehensi sunt, si quis aut dubitat, aut Epicureo more ridet postremos articulos, de remissione peccatorum, resurrectione, & vita æterna. Hanc præcipuam commemorationem hoc tempore non frustra, nec temerè propono. Quia multi non admoniti, vix intelligunt, quis sit finis nostræ fidei & confessionis. Est autem, vt dixi, optimus & prestantissimus, qui est salus animarum nostrarum, imò totius nostræ naturæ restitutio, propositus in postrema parte Symboli. Sitis igitur diligentes in lectione & repetitione earum concionum, quæ confirmãt articulum de resurrectione mortuorum.

Quid est resurrectio mortuorum?

Resurrectio mortuorum vniuersalis, est actio Dei externa, qua Deus* pro sua immensa potentia, & iuxta liberrimum decretum voluntatis suæ, omnium hominum corpora ab hac vicissitudine generationum & corruptionum vindicabit,

*Primus articulus præcidit mnem dubitationem de hoc articulo.

Esai. 46. cap. Consilium meum fiet, & voluntas mea stabit.

cabit, & rursus cum animis copulabit, vt ad omnem æternitatem, aut pœnas scelerum vnà cum Diabolis persoluant, aut communicatione lucis, sapientiæ, iustitiæ, & vitæ diuinæ fruantur.

Quòd sit futura resurrectio, tota scriptura testatur, præsertim in ijs promissionibus, in quibus Deus asseuerat, se resuscitaturum statuto tempore omnes homines. Et eiusdem hypotheseos confirmatio est eruditissima in 1. Corinth. 15. Cùm autem & in locis Theologicis, & in enarratione eius capitis nostra, collecta sint testimonia, & demonstrationes de hac sententia, quòd certo tempore mortui sint redituri in vitam, nolo eandem cantilenam hic repetere, sed vobis sum hortator, vt aliunde illa assumatis.

Quotuplex est Resurrectio?

Iohan. 5. Christus inquit: Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt ad resurrectionem vitæ: Qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.

Prophetæ perinde loquuntur, de futuris, ac si facerent verba de pręsenti, propter summam certitudinem.

Expendite pondera verborum: Venit hora, id est, tempus à Deo statutum, quo omnes homines sine exceptione, pij & impij, qui vixerunt à principio generis humani, vsque ad finem, resurgent. Qui in monumentis sunt.) Dicat aliquis: Non omnes sepeliuntur, sed multi à piscibus, bestijs, &c. lacerantur, & distrahuntur in loca diuersa. Intellige hanc particulam κατὰ συνεκδοχὴν, nominata specie, intellige genus, hoc est, omnes homines quoquo modo resoluti in Elementa, audient vocem Filij Dei, non angeli, non creaturæ. Nam hac voce nullus mortuus potest reuocari in vitam. Non possibile est angelis aut creaturis reddere vitam muscę, nedum homini. Qui bona fecerunt.) id est, qui in hac vita conuersi fuerũt ad Deum vera fide, & postea habuerunt veros fructus pœnitentiæ & fidei. Ad resurrectionem vitæ.) De hac resurrectione inquit Polycarpus in sua precatione, cum iam staret in rogo ardenti, vt scribit Eusebius: Domine Iesu Christe, fac me participem resurrectionis sanctorum tuorum, quasi dicat: scio duplicem fore resurrectio-

nem: Aliam piorum, aliam damnatorum. Peto igitur ardenti voto, & toto pectore, vt fiam socius & comes lætissimæ & beatissimæ resurrectionis iustorum. Qui verò mala.) id est, hostes, contemtores verbi, Hypocritæ, qui nunquam egerunt pœnitentiam, resuscitabuntur in resurrectionem pœnæ & cruciatuum æternorum.

Hæc constans asseueratio Filii Dei discernit resurrectionem piorum, à resurrectione damnatorum. Quanquam enim immortalitas vtrisque communis erit, tamen finis, ad quem vtrique resuscitabuntur, ingens discrimen facit. Nam vita æterna erit portus, in quo boni acquiescent. Supplicium æternum erit stipendium peccati regnantis, quod non tegitur vmbraculo Filii Dei.

Filius Dei vocatur à Prophetis vmbraculum, tegumentum aduersus æstum iræ diuinæ. Homini ambulanti in æstu Solis, nihil est gratius, quàm habere aliquod tegumentum, & velamen aduersus ingentem, & intolerabilem calorem Solis: Ita non possumus versari in conspectu Dei, qui est ignis consumens, sine mediatore, qui est vmbraculum aduersus iram diuinam, absumentem omnes creaturas.

Quæ sunt causæ Resurrectionis?

Efficiens est, Deus æternus Pater Domini nostri Iesu Christi, vnà cum Filio suo coæterno, qui vocatur Λόγος, & imago æterni Patris, & cum Spiritu suo sancto. Quòd enim resuscitatio sit opus commune æterni Patris, Filii, & Spiritus sancti, hoc dictum Iohannis 5. perspicuè testatur: Sicut Pater exsuscitat mortuos, & viuificat, sic & Filius quos vult, viuificat. Et de Spiritu sancto in Symbolo Nicæno dicitur: Credo in Spiritum sanctum Dominum & viuificantem.

Vtiliss. sunt duæ regulæ Augustini de actionibus Dei, quarum aliæ sunt externæ, aliæ internæ. De externis inquit Augustinus: Opera diuinitatis externa sunt communia. Sed hæc regula intelligenda est cum hac restrictione, scilicet seruato ordine, & discrimine personarum. Humana natura, quàm Filius Dei assumsit, pariter est creata à Patre, à Filio, & Spiritu sancto, sed à solo Filio assumta est, non à Patre, non à Spiritu sancto. Sic creatio est commune opus trium personarum, sed scriptura sic loquitur de ordine

dine creationis: omnia sunt condita à Patre per Filium & Spiritum sanctum, Roman. 11. Nam Pater agit à se, Filius per se, vt Augustinus loquitur, Spiritus sanctus agit cum Patre & Filio. Sed hæc arcana mysteria, nolumus in hac vita subtiliùs exquirere, sed vt alia multa, ita etiam hæc discrimina personarum perfectiùs cognoscemus in vita æterna. Crede mihi, sapere est non nimium sapere. Altera regula Augustini est: Opera diuinitatis interna sunt distincta, & incommunicabilia, vt gignere est actio Patris propria: Nasci, procedere, sunt actiones non communes. Solus Pater gignit, solus Filius nascitur, solus Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio. Non possumus hæc intelligere, sed quia proponit nobis Deus hæc, vt aliquo modo agnoscamus, nostrum est ea amplecti, quæ scriptura testatur, & desiderare clariorem conspectum Dei in vita æterna.

Materia in qua seu subiectum Resurrectionis est corpus, vt Epiphanius in refutatione Hieracis inquit: Qua fronte audes negare resurrectionem carnis, cùm ipsa appellatio te in hanc cogitationem ducat, vt statuas nihil resurgere, nisi prius ceciderit, & ante oculos prostratum iaceat?

Hierax philosophicè disputauit, Animam tantùm esse immortalem, corporum verò restitutionem, propter summam absurditatem, simpliciter repudiauit.

Hæc refutatio sumta est partim ex pondere verbi, partim ex loco antecedentium, & consequentium: vt Pax intelligitur respectu belli. Nunc fruimur pace, Ergo antea fuimus in magnis turbis bellorum. Ita nihil potest resurgere, nisi priùs cadat.

Iam quæro ex te, ô Hierax, qui admiratione tuæ sapientiæ fascinatus es, quale est illud, quod cadit, quod sepelitur, quod in Elementa resoluitur? Non certè anima cadit, quæ immortalis est, sed corpus: Quare perspicuum est, solum corpus resuscitari: Animam verò rursus corpori resuscitato innecti. (copulari.)

In mundo semper grassantur hæc duo mala, & sunt præcipuè Ecclesiæ Dei, ἐθελοσοφία & ἐθελοθρησκία.

Scriptura sæpè sic loquitur: Totus homo resurgit, & vera est sententia per communicationem Idiomatum. Sed resuscitatio est Idioma corporis.

Quæ forma erit Reſurrectionis?

1. Corinth. 15. Seminatur, inquit Paulus, corpus mortale, & putrefactioni obnoxium, reſurget autem corpus immortale, donatum vita perpetua, quæ omnis doloris expers ac vacua erit. Seminatur corpus cum ignominia, ac vermibus lacerandum obiicitur: At reſuſcitatum ex morte, ſumma cum admiratione donatæ gloriæ ſpectabitur.

Paulus comparat ſepulturam ſemini, quod ſpargitur in agrũ.

In hoc capite Paulus duo agit. 1. confirmat hanc hypotheſin, Quòd nos ſimus reſurrecturi: Hoc probat Enthymemate: Chriſtus reſurrexit, Ergo & nos. Valet enim conſequentia: Poſita cauſa ſequitur effectus. Eſt enim Chriſtus cauſa ſufficiens reſurrectionis noſtræ, non ſolùm, quia meruit nobis vitam & reſurrectionem, ſed etiam efficacia: Quia eſt rex, ſedens ad dextram Patris, dans dona hominibus, & inter illa dona etiam reſuſcitationem corporis. Secunda pars huius capitis concionatur de forma reſurrectionis, & quatuor inſtituit collationes, quibus confert corpora, quæ nunc circumferimus in hoc triſti exilio mundi, miſera & imbecilla, cum corporibus ornatis noua luce, & gloria poſt reſurrectionem.

Plutarchus in vita Cleomenis ſcribit: Ex aſinis putrefactis naſci crabrones: ex equis ſcarabæos: ex cadaueribus humanis ſerpentes.

Seminatur imbecille corpus, cuius facilior mutatio eſt, quàm muſcæ, quantumuis celeriter volantis, vt Simonides dixit. Sed in reſurrectione armatum erit tanto robore, vt nemo tunc cum eo viribus contendere auſit. Poſtremò ſeminatur corpus animale: Reſurget autem ſpirituale, quod ſine his rebus omnibus, quæ ad victum cultumque pertinent, nouo & admirando modo viuet, atque ardebit motibus ſpiritualibus.

Quòd autem omnes homines perfecti reſurrecturi ſint, & pii ad imaginem Filii Dei proximè acceſſuri ſint, ex his dictis percipi poteſt.

Non cogitemus cæcos, ſurdos, claudos, tales reſurrecturos eſſe.

Ephes. 4. Occurremus omnes viri perfecti, habentes mensuram ætatis Christi.

Et 1. Corinth. 15. Sicut portauimus imaginem terreni hominis (hoc est, Adæ de terra facti) Ita portabimus imaginem cœlestis (id est, Christi.)

Philipp. 3. Qui transfigurabit corpus nostrum humile, vt conforme fiat corpori suo glorioso, secundum efficaciam, qua potest sibi subiicere omnia.

Cæterùm quo ordine omnes homines resurrecturi sint, docet Paulus 1. Thessal. 4. & 1. Corinth. 15. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quòd nos, qui viuimus, & reliqui erimus in aduentum Domini, nequaquam preueniemus eos, qui dormiunt. Quia ipse Dominus in classico sonante voce Archangeli ac tuba Dei, descendet de cœlo, & mortui in Christo resurgent primùm. Deinde nos viuentes, qui reliqui erimus, simul cum illis rapiemur in nubibus in occursum Domini, in aera, & sic semper cum Domino erimus.

Item. Non omnes quidem dormiemus: Omnes tamen immutabimur in puncto temporis, in momento oculi, in extrema tuba. Canet enim, & mortui resurgent incorruptibiles, & nos immutabimur.

De gradibus donorum, quibus resuscitati quodam discrimine ornabuntur, Paulus 1. Corinth. 15. inquit: Sicut Stella differt à Stella, sic erit resurrectio mortuorum. Et Ebræos 11. Alij verò pulsati sunt, nõ accepta redemtione, (id est liberatione in hac vita) vt meliorem sortirentur resurrectionem.

Aliæ stellæ sunt primæ magnitudinis, aliæ secundæ. Deinde differunt splendore, quo aliæ alias superant.

Causa finalis.

Causa finalis creationis, redemtionis, sanctificationis, resuscitationis, vna & eadem est. Ideo enim Deus condidit genus humanum ad imaginem suam, & postea collapsam Ecclesiam

instaurauit misso Filio, & donato Spiritu sancto. Denique ob hanc causam ex morte eam resuscitabit, vt suam sapientiam & bonitatem ei communicet, & ab ea vicissim agnoscatur, & in omni æternitate celebretur. Hanc esse causam diuini consilij non dubium est.

Effectus.

I. Cessatio vicissitudinum, quæ nunc in corporibus cernuntur. Prima Corinthios decimo quinto: Oportet corruptibile induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem.

Vicissitudines) vt Tu aliâs vigilas, aliâs dormis, aliâs sano es corpore, aliâs ægro, aliâs viuis, aliâs moreris, &c.

II. Liberatio creaturarum à seruitute corruptionis. Roman. 8. cap.

III. Abrogatio ministerij Ecclesiastici. Ieremiæ 31. 1. Cor. 13.

IIII. Finis imperiorum & coniugiorum. Daniel. 2. & 7. 1. Corinth. 15. Matth. 22.

V. Consummatio beneficiorum Christi, quæ in hac vita tantùm incoantur.

VI. Compensatio omnium laborum, & ærumnarum, quas sancti hîc propter Deum tolerârunt. Rom. 8. Esaiæ 25. Item Esaiæ 64.

Adiacentia.

Adiacentia resurrectionis sanctorum, sunt omnia dona congruentia ad illam æternitatem, vt verbi causa, Noua Lux, sapientia, iustitia, vita, lætitia inenarrabilis.

Cognata.

Cognata resurrectionis sunt fructus pœnitentiæ, sine quibus non patet aditus ad futuram vitam. 2. Corinth. 5. Superindui desiderantes, si tamen

Nemo erit ciuis æternæ Ecclesiæ, nisi fuerit membrum viuum huius visibilis Ecclesiæ.

non nudi

non nudi reperiemur 1. Iohan. 3. Qui habet hanc spem, sanctificat se, sicut & ille sanctus est. Ebr. 12. Sequimini sanctificationem, sine qua nemo Deum videbit.

Pugnantia.

Repugnant huic articulo omnes falsæ & absurdæ opiniones Epicureorum, Sadducæorum, Hieracis, Origenis, & aliorum, qui aut omnino tollunt resurrectionem carnis, aut ei corruptelas affingunt.

FINIS LOCI DE RESVRRECTIONE MORTVORVM.

LOCVS DE SPIRITV ET LITERA.

STVDIOSIS IN ACADEMIA IHENENSI, S. D.

Tsi tota doctrina de Spiritu sancto, in his feriis Ecclesiæ, cuius nos ciues sumus, proponetur: tamen quia incoaturus sum Titulum de Spiritu & litera, spero me studiosis rem minimè ingratam facturum esse, si particulam eius doctrinæ, quæ nunquam exhauriri potest, hoc loco breuiter repetam. Ac primùm quidem celebranda est immensa & inenarrabilis Dei bonitas, declarata creatione hominis, missione Filii, & donatione Spiritus sancti. Est enim certissimum testimonium φιλανθρωπίας Dei, quòd in nos homines sparsit radios suæ sapientiæ, iustitiæ, & libertatis, quòd in genere humano, tanquam in templo, habitare voluit. Sed illustrius testimonium bonitatis & amoris in his beneficiis conspicitur, quòd mirando temperamento iustitiæ & misericordiæ homines lapsi propter Filium mediatorem, & redemtorem in gratiam recipiuntur, & rursus fiunt templa Spiritus sancti, & hæredes vitæ æternæ. Hanc immensam bonitatem agnoscamus, & celebremus, & Deo pro his tantis beneficiis gratias agamus, nec aliud sonet pes, aliud chorda, vt de inconcinnè saltantibus dicitur, sed luceat gratitudo nostra in his officiis, quæ Deo placent. Deinde in omni inuocatione, discernantur tres personæ diuinitatis,

diuinitatis, & cogitetur, quæ cuiusque sit proprietas. Pater est persona, quæ genuit Filium Λόγον, & per eum vult innotescere, & cum Filio, & Spiritu sancto omnes creaturas condidit & sustentat, & in Baptismo Filii dicit: Hic est Filius meus, &c.

Filius est substantialis, & integra imago æterni Patris, quæ ad Ecclesiam mittitur, vt patefaciat Euangelium, & assumat naturam humanam, & sit mediator redemtor, summus sacerdos, & rex æternus Ecclesiæ.

Spiritus sanctus, est tertia persona diuinitatis, procedens à Patre & Filio, quæ effunditur in corda nostra, vt flectat ea ad inuocationem Dei, & ad omnes motus Legi diuinæ congruentes, & lætificat ea, vt acquiescant in Deo, petant & expectent omnia beneficia Dei.

Vt autem hæc distinctio personarum aliquomodo intelligatur, intueamur imaginem Dei in homine, in qua sunt tria hæc præcipua, Mens, cogitatio, & affectus. Quemadmodum igitur mens format imagines rerum, de quibus cogitat: Ita Påter sese intuens & considerans, ab æterno gignit Filium, qui non est cogitatio fugax, & euanescens, sed substantialis, viua, integrè & verè subsistens imago. Deinde vt cogitationem sequuntur in voluntate & corde motus, seu agitationes: Ita à Patre æterno, & Filio coæterno procedit agitator Spiritus sanctus, qui est substantialis amor, & lætitia coæterna inter Patrem & Filium. Etsi autem illius æternæ, & cœlestis Academiæ sapientia erit, propiùs contemplari, quomodo Filius à Patre gignatur, & quomodo Spiritus sanctus à Patre & Filio procedat : Tamen hanc admirandam sapientiam vult Deus in hoc angusto circulo vitæ mortalis incoari. Audiamus igitur vocem Euan-

gelii, de his maximis & arcanis rebus concionantem, & ſimul petamus, vt Deus æterna lucis & ſapientiæ initia per Spiritum ſanctum in nobis accendat. Valete. Die 23. Maii. Anno Chriſti 1556.

Victorinus.

Præfatio

Præfatio obiter excepta in Locum de Spiritu, & Litera.

Itulus doctrinæ de Spiritu & Litera, non quidem splendidus est, & ambitiosus, & videtur non multum habere momenti, in doctrina Ecclesiæ: Sed qui attentè hunc locum considerabunt, reipsa comperient, eũ habere plus in recessu, vt Fabij verbis vtar, quàm in fronte promittat. Nam in hoc titulo, primùm nobis disputatio est cum Origene, Hieronymo, & alijs, qui ignorantes discrimen Literæ & Spiritus, falsò finxerũt, Literam esse Grammaticam sacræ scripturæ interpretationẽ & sententiam, & hanc tanquam puerilem neglexerunt. Spiritum verò, seu Spiritus appellationem detorserunt ad suas allegorias, quarum magna pars nihil est, nisi aut ineptum, aut monstrosum somnium, & commentum humanæ rationis sine verbo Dei excogitatum. Hanc Origenicam imaginationem de Spiritu & litera, hoc est, de Grammatico sensu scripturæ, & allegorijs, necesse est refutari acerrimè, vt sciant pij, quid sit vera scripturæ interpretatio, & vbi sit locus Allegorijs, & quæ adminicula præcipuè requirat summum opus, quod vocamus enarrationem scripturæ. Alterum certamen in hoc loco nobis est, cum Enthusiastis omnium temporum, quales nunc sunt Anabaptistæ, Schuuenckfeldiani, & alij fanatici, qui conantur Ecclesiam abducere à verbo scripto, à monumentis Propheticis & Apostolicis, & à ministerio vocali, quod sonat Legem & Euangelium in templis & scholis. Nam verbum, siue scriptum, siue pronuntiatum voce humana, audent impudentissimi nebulones nominare inanem, & prorsus inutilem literam: Qua oratione detrahunt omnem vim, & efficaciam sanctiss. ministerio, quod diuinitus institutum est, & conseruatur ab æterno Patre, & à Filio sedente ad dextram Dei, & Spiritu sancto, qui locutus est per Prophetas & Apostolos, & adhuc loquitur & concionatur per os ministrorum sincerè docentium. Spiritum verò vocant suas speculationes, Enthusiasmos, seu motus & afflatus: Item visiones & reuelationes, quas offert diabolus miseris hominibus, à verbo Dei, velut ab vbere materno, auulsis. Erit igitur cum his quoque monstris pugnandum, & ostendendum, quid pij sentire debeant de vsu Legis diuinæ so-

nantis in Ecclesia, & de efficacia vocis Euangelij, de qua Paulus inquit, esse potentiam Dei ad salutem omni credenti. Dicendum erit de dono Spiritus sancti, quare detur Ecclesiæ, & singulis membris ab æterno Patre & Filio, quomodo accipiatur, quomodo excutiatur, & tristitia afficiatur. Denique hoc erit addendum, mentes humanas debere acquiescere in verbo scripto per Prophetas & Apostolos, & in verbo vocali, sonante per pios & fideles ministros, tanquã legatos Dei, nec debere eos quærere alias reuelationes, aut speculationes. Quia Petrus alligat nos ad verbum 2. Pet. 1. inquiens: Habemus sermonem firmum Propheticum, cui attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, bene facitis. Iam cogitate de quantis rebus nos erudiat hic paruus, & vt videtur, non valde splendidus titulus de Spiritu & Litera: Iuniores verò admoniti de rerum harum magnitudine attentiùs & accuratiùs, & audiant, & discant hanc doctrinam, vbicunque proponitur. Quærat autem aliquis, vbi sit sedes materiæ, hoc est, vbi sit præcipua concio de Spiritu & Litera, in scriptis Propheticis, aut Apostolicis. Sciant ergo Studiosi, sedem huius materiæ præcipuam esse in posteriori Epistola ad Corinthios cap. 3. vbi Paulus sic inquit: Deus fecit nos ministros noui Testamenti, non Literæ, sed Spiritus. Ad hoc caput huius Epistolæ adiungite 2. & 7. caput Epistolæ ad Romanos, in quibus etiam fit mentio Literæ & Spiritus. Sic enim inquit cap. 2. de Circumcisione: Non quæ in manifesto in carne est Circumcisio, sed Circumcisio cordis in Spiritu, non Litera. Et cap. 7. Seruiamus Deo, non in vetustate literæ, sed in nouitate Spiritus. Hi loci inter se dextrè collati gignunt definitionem Literæ & Spiritus, quas mox recitabimus.

In textum Loci Theologici, de Spiritu & Litera, in libro Locorum communium D. Philippi.

In Loco de Spiritu & Litera acerrimum certamen est Ecclesiæ cum Origene, Enthusiastis* & Anabaptistis. Origenes intelligit Literam, Grammaticam sententiam : Spiri-

*ἔνθεος à numine afflatus, inde ἐνθουσιάζω & ἐνθουσιάσης.

De Origene lege lib. 6. Eusebium alle-

tum allegoricas interpretationes. Anabaptistæ & Enthusiastæ vocant ministerium verbi vocalis & scripti Literam. Speculationes verò & afflatus sine verbo contendunt esse Spiritum. Vt igitur Origenes corrumpit interpretationem scripturæ, sic illi contemnunt ac deserunt ministerium diuinitus institutum, & vtrique ignorant, quid sit, & quid efficiat Spiritus.

bij, qui totus consumitur ferè in descriptione Origenis. Nam Eusebius fuit insignis amator & admirator Origenis, sed plus ei tribuit, quàm par est.

Epiphanius in refutatione Origenis veriùs & maiore fide Origenem describit.

Vt suprà dixi: Aliud est incoatio beneficiorum Christi in hac vita, quæ fit fide acquiescente in verbo: Aliud completio, seu consummatio eorundem beneficiorum, quæ futura est post resuscitationem in vita æterna. Sunt autem omnes conciones de beneficijs Christi illustriores & euidentiores, quando accommodâtur ad futuram consummationem, & lætissimum diem resurrectionis, quàm si tantùm intelligantur de incoatione.

Aliorum Resuscitatorum.]

Matth. 27. In historia Passionis hæc verba leguntur: Monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes ex monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctã ciuitatem, & apparuerunt multis. In eandem sententiam Euseb. lib. 1. historiæ Ecclesiasticæ citat dictum Apostoli Thaddæi: Dominus descendit quidem solus: Ascendit autem cum magna multitudine ad Patrem suum. Quanquam autem non potest certò affirmari, qui fuerint socij & comites Christi resurgentis & ascendentis in cœlum: tamen consentaneum est, fuisse in hoc comitatu & triumpho præcipua lumina Ecclesiæ, primos patres, qui ante diluuium vixerunt. Item Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, qui in vicinia Hierosolymæ sepulti erant. Denique multas pias & sanctas matronas, quales fuerunt, Sara, Rebecca, Rachel, &c.

Quid est Litera?

Quid rei.

Litera significat omnem doctrinam, seu traditam proprijs verbis, seu Allegoricè, siue scriptam in Lege Dei, siue in Euangelio, siue in Philosophia, & significat doctrinæ cogitationem & imitationem, sine Spiritu sancto. Quia tunc cogitatio non est viua, sed quædam pictura in mente, vt si dicas, Circumcisione significari moderationem cupiditatum. Hæc moderatio sine Spiritu sancto, est disciplina & Litera, & non est Spiritus & vita in corde, sicut Litera est fabula Bellerophontis, in qua dicitur Pallas Pegaso iniecisse aureum frenum, quo significatum est, consilio moderandos esse acres impetus.

Quid nominis.

Quid est Spiritus sanctus?

Est tertia persona diuinitatis procedens à Patre & Filio, & est substantialis amor & lætitia coæterna inter Patrem & Filium, & nobis sic manifestata est, quòd mittatur in corda credentium, vt tales motus, amorem, & lætitiam acquiescentem in Deo, in eis accendat, qualis est ipse. Quid autem differant nasci & procedere, alio loco copiosè declaratur.

Qualis causa, talis effectus.

Quare Spiritus sanctus datur Ecclesiæ?

Apud Zachariam extat dulcissima promissio, quæ complectitur omnia beneficia Spiritus sancti: Effundam super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum. Disertè Spiritus sanctus nominatur Spiritus gratiæ: Quia testificatur in ministerio Euangelij, & in singulorum cordibus de gratia, id est, annuntiat Euangelium, de remissione peccatorum, de reconciliatione, de donatione iustitiæ, & vitæ æternæ, & cùm fide accipimus vocem Euangelij, simul Spiritus sanctus in cordibus accendit lætitiam, qua acquiescimus in Deo propter mediatorem, & viuificamur.

Quoties de Spiritu sancto dicitur, consideranda sunt publica & priuata huius Dn. & gubernatoris beneficia. Publica sunt, quæ

quæ præstat Ecclesiæ in ministerio Euangelij & Sacramentorum, & per ministerium. Priuata, quæ exercet in officina nostrorum cordium, & in singulis pijs.

Quid agit Petrus in sua concione splendida, habita ipso die Pentecostes ad populum? Testificatur de Christo, persona eius & officio, videlicet resuscitato & sedente ad dexteram Dei, & effundente hoc donum Spiritus sancti. Hoc testimonium, quod publicum est, non potuisset edere sine Spiritu sancto. Sed quid fit in animis auditorum? Actor. 2. Populus hæc audiens, compunctus est corde. Hoc priuatum est Spiritus sancti testimonium. Quæro an posśint discerni momenta temporum in hac conuersione trium milliũ? Nequaquam. Dies est solis pręsentia in nostro horizonte, vt crasśis. loquar, est exortus Solis super horizontẽ. Quãdo igitur Sol mane supra horizontẽ vehitur, vno momẽto spargit suos radios, & pellit tenebras & noctem. Sicut igitur simul sunt exortus Solis supra horizontem, & dies: Ita Spiritus sanctus effunditur in tuum cor, & simul subitò pellit tenebras, & noctem mentis tuæ, aut certè incoat depulsionem illam, & accendit fiduciam acquiescentem in Deo.

Postquam autem corda agnoscunt misericordiam Dei per Euangelium, & viuificantur Spiritu sancto, non iam fugiunt Deum, sed accedunt ad eum, & inuocant eum fiducia mediatoris, petunt & expectant ab eo auxilium, & omnia beneficia corpori & animæ necessaria. Inuocatio autem est summus cultus, & reliquam obedientiam *a* complectitur. Quia ad hunc finem referenda est obedientia, vt testemur verè hunc esse Deum, quem inuocamus iuxta doctrinam, quam tradidit. De his effectibus Spiritus sancti multa dicta splendidè concionantur.

a Vsitata συνεκδοχῆ, vt Esa. 2. Domus mea domus orationis vocabitur. Est pulcerrima & breuisśima descriptio Ecclesiæ, quæ est templum Dei, & rectè inuocat Deum, & prælucente inuocatione, præstat etiam reliqua officia Deo grata iuxta Decalogum.

Spiritus Gratiæ.

Roman. 8. Accepistis Spiritum adoptionis filiorũ Dei,

Adoptio est actus legitimus, quo is, qui natura filius non est,

quo clamamus, Abba Pater. Hic enim Spiritus dat testimonium Spiritui nostro, quòd simus filij Dei. 1. Corinh. 2. Accepimus Spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo nobis donata sint. 2. Corinth. 1. Vnxit [*Psalm. 45.*] nos *a* Deus, & [*Esa. 8.*] *b* obsignauit nos, & dedit *c* arrham Spiritus in cordibus nostris.

pro filio suscipitur & habetur.

Genes. 32. Minor sum Domine omnib9 tuis miserationibus.

a Olim vngebantur & reges, & sacerdotes. Hæc verò ceremonia erat obligatio ad omnia munera, & sacerdotalia, & regia. Sicut autem Christus est rex & sacerdos: Ita Petrus Christianos vocat reges & sacerdotes.

b Obsigna Legem tuam in discipulis meis, id est, non tantùm infunde in aures discipulorum, sed in thalamis cordis inscribe, & scripta obsigna, ne amittant, aut verbum tuum, aut natiuam verbi sententiam. Est autem sigillum Dei Spiritus sanctus.

c Arrha siue Arrhabo, est donum vtrinque datum à Sponso & Sponsa, ad confirmandam promissionem de futuris nuptijs. Ita Filius Dei celebrabit cum Ecclesia nuptias in vita æterna, sicut est in parabolis. Si igitur nos sponsa sumus ipsius, quam accipimus ab ipso Arrham? Paulus inquit: Dedit nobis Arrham Spiritus in cordibus nostris: Man tregt jhn nicht am Finger/ Sondern im Hertzen.

Ephes. 1. Credentes Euangelio obsignati estis Spiritu promissionis sancto, qui est arrha hæreditatis nostræ.

Roman. 8. Sensus Spiritus est vita & *d* pax. Roman. 14. Regnum Dei est iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.

d Homines sine Spiritu sancto, nec viuunt, nec habent pacem, sed sunt mortui peccatis, & sentiunt in conscientia horribiles terrores & pauores. Vbi autem Spiritus Dei habitat, ibi est vita, id est, lætitia acquiescens in Deo, & Filio eius mediatore.

Spiritus precum.

Roman. 8. Spiritus opitulatur infirmitati nostræ, & interpellat pro nobis gemitibus ineffabilibus.

Hos gemitus non intelligimus, nisi in maximis & præsentissimis

tissimis vitæ periculis, vt Moyses stans in littore maris rubri, & cinctus vndique montibus & hostibus.

Galat. 4. Misit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra, clamantem: Abba Pater.

Iohan. 4. Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate.

Spiritu) hoc est, adiutore Spiritu S. excitante motus spirituales. Veritate) id est, prælucente verbo Dei, quod est veritas.

2. Timoth. 1. Non dedit nobis Deus Spiritum timiditatis, sed *a* roboris, *b* dilectionis, & *c* castificationis.

a Roman. 8. Opitulatur infirmitati nostræ. Doctor Lutherus Anno 21. cùm esset vocatus ad comitia VVormaciensia, & amici hortarentur eum, vt suæ vitæ consuleret, nec in manifestum discrimen se conijceret, affirmauit se ingressurum esse in vrbem, & venturum in conspectũ Cæsaris & Principum, etsi tecta vrbis scaterent tot Diabolis, quot haberent tegulas.

Dilectionis) Quia est flamma mutuæ dilectionis. 1. inter æternum Patrem & Filium. 2. inter Deum & Ecclesiam. 3. inter ipsa membra Ecclesiæ.

c Castificationis) Roman. 8. Si actiones carnis Spiritu mortificabitis, &c. Est igitur castificatio, opprimere affectus illicitos, expurgare vetus fermentum, &c.

Galat. 5. Fructus Spiritus sunt dilectio, gaudium, pax, longanimitas, humanitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia.

2. Cor. 3. Transformamur ad imaginem eãdem à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.

Prouerb. 4. Semita iustorum est similis luci, quam Sol manè spargit in aurora.

Hos effectus sentimus in veris doloribus, audita voce Euangelii. Confirmantur enim corda nostra à Spiritu sancto, vt firmiter assentiantur verbo Dei, & flectuntur ad inuocationem Dei, & ad omnes motus Legi diuinæ congruentes, & lætificantur, vt acquiescant in Deo, & habeant initia vitæ æternæ. Ita restituitur in nobis vita, & iustitia æterna, & renouatur imago

Ephes. 1. Placuit Deo omnia ἀνακεφαλαιώσασθαι per Filium.

Dei, & rursus fit miranda copulatio naturæ nostræ cum Deo. Nos fraude diaboli sumus auulsi à Deo, tanquam à capite nostro. Iacemus igitur sine capite, ceu truncus & cadauer, sed placuit Deo nos iterum reducere & alligare ad Deum per mediatorem, qui dat Spiritum sanctum.

Hæc in quotidiana inuocatione discenda sunt, & celebranda est vera gratitudine immensa Dei bonitas, qui nobis miseris post lapsum opem tulit misso Filio, & donato Spiritu sancto.

Quomodo datur Spiritus sanctus?

Constantissimè explodenda sunt deliria Anabaptistarum & similium, qui abducunt homines à lectione scripturæ, & à ministerio Euangelij, & Sacramentorum, & negant Deum efficacem esse per verbum scriptum, & ministerium vocis diuinæ. Cùm enim homines abducti sunt à Scriptura Prophetica & Apostolica, tria ingentia mala sequuntur, Amissio certæ doctrinæ, Amissio consolationis, & Extinctio veræ fidei, seu exercitiorum fidei.

Historia Actorum mille locis & testimonijs refutat hunc fanaticum, & perniciosissimum errorem, quo nullus magis exitio esse potest Ecclesiæ, vt Actor. 8. de Eunucho, Actor. 10. de Cornelio, &c.

Tria sunt bona monstrata in Euangelio, 1. est certa doctrina de vera agnitione, & inuocatione Dei & Filij eius. 2. est firma, salutaris, & efficax consolatio animorum in media morte, in omnibus vitæ periculis & ærumnis. Talis consolatio nusquam monstratur nisi in Euangelio. 3. est norma, & regula vitæ. Amisso igitur verbo amittitur doctrina certa, consolatio, item fides & exercitium fidei.

Primùm enim amittitur doctrina: Quia cùm mens non regitur verbo scripto, homines fanatici fingunt opiniones, vt libet, contra Legem, & Articulos fidei.

Esa. 8. Ad legem & ad testimonium: Quòd si non dixerint, &c.

Deinde in veris doloribus non sustentant se scripta promissione,

misſione, & ſic ruunt in deſperationem.

Roman. 15. Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram vtilitatem ſcripta ſunt, vt per conſolationem ſcripturarum ſpem & patientiam habeamus.

Tertiò, neque ſciunt, neque diſcunt, quid ſit fides : Quia quærunt afflatus, non ſuſtentant ſe cogitatione ſcripti verbi, cùm dictum ſit: Fides ex auditu, Auditus per verbum Dei.

Fugiamus igitur hunc pernicioſiſsimum errorem, qui abducit homines à verbo ſcripto, & firmiſsimè ſtatuamus, ſic & non aliter efficacem eſſe Deum, videlicet cogitatione verbi ſcripti, cuius pręcones, & interpretes ſunt miniſtri rectè docentes.

Quòd autem per vocem Euangelij, & adminiſtrationem Sacramentorum detur Spiritus ſanctus, clarè teſtatur hiſtoria Apoſtolorum cap. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſsioné peccatorum, & accipietis donum Spiritus ſancti. Et Actor. 10. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant verbum. Hæc exempla congruunt cum teſtimonijs Pauli, Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti, Item: Euangelium eſt miniſterium Spiritus.

Litera eſt omnis cogitatio, & actio humana, ſine motu, & luce Spiritus ſancti. Appellatio Spiritus, aut ſignificat ipſam perſonam Spiritus ſancti, aut ſignificat effectus & motus Spiritus ſancti, in angelis & hominibus electis. Iuſtitiam.) Non tantùm ſapientia neceſſaria eſt, qua agnoſcimus Deum, ſed etiam iuſtitia. E contra Spiritus) Hæc definitio complectitur 1. perſonam Spiritus ſancti, deinde effectus & beneficia.

2. Pet. 1.) Nos ſumus κοινωνοὶ θείας φύσεως. Fabius citat inſigne dictum Varronis: Boni Grammatici eſt quædam ignorare: Ita nos in Eccleſia dicere poſſumus, Boni Theologi eſt quædam ignorare: Quia nos tantùm ex parte prophetamus 1. Corinth. 13. Vt igitur illud Pauli, quod extat 1. Corinth. 15. Deus erit omnia in omnibus, non ſatis in hac vita percipi poteſt: Ita hoc Petri dictum longè ſuperat noſtræ intelligentiæ vim & captum. Nuſquam enim in tota ſcriptura ſimilis verborum forma vſurpatur. Sed tamen contenti eſſe poſſumus hac ſimplici ſententia.

Homines post lapsum fuerunt auulsi à Deo, tanquam à capite. Nunc verò renouati & regenerati per Spiritum sanctum, rursus alligantur ad suum caput, & cum Deo copulantur, & mirando modo accipiunt ab hoc capite, sensum, motum & vitam. Quia mens illustrata à Spiritu sancto cernit Deum, hoc est, agnoscit essentiam & voluntatem Dei de nostra salute, & in corde ardent motus diuini. Sed verissimum est, quod Iohannes ait: Nunc quidem sumus Filij Dei, sed nondum apparuit, quales simus, &c.

1. Iohan. 3.

Effundam) Vt significet immensam liberalitatem Dei in dando hoc munere amplissimo, maximè necessario, & salutari, de quo canit Ecclesia: Sine tuo numine, nihil est in homine.

Meo) Pronominum Emphasis in scriptura diligentissimè obseruetur, omnis vigor & succus est in Pronominib⁹ scripturæ. D. M. L. Innupta virgo potest quidem de viro dicere, hic est vir, sed nondum potest dicere, hic est meus vir ante desponsationem: Ita non satis est dicere, Deus est, est sapiens, bonus, &c. Es gehört auch ein Pronomen darzu/ daß du sagest/ Est Deus meus. Hoc verò non potest quisquam sine fide, & Spiritu sancto verè dicere, & statuere seriò.

Carnem) Id est, super hanc infirmam, & miseram naturam. Cogita quanta sit Dei bonitas, quòd effundit hoc tantum donum in nos miseros & contaminatos peccato, & subiectos morti.

[Nos reuelata facie.]

Duplex facies Moysi: Alia tecta, alia aperta. Moses descendens à Deo, & afferens ad Iudæos Legem Dei, tantum habuit in facie splendoris & lucis, vt populus non posset eum aspicere. Quoties igitur voluit agere cum populo Moyses, necesse fuit ipsius faciem tegi & inuolui. Ex hac historia sumit Paulus Allegoriam de duplici intellectu Legis: Alij intelligunt Legem tantùm de disciplina, Alij in veris pauoribus, seu in vera mortificatione faciem Moysi vident reuelatam, apertam, nitentem, cuius conspectum nemo potest sustinere.

[Hæc est Pauli sententia.]

Literam vocat Paulus hoc loco doctrinam Legis: Spiritum intelligit ministerium Euangelij. Etsi autem vtrumque genus doctrinæ est Litera, sine actione & motu Spiritus sancti, tamen hunc ordinem

ordinem Deus sanxit & instituit, vt detur Spiritus sanctus per Euangelium, & non per Legem, teste Paulo Galat. 3. Vbi Galatas interrogat: Quæro, inquit, ex vobis, vtrum ex prædicatione Legis, an Euangelij acceperitis Spiritum sanctum? Grauis est hæc, & vehemens interrogatio, & haud dubiè hanc habet vim & sententiam: Res ipsa, & euentus conuincit vos, vt fateamini, Spiritũ sanctum dari non per Legis prędicationem, sed per vocem & ministerium Euangelij. Teneatis igitur vtramque Hypothesin, quarum vna est, Omnis doctrina, siue Legis, siue Euangelij, omnis cogitatio de doctrina, est Litera, si non accedat motus & actio Spiritus sancti. Altera Hypothesis hæc est: Deus hunc ordinem instituit & sanxit, vt non velit aliter efficax esse, & dare Spiritum sanctum, & vitam æternam, nisi per vocem Euangelij lectam, auditam & cogitatam: Neque pugnant inter se hæ duæ Hypotheses. Sit tibi persuasum omnes tuas cogitationes esse inanes & irridendas, sine actione diuina, sine motu Spiritus sancti, sed simul etiam illud considera, quod est veriss. non dari Spiritum sanctum, nisi per cogitationem, per lectionem, per auditionem doctrinæ diuinitus traditæ.

[Sentit enim sine notitia.]

Iohan. 1. Lex per Moysen data est, &c. Opponit Legi gratiam & veritatem: quasi dicat, Lex in auditoribus, aut efficit iram, aut efficit hypocrisin. Iram efficit, quando rectè intelligitur, & sentitur in cordibus. Cuius rei exempla offerunt se in Cain, exclamante: Maior est iniquitas mea: & in Iuda seipsum laqueo conficiente. Deinde Lex non rectè intellecta efficit hypocrisin in animis, hoc est, falsam & inanem persuasionem seu admirationem propriæ iustitiæ & sapientiæ, qualem habuit Pharisæus ille Luc. 18. Opponitur ergo in dicto Baptistæ Gratia iræ Dei, & veritas hypocrisi. Euangelij effectus sunt gratia & donum per gratiam, quod idem est, ac si dicam, gratiam & veritatem.

Pomponij Attici) fuit Epicureus. Eius vitam descripsit Cornelius Nepos.

[Explodantur ergo.]

Valde prodest iuniores meminisse aliqua historica de Origene, quæ recitantur partim ab Eusebio in lib. 6. partim ab Epiphanio in refutatione errorum Origenis. Magnus vir fuit, ingenio excellenti, instructus magna doctrinæ copia, & eloquentia non vulgari

præditus : & natus fuit Patre Leonide, qui propter confeſsionem Euangelij corona martyrij decoratus eſt, & ipſe Origenes aliquot annos præbuit ſpecimen raræ cuiuſdam conſtantiæ, non ſolùm in conſolandis martyribus, qui ad ſuppliciũ rapiebantur, ſed etiã ipſe multos cruciatus ſuſtinuit, ꝑpter confeſsionẽ doctrinæ, ſed tãdem, vt ſunt magni lapſus magnorum virorum, ſacrificauit idolis, & propter huius ſceleris conſcientiam fugit ex Aegypto, vbi erat notiſsimus & clariſsimus, in Palæſtinam, & totum ibi ſe dedidit ſtudijs doctrinæ, & in eo otio collegit ſex verſiones vtriuſque Teſtamenti, quæ vocantur ἑξαπλα. Habuit item ſeptem amanuenſes, quorum adminiculo ſena millia librorum ſcripſit, & tamen miſer, quod dolendum eſt in tanta mole librorum, quantam non vehat vna nauis, non complexus eſt ſummam veræ doctrinæ, qualis nunc in noſtra Catecheſi traditur, imò multa corrupit & contaminauit. Quia primùm præbuit occaſionem ſuis quibuſdam inconſideratè dictis Ariano dogmati, hoc eſt, ſparſit ſemina, ex quibus poſtea natus eſt furor, & blaſphemia Arij, aperuit feneſtram Arianæ blaſphemiæ, quia Filium dixit eſſe γεννητὸν, id eſt, factum. Deinde defendit horribilem errorem de Particulari reſurrectione mortuorum, deceptus dicto Pſalmi 1. malè detorto. Tertiò contaminauit totam ſcripturam infinitis, & intempeſtiuis allegorijs, & multis monſtroſis interpretationibus. Transformauit omnia in allegorias, & has vocauit Spiritum: Grammaticum verò ſenſum, quem parit proprietas phraſis & ſermonis, vocauit Literam. Et vt de alijs portentis ipſius non dicam, quàm tetrè, & impiè contaminauit cap. 7. ad Romanos, quod concionatur de vſu Legis proprio, qui eſt occidere, & perterrefacere. Dicit Paulum eo in loco verba facere de anima ſegregata à corpore. Hæc recito ideò, vt habeatis exemplum illuſtre dicti Paulini 1. Cor. 15. Qui ſtat, videat, ne cadat.

Regula verè aurea, de interpretatione ſcripturæ, oppoſita Origenicis Allegorijs.

Epiphanius contra Apoſtolicos pag. * 221. Diuinus ſermo non indiget Allegorica interpretatione, ſed in propria ſententia intelligatur. Indiget

* In Græco textu.

Apoſtolici fuerunt fanatici, quales nunc ſunt Anabaptiſtæ, qui damnârunt Coniugium, & proprietatem rerum.

autem

autem ſpeculatione & ſenſu, vt materiæ diſcernantur, & rectè accipiantur. Hæc ille.

Rectè & grauiter Epiphanius taxat conſuetudinem Origenicam, transformandi dicta Scripturæ in Allegorias, partim ineptas, partim intempeſtiuas. Nam in præceptis moralibus, in promiſsionibus diuinis, & in articulis fidei, nullus locus eſt Allegorijs. In factis verò & ceremoniis prudenter eſt videndum, vbi locum habeat Allegoria. Deinde requirit Epiphanius in eo, qui eſt interpres verbi diuini, ſpeculationem & ſenſum. Ac ſpeculationis nomine complectitur aſsiduam lectionem & collationem ſcripturarum, ad quam neceſſaria eſt diligentia Grammatica & Dialectica. Vt enim Grammatica expendit genus ſermonis, & pondera verborum: Sic Dialectica quærit ordinem partium atque membrorum in concionibus diuinis. Illud etiam perficiat interpres, vt ex teſtimoniis diuinis colligatur ſumma doctrinæ Chriſtianæ, methodicè comprehenſa atque explicata, & refutentur corruptelæ veteres & recentes, quæ lectioni tenebras offundunt. Complectitur ergo θεωρία, hæc opera, videlicet aſsiduam lectionem, & prudentem collationem ſcripturarum: Item, diligentiam Grammaticam & Dialecticam: Denique Methodicam collectionem totius doctrinæ Chriſtianæ, coniunctam cum refutatione impiorum dogmatum.

Senſum appellat experientiam ſpiritualem in pauoribus & conſolationibus, in quotidiana inuocatione, in pœnitentia, in omnibus vitæ periculis & ærumnis. Etſi enim aliæ artes ſola ſpeculatione, ſeu contemplatione percipi poſſunt: tamen doctrina Eccleſiæ propria non intelligitur ab otioſis & ſecuris, ſed ab ijs, qui guſtârunt aliquid certaminum ſpiritualium, & in his didicerunt, quid Lex efficiat, quid Euangelium, & quantum diſcrimen ſit in ipſo effectu inter hæc doctrinæ genera. Nemo igitur ſomniet ſe conſecuturum eſſe veram ſcripturæ enarrationem ſola ſpeculatione, niſi accedat vſus aliquis inuocationis, & conſolationis in cruce.

Cum hoc dicto Epiphanij conuenit Oratio, quæ ſæpè repetitur in ſcriptis Doctoris Lutheri. Tria ſunt inſtrumenta neceſſaria ad percipiendam Theologiam, 1. Eſt meditatio. Alterum eſt precatio ſeu inuocatio Dei

quotidiana. 3. Est tentatio. Theoria, quæ sic appellatur ab Epiphanio, est Luthero meditatio, id est, diligens & aſsidua lectio scriptorum Propheticorum, & Apostolicorum, & collatio dictorum, & diligentia Grammatica, & Dialectica. Deinde precatio & tentatio pertinent ad αἴσθησιν, sensum, hoc est, ad experientiam spiritualem.

Agnus Paschatis) Paulus 1. Corinth. 5. Pascha nostrum immolatus est Christus.

Lex vocatur à Paulo spiritualis propter tres causas. Pri-
I. mùm: Quia est sapientia & norma iustitiæ, lucens in naturis spiritualibus, quales sunt, Deus, angeli, & animæ humanæ. Nam in natura corporea, siue cœlestis sit, siue Elementaris, siue mixta ex Elementis, nullum extat vestigium huius sapientiæ, quam Legem appellamus.

II. Deinde, Quia Lex non fit, nisi natura, accensa à Spiritu sancto, verè agnoscat Deum, & ardeat dilectione Dei. Ideò Ieremias inquit cap. 31. Dabo Legem meam in corda eorum, & in mentibus eorum scribam eam, hoc est, Efficiam dato Spiritu sancto, vt corda congruant cum Lege Dei, & ardeant motibus, quos Lex diuina postulat.

III. Postremò Lex dicitur spiritualis: Quia est iudicium spirituale, accusans & condemnans omnia peccata, interiora & exteriora. Nam Leges politicæ tantùm accusant externam violationem disciplinæ. Sequitur in textu Pauli. Ego autem sum carnalis, venundatus sub peccatum, id est, Res diſsimilimæ sunt Lex & natura hominum corrupta. Lex enim postulat ardentem amorem Dei, & purum amorem proximi. At corda nostra dubitant de Deo, securè contemnunt Deum, aut fugiunt Deum in ærumnis, quærunt inconcessa præsidia, & remedia dolorum. Denique ardent multis flammis affectuum contra Deum, & proximum.

Vt igitur Paulus significet, quàm tristis, & lugenda sit naturæ nostræ deprauatio, addit hæc verba: Ego sum venundatus sub peccatum, id est, sum triste mancipium, seruiens non Deo, sed peccato, vdelicet, in quantum nō sum regeneratus, seu quatenus caro Spiritui repugnat.

Etiam sancti habent peccata. Daniel: Tibi Domine iustitia etc. Psalm. 119.

Psalm. 119. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Sedes materiæ de vsu Legis est cap. 7. ad Roman. Aphorismi de vsu Legis cap. 3. ad Roman. Per Legem agnitio peccati. Item 4. Lex iram efficit.

Dolendum est grauiss. doctrinam.) Encomion Loci de Spiritu & Litera.

Est Litera) Sapientia & iustitia rationis est Litera, id est, pictura, quasi illita cerebro cogitatione. Quia non est Lux intuens Deum, nec est incendium, & vita in corde. Sicut folium fici tegebat externam deformitatem in Adam, non tollebat eam.

FINIS LOCI DE SPIRITV ET LITERA.

LOCVS
DE CRVCE ET CALAMITATIBVS.

STVDIOSIS S.

VM in omnibus locis, qui ad religionem, résque diuinas pertinent, longè præstet Philoſophorum diſputationib⁹ doctrina à Deo tradita, quam Eccleſia amplectitur & profitetur, tùm in eo loco maximè, in quo de cauſis calamitatum, & de conſolationibus iudicandum eſt. Nam Philoſophi vtrumque ignorant, veros fontes malorum, quæ in genere humano graſſantur, & vera remedia. Alii enim cenſent fatali quadam Lege homines potenti morti obtemperare, vt in verſu Manilii dicitur:

Fata regunt homines, certa ſtant omnia lege.

Alii diſputant, mortem & morbos à materia corporum oriri, ſicut putrefieri plantas, & mori pecudes videmus. Quia tales ſunt materiæ vices. Alii ad caſum referunt calamitates horrendas, bella, magnarum vrbium excidia, gentium vaſtationes, & diſſipationes multiplices, vt Lucanus exclamat:

Siue nihil poſitum eſt, ſed ſors incerta vagatur,
Fertq́; refertq́; vices, & habent mortalia caſum.

Primùm igitur Philoſophia in magna caligine quærit, vnde ſint tanta mala, mors, & reliquæ horribiles miſeriæ. Deinde non oſtendit auxilium, nec dicit, quomodo, aut quando penitus tollatur malum, ſed iubet moderatiùs ferre dolores. At in concionibus diuinis exponuntur

exponuntur causæ, quare Ecclesia subiecta sit cruci, & adduntur consolationes veræ, & efficaces: Recitatur & illustratur promissio de mediatore, de remisione peccatorum, de conseruatione Ecclesiæ, de præsentia Dei in Ecclesia, exaudientis nos, & mitigantis pœnas in hac vita, vt seruet Ecclesiam, & de donatione vitæ & gloriæ æternæ, in qua prorsus tollentur omnia mala. Non igitur ex cisternis philosophorum, sed ex fontibus Israel hauriamus primas causas calamitatum, & firmas consolationes, quas Deus non frustra per Filium patefecit, sed vult ratas, & efficaces esse.

Etsi autem hæc doctrina, tradita per Prophetas, Filium Dei, & Apostolos, omnibus temporibus necessaria & salutaris est: tamen senescenti Ecclesiæ paulò accuratiùs proponenda est. Quia nunc vrgemur non solùm ætatis infirmitate: sed etiam mole pœnarum, quæ cumulatæ sunt propter idola, & alia scelera.

Maior etiam in Diabolo rabies est, sentiente iam instare tempus extremi iudicii, in quo sibi maiores cruciatus in omnem æternitatem certò propositos esse nouit. Quamobrem præcepto Christi Domini nostri ter repetito atque inculcato obtemperemus, vigilate & orate, ne intretis in tentationem, & muniamus nos aduersus Diabolum, grassantem tyrannide & sophistica, non solùm cognitione veræ doctrinæ, sed etiam precatione: Quia arx firmissima est nomen Domini.

Hodiè autem, quod faustum & fœlix sit, amplissimam doctrinam, de causis miseriarum humana-

rum, & de veris consolationibus, incoabo. Valete, & mores ita regite, vt appareat vos dolere super contritione Ioseph, hoc est, seriò affici miseriis senescentis Ecclesiæ. Die 13. Iunii. 1556.

Victorinus Strigelius.

Præfatio

Præfatio obiter excepta.

Equuntur duo loci, alter de cruce & calamitatibus, alter de inuocatione, quorum vterque his temporibus, quæ sunt plena periculorum & ærumnarum, maximè consentaneus & accommodatus est, ita, vt de vtroque nos erudire poßint ipsum tempus & ærumnæ, quæ partim acciderunt, partim in conspectu sunt, partim adhuc impendent. Non enim dubium est, maximas mutationes Germaniæ, & totius Europæ impendere, sicut Prophetæ, Christus & Apostoli prædixerũt, fore maiores confusiones religionum & imperiorum ante finem mundi, quàm alijs ætatibus Ecclesiæ. Semper quidem Ecclesia sustinuit dolores parturientis, & fuit onerata cruce, nec vlli ætati desunt exempla magnarum calamitatum, quæ Ecclesiam duriter exercuerunt: Sed tamen omnium Prophetarum & Apostolorum consensu, cui ipsa experientia suffragatur, Ecclesia senescens, quæ propter ætatem languet, & infirma est, maiorem molem ærumnarum & miseriarum pati cogitur. Time, inquit Poeta, senectam, Quia non venit sola. Etsi autem hic versus pronuntiatus est à Poeta de corporis senecta: tamen rectè accommodari potest ad infirmam hanc ætatem Ecclesiæ, in qua omnia sunt languidiora. Accedit verò ad has ærumnas horribilis furor & rabies sæuiß. & crudeliß. hostis diaboli, qui non desinit grassari in pia membra Ecclesiæ, partim Tyrannide, partim Sophistica. Est enim non tantùm homicida, sed mendax etiam. Quid igitur in talibus ventis, tanta vi & concursu tempestatum agendum est? aut quis portus luctantibus propositus est? Salomon respondet cap. 19. Prouerb. Arx firmißima Nomen Domini, id est, verbum Dei comprehensum in scriptis Propheticis & Apostolicis, & vera inuocatio Dei. Verbum enim, non solùm monstrat & digitum intendit ad fontes calamitatum, sed efficaces etiam consolationes proponit & salutares, quæ non modò cicatricibus, verùm etiam vulneribus medelam adferunt. Semper autem cum doctrina, monstrante causas & remedia malorum, coniungatur ardens precatio, iuxta Psalmi dictum: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, &c. Et quanquam multæ sunt formulæ precationum, quibus à Deo petere debemus mitigationem, tamen illa inprimis est dulcis & blanda, quam semper Deo proponamus, Esa. 64. Et nunc Domine, Pater noster es tu, nos lutum tuum. Ne irascaris valdè: Quoniam popu-

lus tuus omnes nos sumus. Quid enim sumus, nisi lutum, quod fingitur atque refingitur manu figuli? & quàm facilè est figulo abijcere massam luti, tam facilè est Deo nos perseuerantes in contumacia, & petulantia, abijcere non solùm in Tragicas calamitates huius vitæ, sed, quod longè tristius est, in æternam mortem & damnationem. Non igitur ludamus licentia & petulantia illa morum, sed vigilemus & oremus, ne in tentationem mergamur. Vigilantia verò significat studium doctrinæ cœlestis, & gubernationem disciplinæ accuratam, sicut Eph. 5. dicitur: Videte, vt ambuletis tanquam sapientes. Disertè addit hanc causam, quæ nos mouere debet ad vigilantiam. Quia Dies mali sunt, id est, hæc tempora plena sunt malorum, & calamitatum, à quibus alienissima est petulantia, quæ ludit more Cyclopum & Bacchantium. Deinde ad vigilantiam addamus inuocationem, extra quam quid habemus reliquum?

CAPITA, QVAE IN TITVLO DE Cruce explicabuntur.

I. Exempla publicarum calamitatum.

II. De quatuor generibus calamitatum in Ecclesia.

III. De causis calamitatum in toto genere humano, & in Ecclesia.

IIII. Loci consolationis Philosophicæ.

V. Loci consolationis Christianæ.

VI. De discrimine patientiæ philosophicæ & Christianæ.

Hæc Methodus congruit cum Methodo artis Medicæ. Vt enim Medicus, primùm disputat de genere morbi: Deinde causas morbi quærit: Postea remedia loco affecto adhibet: Postremò præscribit ægro certam viuendi rationem, quam Græci Diætam vocant: Ita doctrina Ecclesiæ primùm discernit genera calamitatum. Deinde explicat causas impulsiuas & finales humanarum miseriarum: Mox addit consolationes ignotas philosophiæ, quę non tantùm cicatricibus, sed etiam vulneribus medentur: Tandem verò proponit præcepta de patientia, non quidem philosophica, sed Christiana.

Discite

Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos.)

Hic versus Virgilij, est argumentum & status omnium historiarum & Tragoediarum.

[αὐθαίρετα.]

Multi homines imitantur ventum Cæciam, qui dicitur nubes ad se trahere: Ita ipsi ad se attrahunt, & rapiunt vim poenarum.

CAPVT PRIMVM.

Ræclarè à Polybio dictum est, Duos modos hominibus propositos esse, quibus optimè viuendi ratio comparatur: Vnum, suam cuiusque experientiam: Alterum alieni exempli considerationem. Etsi autem primus modus euidentior est, magisque hominum animos permouet, tamen alter hanc habet commoditatem, quòd à periculo remotus est, & sine damno, atque sumtu monstrat, quid expetendum, aut fugiendum sit. Cùm igitur historiæ, aliorum aut bonos euentus, aut cõtrarios exponant, non dubium est, rectam & quasi compendiariam viam ad sapientiam & virtutem esse, cognitionem historiarũ. Hanc Polybij sententiam ideò recito, vt intelligant Studiosi, quo consilio ex historijs repetam exempla publicarum calamitatum. Longè enim tutius est, nos consideratione alienarum calamitatum flecti ad pietatem, quàm domesticis malis commonefieri de Poenitentia.

Lib. 1. in descriptione primi belli Punici.

Profectò magna & præcipua pars est eruditionis, notitia insignium, & præcipuarum historiarum.

Tutius est semper spectatorem, quàm actorem esse Tragoediæ.

IMPERIORVM MVTATIONES ET RVINAE.

Verè apud Xenophontem *a* Critias inquit: Omnes

a Fuit vnus ex 30. Tyrannis.

Ἑλλὴν β. mutationes Rerumpublicarũ, & imperiorum cædibus constant.

πᾶσαι μεταβολαὶ τῶν πολιτειῶν θανατηφόροι. Serpens non fit Draco, nisi multos serpentes deuoret.

I. Exempla Monarchiarum.

Primùm igitur ruinas regnorum consideremus, quæ nos de ira Dei aduersus peccatum admonent. Cùm Persæ occuparent regnum Babylonicum, non solùm rex Balthasar, cuius fit mentio Danielis 5. trucidatus est, sed haud dubiè etiam multitudo *b* pœnas securitatis, & aliorum scelerum persoluit.

Xenoph. 2. lib. παιδείας Cyri.

b Xenophon scribit, quòd Babylonij tùm celebrarint Bacchanalia : Itaque Cyrus vrbem vino somnóque sepultam, vt ille de Troia inquit, inuasit.

II. Etsi autem Cyrus omnium regum mitissimus fuit, tamen huius armis florentissima pars orbis terrarum, videlicet Ionia, horribiliter vastata est. Voluit enim Deus punire libidines Græcæ gentis in Asia.

Clementia Cyri erga auum Astyagen, à quo iussus fuerat exponi, Item erga Crœsum, ostendit, quàm mitis, & benignus fuerit Cyrus.

Post Sodomam deletam, nullus tractus, nullus hortus pulcrior, fœcundior & amœnior fuit, quàm Ionia, id est, illa Prouincia Asiæ minoris, in qua fuit Ephesus, Miletus, & aliæ insignes vrbes.

III. Quis non cohorrescat, animo colligens tristissima bella, quæ mortem Alexandri secuta sunt? Nam successores Alexandri velut catuli, opimam prædam à Leone obiectam auidè discerpserunt, & prædæ cupiditate irritati, mutuam inter se lanienam exercuerunt.

IIII. Quantum sui, & peregrini sanguinis fudit Roma, donec imperio orbis terrarum potita est? Postea barbaræ nationes Gothica, Vandalica, Hunnica, Arabica, Turcica, infusæ in Italiam, Aegyptum, Africam, Asiam, magnis cladib⁹ generis humani dissipauerunt imperium Romanum.

Bella ciuilia inter Marium, & Syllam: Augustum & Antonium, &c. De C. Iulio Cæsare scribunt historiæ, ipsius ductu & auspicijs, perijsse duodecies centena millia.

Post mortem Theodosij Imperatoris

peratoris mox in Italiam, & reliquas Prouincias Romani Imperij impetum fecerunt Gotti, Vandali, Hunni, &c. Tandem tempore Heraclij circa annum Christi 600. exortus est Mahometus Arabs, qui Sarracenos impulit ad occupandam Aegyptum, Asiam, Africam, &c. Ante annos circiter 300. exortus est Othomanus, primus Turcarum Tyrannus, à quo reliqui Turcici Imperatores propagati sunt, qui adhuc hodie imperant.

Has tristissimas mutationes Imperiorum nemo existimet fortuitas esse, sed sciamus à Deo puniri tùm principum, tùm populorum scelera.

PESTILENTIAE.

Pestis, quæ tempore Dauidis grassata est, septuaginta hominum millia tridui spacio absumsit: 4. Reg. 24.

Initio belli Peloponnesiaci grassata est tàm sæua pestis, vt membra resoluta putrefactione à reliquo corpore deciderent, & in quibusdam, qui ex morbo recreati sunt, tanta extitit obliuio, vt nec suos, nec seipsos agnoscerent.

Thucidides lib. 2.

FAMES.

Homerus Odysseæ 12. verissimè inquit: Omne quidem mortis genus miseris mortalibus acerbum esse, sed tristissimum genus esse fame mori. Hoc dictum Homericum exempla, quæ sequuntur, declarant.

Odyss. μ'. Πάντες μὲν στυγεροὶ θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσι,
Λιμῷ δ' οἴκτιστον θανέειν, καὶ πότμον ἐπισπεῖν.

Fames tempore Ioseph septem annos durauit in vniuerso orbe. Genes. 41.

Fames trium annorum tempore Eliæ. 3. Reg. 17.

Fames tempore Elisæi tanta fuit, vt caput asini octo argenteis, & quarta pars Cabi stercoris columbarum quinque argenteis venderetur. 4. Regum 6.

Log sextarius. Cabus quatuor sextarij. Ergo quarta pars Cabi est sextarius, Ein Nössel.

Propter inopiam commeatuum exercitus Cambysis deci-

matus est, id est, sorte decimus quisque lectus, vt sua carne cæteros aleret. Herodotus lib. 3.

Sub Claudio Cæsare fame grauissimè laboratum est ferè in toto orbe, maximéque in Oriente. Actor. 11.

Agabus Propheta prędixit hāc famem, quæ fuit anno 6. vel 7. Claudij.

DILVVIA.

Diluuium vniuersale, in quo totum humanum genus perijt, excepta familia Nohe. Genes. 7.

Diluuium particulare in Attica ante Cecropem, qui Leges coniugii restituit. Pausanias in Atticis.

VRBIVM EXCIDIA.

Deletio Sodomæ, & vicinarum vrbium, Genes. 19.

Excidium Troiæ. Excidia vrbis *Phoceæ*, Xanthiorum, Herodotus lib. 1.

Conflagratio Sardium. Herodot. lib. 5.

Thebæ funditus deletæ ab Alexandro. Diodorus lib. 17.

Corinthus diruta, & ante oculos prostrata à Lucio Mummio. Florus.

Carthago à Scipione inflammata arsit totos dies sedecim. Florus.

Numantia ab eodem deleta. Florus.

Roma à Totila rege Gottorum inflammata. Agathius de bellis Gottorum.

Excidium Hierosolymæ postremum, quod longè superat aliarum vrbium deletionem. Hæc exempla referantur ad dictum Malachiæ 4. Ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate, id est, vastitate & solitudine.

Iosephus de bello Iudaico.

OBSIDIONES ET EXPVGNATIONES VRBIVM DIFFICILIMAE.

Babylonij obsessi à Dario Histaspis, matres, & coniuges, & liberos interfecerunt, ne exercitui commeatus deessent. Herodotus lib. 3.

Dum

Dum vrbs Sidon ab Ocho per proditionem occupatur, Sidonij ipsi vrbem & sese, coniuges & liberos, & familias incendio perdiderunt, & scribit Diodorus lib. 16. (*in historia Philippi*) periisse plus, quàm quadraginta millia hominum.

Tyrum Alexander septem mensibus obsedit, vt narrat Diodorus lib. 17. qua tandem expugnata, septem millia in oppugnatione trucidata sunt, duo millia postea suspendit Alexander, & multa millia vendidit.

Saguntini oppugnati ab Annibale plerique in ignem semetipsos præcipitârunt.

Polybius lib. 3. in descriptione 2. belli Punici.

Cùm vrbs Xanthiorum in Lycia obsidione cincta esset à Bruto, Ciues ipsi vrbem inflammarunt, & sese in ignem coniecerunt. Plutarchus in Bruto.

Prouinciola minoris Asiæ.

In obsidione Hierosolymæ postrema, matres coxerunt suos liberos. Iosephus.

Capta Constantinopoli, regiæ virgines à militibus per ludibrium stupratæ, postea interfectæ sunt.

CLADES IN BELLIS ACCEPTAE.

Clades	Tribus Beniamin propter strupratam Leuitæ coniugem. Iud. 19.	cæsi	25000
	Syrorum. 3. Reg. 20.		100000
	Asyriorum. 4. Reg. 19.		185000
	Israelitarum. 2. Paralip. 13.		500000
	Tribus Iuda regnante Achas. 2. Paralip. 28.		124000

Ea est hoc tempore rabies & furor aduersariorum nostrorum, vt valde sit metuendũ, nos non aliena exẽpla calamitatum perpetuò contemplaturos, sed etiam breui conspecturos domestica & propria, partim publica, partim priuata. Hæc non ideo commemoro, vt quẽquam languefaciam & terream quẽquam: Est aliqua salutaris contristatio, vt Paulus inquit in Corinthijs, quæ prodest ad pœnitentiam: sed ideò, vt iuniores cogitent, non semper nos

fore spectatores alienarum calamitatum: Quod quidem spectaculum ipsum est tristissimum, sed fieri posse, nisi Deus clementer mala auertat aut mitiget, vt ipsi aliquando in scenam producamur, & circumferamus signa reatus. Quæ cùm ita sint, vestrum est, cum doctrina, & de hoc articulo, quem nunc tractamus, & de omnibus alijs partibus, adiungere ardentia vota, & gemitus, & petere à Deo mitigationem, & vt reprimat sua præsentia hunc postremum Diaboli furorem, qui nunc grassatur sæuissimè, partim sophistica, partim armis & sæuitia. Certè nunc versamur in Ecclesia, tanquam in ciuitate infirma, quæ est cincta vndique ab hostibus, & acerrimè oppugnatur. Tali loco & tempore esse securum & ebrium, indulgere voluptatibus, & petulanter ludere quoquo modo, perinde est, vt si quis in media morte furenter luderet. Memini dictum Euripidis, quod vulgò iactatur: Iuuenilis animus nō amat dolorem: Nam neque intelligit publica pericula, nec satis illa considerat: sed tamē sunt iuuenes admonēdi, & velut è somno excitandi, vt cogitent vitam humanam non esse Paradisum, non hortum amœnum, sed vallem plenam miseriarum, & tamen nos à pastore nostro Iesu Christo Filio Dei, tegi, iuuari, seruari, defendi mirabiliter, sicut Psalm. 20. inquit. Meminerimus igitur esse nos ouiculas huius pastoris & Ducis, præstantis viribus & potentia, qua potest repellere insidias, & tela hostium, & simus modestiores.

Clades	Atheniensium in Sicilia. Thucydid. lib. 7.	cæsi	60000
	Persarum ad Platæas. Herodotus lib. 9.		300000
	Romanorum ad Cannas. Liuius lib. 2. decad. 3.		50000
	Carthaginensium ad Senam, Liuius lib. 7. decad. 3.		56000
	Armeniorum. Plutar. in Lucullo.		150000
	Cimbrorum. Plutarchus in Mario.		140000
	Hunnorum in agro Tolosano.		180000

Attila fuit Dux Hunnorum.

SEDITIONES.

Quantum malum sit seditio, duo dicta sapientissimorum historiæ scriptorum declarant.

Sic

Sic enim Thucydides lib. 3. inquit: In ſeditionibus omne genus ſcelerum graſſatur, & nihil mali non ineſt: Et Herodotus lib. 8. Quantum diſtat bellum à pace, tantum differt ſeditio à bello.

πᾶσα ἰδέα κατέστη κακοτροπίας διὰ τὰς στάσεις.

στάσις ἔμφυλος πολέμου ὁμοφρονέοντος τοσούτῳ κάκιόν ἐστιν, ὅσῳ πόλεμος εἰρήνης.

Nulla ſalus bello. Sed centuplo maius malum eſt ſeditio, quàm bellum.

Exempla ſeditionum.

Seditio Abſolonis, in qua perierunt plus quàm viginti millia hominum. 2. Reg. 18.

Seditio Corcyræa deſcripta à Thucydide libro tertio.

Corcyra inſula inter Græciam & Italiam.

Seditio Iudaica, cuius Dux fuit Barcosban. Dion in vita Adriani. Euſebius lib. 4. cap. 6.

Sub Adriano Iudæi exules, & diſsipati in totum orbem terrarum, collegerunt magnum exercitum, & inuaſerunt terram ſanctam, nec tantùm ibi graſſati ſunt, ſed etiam in Cypro, & in alijs vicinis Prouincijs ſæuitiam exercuerunt, ſed tandem ſunt ab Adriano magno labore repreſsi.

Seditio ruſticorum, in qua perierunt centena millia. Schleidanus.

Seditio Monaſterienſis. Schleidanus.

NAVFRAGIA.

Anno decimo primi belli Punici quadringentæ naues Romanorum ſubmerſæ ſunt, aut ſcopulis alliſæ. Polybius lib. 1.

TERRAEMOTVS.

Plinius lib. 2. cap. 84. Nec verò ſimplex malum, aut in ipſo tantùm motu periculum eſt, ſed par aut maius oſtentum. Nunquam vrbs Roma tremuit, vt non futuri euentus alicuius id prænuntium eſſet. Et Pſalmus 18. inquit: Terra tremuit & commota eſt: Quia iratus eſt Dominus.

Ante Leuctricam pugnam Bura & Helice in Achaia terræmotu demersæ sunt in mare. Polybius lib. 2. pag. 31.

Liuius lib. 2. decad. 3. Tantus fuit ardor animorum, adeò intentus pugnæ animus, vt eum terræmotum, qui multarum vrbium Italiæ magnas partes prostrauit, auertítque cursu rapidos amnes, mare fluminibus inuexit, montes lapsu ingenti proruit, nemo pugnantium senserit.

Ad Thrasimenum locum.

Maximus terræmotus extitit Tiberij Cæsaris principatu, duodecim vrbibus Asiæ vna nocte prostratis. Plinius libro 7. capite 84.

EXILIA ET DISSIPATIONES GENTIVM.

Esaias cap. 64. tristi forma verborum pingit magnarum gentium dispersiones: Iniquitates nostræ, sicut venti disipauerunt nos. Hoc triste πάθος aliquo modo intelligitur, consideratis exemplis, quæ sequuntur, & aliis, quæ sunt infinita.

Disipatio decem tribuum Israel. 4. Reg. 17.

Exilium populi Iudaici in Babylone.

Disipatio gentis Iudaicæ perpetua.

TYRANNORVM IN SVPPLICIIS IMMANITAS.

Seneca inquit in quadam Tragœdia: Rudis tyrannus, morte qui pœnam exigit: Hoc dictum tyranni non solùm intelligunt, sed etiam re probant, vt exempla sequentia ostendunt.

Mithridates Persicus adolescens nouo genere supplicij, quod vocant Scaphismum, necatus est. Plutarchus in Artaxerxe.

16. dies durauit hic cruciatus.

Narratur in secundo Maccabæorum horrendum supplicium duarum fœminarum, quæ infantes suos contra edictum Antiochi circumcidisse erant præfecto regio proditæ. Is mandauit infantes strangulatos mulieribus nudatis de vberibus suspendi, easque ad terrorem aliarum per omnes vrbis vicos circumductas tandem de muro præcipites dari.

Alexandri

Alexandri Pheræi in Thessalia tanta fuit crudelitas, vt homines insueret in pelles vrsorum & aprorum, & incitaret canes ad eos lacerandos, Item, vt viuos defoderet. Plutarchus in Pelopida.

Interfectus est tandem à coniuge & fratribus.

Extat laudatio apud Xenophontem lib. 1. Iasonis Pheræi, à quo hic Tyrannus originem duxit. Quod exemplum est degenerationis filiorum.

Ptolemæus Lathurus (ἀ λανθάνω, *lateo*) in finibus Iudææ populatus est villas, & iussit occidi mulieres, & infantes, & dissecta eorum membra coqui, quibus elixis & assatis vesci Iudæos coegit. Iosephus.

Hic Ptolemæus 8. est in Catalogo Ptolemæorum, qui fuerunt successores Alexandri, vsque ad Augustum.

Vandali in Africa tanta immanitate propagarunt Arianum virus, vt nudatas matronas ac virgines in conspectu populi vrerent. Victor de persecutione Vandalica.

Manus a. um, id est, bonus in veteri lingua, apud Pontanum: Inde immanis, id est, ab omni bonitate alienus.

Turcæ non parcunt impuberibus puellis, mulieribus ac senibus sed abiiciunt dissectos infantes, trucidant senes, puellas & mulieres affectas contumelia iugulant.

Hæc exempla calamitatum nos commonefaciant de ingenti ira Dei, & de magnitudine peccati, & hortentur nos, vt simus modestiores, & in omnibus piis officiis diligentiores, & in inuocatione ardentiores.

CAPVT II.

De quatuor Generibus calamitatum in Ecclesia.

QVemadmodum in non *a* renatis nullum discrimen est peccati mortalis, & venialis: Quia omnia peccata non renatorum sunt mortalia: Ita extra Eccle-

a Vt in Alexandro, & aliis extra Ecclesiam.

siam omnes calamitates publicæ & priuatæ sunt pœnæ peccati. At in Ecclesia gradus calamitatum constituendi sunt, cùm Deus ipse affirmet, Sanctos non semper premi, atque exerceri ærumnis propter peccatum, tanquam propter causam propinquam & principalem.

Deus ipse excusat Iob, & disertè affirmat eum affligi, non propter certa delicta, aut disciplinæ violationem. Ita Iohan. 9. quærentibus discipulis de cæco, respondet Christus: Neque ipse peccauit, neque parentes eius peccauerunt, sed vt in eo manifestetur gloria Dei.

Sunt igitur quatuor genera calamitatum in Ecclesia: Primum est τιμωρία, vt exilium Dauidis post raptam alterius coniugem, & interfectum maritum. Hic gradus non est satisfactio, seu compensatio pro peccato, sed est partim νουθεσία, id est, admonitio, partim παράδειγμα, id est, exemplum. Nam & Dauid castigatus, admonetur de pœnitentia, & de diligentia vitandi lapsus, & alii in hoc exemplum intuentes discunt, quanta res sit ira Dei, non parcentis Dauidi, summo regi & Prophetæ. Si enim hoc fit in ligno viridi, quid fiet in arido? id est, Si Deus non parcit præcipuis luminibus Ecclesiæ, sed delicta eorum punit, quantò minus parcet aliis, qui contumaciter perseuerant in atrocibus delictis.

Monachi, quando consolati sunt miseros homines, qui ducebantur ad supplicia, hæc verba vsurparunt: Sis bono animo, quia hi tui dolores erunt pars satisfactionum pro peccatis tuis. Du wirst deine Sünde büssen mit dieser Schandt.

Præconium Dei de Dauide. Inueni virum secundum cor meum.

Iob. 9. Verebar omnia opera mea, sciens quod non parcis delinquenti.

Secundum genus est δοκιμασία. Vt enim Lydius lapis discernit verum aurum à prauo, Ita afflictio efficit patientiam, & patientia probationem, id est, discernit veram fidem à ficta & simulata professione doctrinæ. Rom. 5.

Scilicet in iustificatis fide, habentibus pacem, &c.

Tertium

Tertium est μαρτύριον. Etsi enim doctrina de Deo certa est, propter Deum asseuerantem, & testificantem de sua essentia & voluntate: tamen non leuia neque infirma sunt testimonia huius doctrinæ, Confessio Ecclesiæ, & sanguis Martyrum.

Patefactio est fundamentum, quo nititur tota doctrina Ecclesiæ.

Augustinus: Euangelio non crederem, nisi me moueret Ecclesiæ authoritas, id est, Credimus quidem ipsi Deo asseueranti, & testificāti per miracula de sua doctrina: Hæc est prima causa nostræ assensionis, & primum sigillum πληροφορίας: sed non aspernanda est confessio & consensus Ecclesiæ perpetuus, qui testatur, hos libros non essent fictos & commentitios, non prolatos ab ignotis, & obscuris hominibus, sed à fide dignis, qui à Deo vocati sunt, & testimonium habuerunt Spiritus sancti.

Quoties igitur de certitudine doctrinæ diuinitus traditæ cogitamus, primùm in mentem veniat Scriptura Prophetica & Apostolica, quæ est κριτήριον minimè fallens. Deinde miracula, quæ sunt σφραγῖδες doctrinæ. Tertiò, confessio &

Prophetæ passim hoc inculcant: Dixit Dominus, Factum est verbum Domini ad Esaiam, Os Domini locutum est, Sic locutus est Dominus.

consensus perpetuus Ecclesiæ, de quo Augustinus inquit: Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ moueret authoritas. Postremò sanguis tot Martyrum, qui pro testamento Dei corpora sua in mortem tradiderunt, & in sanguine agni lauerunt stolas suas, vt in Apocalypsi cap. 7. dicitur.

A Christo nato, vsq; ad Constantinum Magnum anni sunt 300. & paulo plures. His 300. annis fuerunt decem persecutiones Ecclesiæ, sed omnium atrocissima fuit sub Diocletiano, quo regnante, nullus dies abijt, quin Alexandriæ, vt minimum, decem Christiani, propter confessionem trucidati sint. Sancti lauant suas stolas in sanguine agni dupliciter. 1. Quod ad meritum Christi attinet. Quia propter Christum solum accipiunt remissionem peccatorum, & vitam æternam. 2. Imitatione. Quia proximè accedunt ad imaginem Filij Dei, sicut Roman. 8. Quos vocauit, hos vult conformes fieri imaginis Filij Dei.

Quartum genus est λύτρον, id est, precium pro aliorum peccatis. Tale autem est sola mors vnius Filij Dei. Sic Math. 20. nominat suam passionem ipse Filius Dei: Qua voce admonemur de temperamento iustitiæ & misericordiæ Dei, de quo aliâs sæpe dixi.

Paulus Roman. 5. Pro iusto vix aliquis moritur.] Id est, fures & latrones, qui debent Legibus pœnas, & ordine iustitię obligati sunt ad tolerandum supplicium, fugiunt & reformidant mortem. Quia natura vniuersaliter fugit destructionem sui, & amat conseruationem.

Sequitur in Textu.

Pro bono ausit fortassis aliquis mori.] Id est, spe alicuius commodi, quod compensat dolorem, audet vir fortis mortem oppetere & profundere vitam. Hæ Pauli sententiæ huc pertinent, vt intelligamus, non esse rem paruam, aut ludicram Martyrum constantiam in supplicijs, quam Apocalypsis describens inquit: Hi sunt viri sancti, qui pro testamento Dei corpora sua in mortem tradiderunt, & in sanguine agni lauerunt stolas suas.

CAPVT III.

De causis calamitatum in toto genere humano, & in Ecclesia.

Ristoteles in 3. Ethicorum cap. 3. quatuor species causarum efficientium recenset, à quibus gubernantur actiones & motus in tota rerum vniuersitate. Prima causa est natura, id est, substantia con-
I. stans ex materia & forma. Secunda est necessitas, id est, ordo
II. motuum cœlestium. Tertia est fortuna, quæ est causa per acci-
III. dens in natura rationali, cui aliquid accidit, vel boni, vel mali,
IIII. quod non est prouisum. Quarta & postrema est Mens, cuius appellatione complectitur Aristoteles partem iudicantem, & partem appetentem.

Hanc Aristotelicam distributionem ideò repeto, vt intelligi possit reductio calamitatum ad causas, de quibus Physici disputant.

putant. Nam Physici, qui de materia & forma disserunt, referunt mortem humanam, & morbos ad temperamentum, quod est in materia Elementorum, vt cùm videmus poma, & flosculos putrescere, postquam calor natiuus extinctus est ab humiditate superante. Ita dicunt Philosophi extincto calore naturali existere morbos aut mortem.

Deinde Astrologi reducunt morbos & mortem ad certos stellarum positus, hoc est, coniunctiones, oppositiones, & ad alios aspectus. Tertiò, Epicuræi, & vulgus referunt humanas calamitates ad casum & ad fortunam. Postremò, Ethici referunt scelera & pœnas ad mentem & voluntatem hominis. Etsi autem Philosophi verè hæc dicunt de causis propinquis, tamen de prioribus & principalibus causis, & dubitant ipsi, & alios in dubitatione relinquunt, velut tempestatibus iactatos. Est igitur Philosophorum sapientia, hoc quidem in loco, in quo disputatur de causis calamitatum nihil aliud, nisi petitio principij: Hoc enim ipsum quæritur, quare in tàm præstanti natura corpus perinde sit obnoxium morti, sicut poma putrefactioni. Item vnde sit in mente tanta caligo de maximis rebus, & in parte appetente tanta confusio, ἀταξία errantium affectuum.

Necesse igitur est doctrinam de tantis rebus hauriri, non ex cisternis Philosophorum, quæ non possunt continere aquam, sed ex fontibus Israel, id est, scriptis Propheticis & Apostolicis.

DE PRIVATIONE ARISTOTELICA.

Aristoteles in 1. Physicorum componit omnes res naturales ex duabus partibus, seu principijs; videlicet ex materia & forma. His adiungit priuationem, quæ etsi non est pars constituens rem naturalem, tamen est præparatio & aditus ad vicissitudinem generationum, corruptionum & alterationum in tota rerum natura. Significat autem priuatio Aristoteli duo, videlicet defectum & appetitionem. Vt enim fœmina appetit virum, Ita materia appetit formam. Sed vt adultera non est contenta vno marito, sed nouos amatores expetit; Ita Aristoteles tribuit materiæ va-

gabundam & infinitam appetitionem formarum. Etsi enim nunc materia ornata est pulcerrima & præstantissima forma, scilicet humana, tamen in hac non acquiescit, sed subinde alias longè inferiores ac deteriores cæco impetu desiderat. Itaque ex corpore humano post mortem resoluto in Elementa sæpè nascitur pomum, ex pomo fit caro, ex carne rursus homo, & sic deinceps. Hæc summa est sententiæ Aristotelicæ de priuatione, de qua multi prodigiosas opiniones finxerunt. Quia enim Aristoteles non potuit digitum intendere ad verum fontem mortis humanæ, finxit in materia talem quandam appetitionem cæcam & inordinatam, non dissimilem amori adulteræ.

Mala Αυτόματα.

Αυτόματον significat quiddam spontè veniens, non accersitum, aut quod suo quodam impetu sine externa impulsione mouetur. Prioris significationis exemplum est versus Homericus Iliad. 2. Αυτόματος, id est, sua sponte non vocatus, non inuitatus venit ad conuiuium Menelaus voce præstans. In altera significatione dicitur columbā Archytæ Taretini fuisse Αυτόματον, sicut nunc horologia nostra dicuntur esse corpora αὐτόματα, id est, quæ sine externo adminiculo mouentur librata ponderibus. Ita Mors dicitur αὐτόματον malum. Wenn du jhm gleich keinen Botten schickest / er kompt wol vngeruffen / wann das Stündtlein auß ist.

Αυτόματος δέ οἱ ἦλθε βοὴν ἀγαθὸς Μενέλαος.

Psalm. Doce me numerum) D. Mart. Lutherus. Quid habemus de tempore? Præteritum abijt, nec potest recuperari. Futurum nondum adest, & est incertum. Quid ergo restat nobis, nisi præsens, quod est momentum subitò euanescens? Non sunt igitur huius mundi afflictiones dignæ, vt conferantur cum æterna gloria.

Quis hos fontes malorum satis, &c.]

Eurip. in Oreste statim in principio ita exclamat:

Neque tàm terribilis vlla fandi ratio est,
Neque sors, neque ira cælitum inuectum malum,
Quod humana natura patiendo non ferat.

Ita

Ita enim conuertit versus Euripidæos Cicero in 4. Thusc. Est querela de humanis miserijs.

Tristiores sunt quàm vt) ἀδύνατον.

Sed difficilius) Amplificatio à collatione.

Difficilius est cogitare.]

Psalm. 90. Quis nouit potentiam iræ tuæ, & quis metuit iram tuam? hoc est: Hæc infirma & cæca natura hominum nunquam satis videt, quanta res sit peccatum, nec satis veretur iudicium Dei.

Cur Abel) Inductio exemplorum.

Cur Esaiam.) Etsi de morte Esaiæ nihil narrat historia in libris Propheticis, tamen scribunt Epiphanius & Hieronymus, à rege impio Manasse interfectum, ac serra dissectum esse.

Epiphanius scripsit libellum de morte Prophetarum.

Merces Prophetica.

Cur Hieremiam Apryes.) In Oratione de Ambrosio. Ieremias cap. 44. vaticinatur de Aprye, qui regnauit in Aegypto post deletam à Chaldæis Hierosolymam, & vt Propheticæ narrationes de rebus peregrinis sunt breues, non recenset Hieremias, quàm fuerit truculentus Tyrannus, & quomodo regnum amiserit. Et cum Apryes dicatur regnasse quinque & viginti annis, arbitror Ieremiam interfectum, siue ab ipso, siue à popularibus,

Ego tradam animam Ophryis in manus inimicorum eius.

Expugnata Hierosolyma rex Nabuchodonosor clementissimè tractauit Ieremiam, & dedit mandata suo Præfecto, ne vllo modo lædi pateretur Prophetam. Quod exemplum clementiæ in Ethnico rege dignum est admiratione & prædicatione. Etsi igitur Chaldæi non sæuierunt in optimum senem Ieremiam: tamen à suis est contra voluntatem abstractus & abreptus in Aegyptum, vbi tādem vel à Tyranno Aprye, vel à suis popularibus est interfectus.

Non vixisse, cùm Apryes regno exutus & strangulatus est.

Amasis dicitur ab Herodoto quidam obscurus, qui strangulauit Apryem Tyrannum, & po-

stea in eius locū successit, quē cum ꝓpter obscuritatem generis reijcerēt Aegyptij, hoc stratagemate ad conciliandā populi beneuolentiā vsus est: Inuitauit ad cœnam principes Aegyptios, & nobiles, & apposuit peluim auream, & postero die ex hac ipsa pelui conflauit idolum aureum, & vt adoraretur publicè proposuit. Aegyptij, qui in cœna pridie lauerant manus & pedes ex pelui, adorabant tamen idolum, quod prioris formæ nullum habebat vestigium. Amasis verò iterum ad se vocauit Aegyptios, & rogauit, cur huic idolo tantum honorem adhibuissent, cùm hesterno vesperi lauissent ex pelui, ex cuius auro fabrefactum esset. Responderunt illi, non materiæ, sed formæ, quæ repręsentaret numen, habuisse se honorem. Bene inquit: Cor igitur mihi etiam propter ordinem & locum, in quo nunc sum, non exhibetis honorem? Sum quidem genere obscuro, sed quia euectus sum ad hoc fastigium, vestrum est mihi parere & præstare obedientiam. Hoc stratagemate tantum effecit, vt eos deinceps spontè sibi addictos haberet.

Hæc postea recitat Herodotus (lib. 2. pag. 80.) quasi incoans historiam in eo ipso articulo, vbi nostri desinunt.

Mirandum est Dei opus continuatio historiarum. In sacris Biblijs extat continua historia à condito mundo, vsque ad Monarchiam Persicam, id est, ad Cyrum, cuius fit mentio in Daniele. Vbi autem desinunt Propheticæ historiæ, ibi mox ordiuntur historiæ Græcæ, descriptæ ab Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Diodoro Siculo, & reliquis. Describitur ergo 1. Monarchia in Biblijs. Altera verò Persica, partim ab Herodoto, partim à Thucydide, partim à Xenophonte. Tertia à Diodoro Siculo & alijs. Quarta à Liuio.

Tantam verò superbiam ait Apryis fuisse, vt dixerit, sibi nec Deorum, nec hominum quenquam regnum eripere posse.

Fuit igitur grauis causa, cur ei Propheta supplicium minatus sit.

Plerunq; Ecclesia Dei est exiguus cœtus.]

Lucæ 12. Noli timere pusille grex. Quia patri placuit tibi dare regnum.

Sophoniæ 3. Relinquam in medio tui populum egenum, & pauperem, & sperantem in nomine Domini.

Iacob

Iacob amittit coniugem.]

Breuis tabella, proponens ante oculos ærumnas, & certamina sanctißimi Patriarchæ Iacob:

Iacob fugit fratrem Esau infestißimum. Genes. 28.

Fugit socerum Laban πλεονέκτην. Genes. 31.

Nullum est autem atrocius vulnus, vt inquit Sophocles in Philoctete, quàm defectio amici.

Luctatur cum Filio Dei. Genes. 32.

Congruit autem hæc imago Iacob cum dicto Paulino: Intus pauores, foris pugnæ. 2. Cornith. 6.

Stupratur filia Dina. Genes. 34.

Simeon & Leui interficiunt Sichemitas. Genes. 34.

Mors Deboræ nutricis Rachel.

Rachel in partu extinguitur.

Ruben polluit incestu concubinas patris.

Isaac pater moritur. Genes. 35.

Ioseph venditur à fratribus. Genes. 37.

Iudas contaminatur incesta consuetudine nurus Thamar. Genes. 38.

Fames in terra Canaan. Genes. 41.

Beniamin patri carißimus abducitur in Aegyptum. Genes. 43.

Iacob senex migrat in Aegyptum. Genes. 46.

In hanc tabellam intuentes discamus, quantam molem miseriarum sanctißimi Patriarchæ sustinuerint. Pudeat etiam nos nostræ molliciei, qua nolumus perferre aliquos dolores profuturos Ecclesiæ.

Scandala rationis de prouidentia consideranda sunt, vt magis dulcescant causæ & consolationes calamitatum Ecclesiæ.

Omnis quæstio erudita debet habere grauem rationem dubitandi: Cum igitur nunc recitandæ sint causæ, propter quas Ecclesia cruci subiecta est, prudenter admodum hactenus ratio dubitandi, & quærendi exposita est, cuius summa comprehendi potest Christi dicto Matth. 11. Beatus, qui non fuerit in me scandalizatus. Hoc loco quærat aliquis, quæ res offendant sapientiam humanam, & alienent animos à Christo & Ecclesia.

Tria sunt, quantum ego existimare possum, scandala, quibus præcipuè offenditur humana ratio, intuens Christum & Ecclesiam. 1. est humilis & abiecta species Christi & Ecclesiæ. Nam Christus non solùm nascitur, sed etiam viuit & moritur in summa paupertate, sicut ipse inquit Matth. 8. Vulpes habent foueas, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet. Et Lucæ 2. scribitur: Non erat ei locus in diuersorio. Ecclesia verò non modò pusillus grex est, sed etiam pauper & egenus, vt Sophonias inquit. Alterum est nouitas & absurditas doctrinæ, quæ est ignota rationi, sicut Paulus inquit 1. Cor. 1. Nos docemus Euangelium, quod est Iudæis scandalum, & Græcis stultitia. Tertium scandalum est magna moles calamitatum & periculorum, quæ comitantur puram & constantem Euangelij professionem, iuxta illud: Qui vult me sequi, tollat suam crucem. Ne autem nos quoque hæc tria obiecta à Christo & Ecclesia abducant, transferamus animos ad considerationem causarum, propter quas Ecclesia cruci subiecta est.

Triste πάθος.

DE PRIMA CAVSA.

Duo dicta, pertinentia ad hanc causam vniuersalem omnium calamitatum in Ecclesia, & in reliquo genere humano.

Genes. 3. In historia de lapsu primorum parentum dicitur: Quia violasti mandatum meum, ideò in puluerem reuertêris, de quo sumtus es.

De causa mortis.

1. Corinth. 15. Aculeus mortis est peccatum, id est, causa mortis non est Aristotelica priuatio, seu fluxus materiæ, sed peccatum, id est, contumacia aduersus Legem Dei. Est autem insignis Metaphora in dicto Pauli, quæ pingit mortem, tanquam sæuum militem, armatum peccato velut hasta, & iugulantem infantes & senes, & omnes homines sine respectu ætatis, sexus, & conditionis. Et addit Paulus, Peccati potentiam esse Legem, quasi dicat: Peccatum non esset tàm sæuum & crudele, nec tàm latè grassari posset, si non acueretur à Lege accusante & condemnante hominum peccata. Vt igitur ferrum acuitur cote: Ita

De vsu Legis.

peccatum

peccatum per Legem fit excellenter peccatum, id est, reum & damnans, & adferens mortem.

DE SECVNDA CAVSA.

Mundus positiuè significat pulcerrimum ordinem corporum mundi, hoc est, cœli, stellarum, Elementorum, & aliarum specierum, &c. Hac significatione vtuntur Philosophi disputantes de Mundo. Deinde eadem appellatio priuatiuè significat ἀταξίαν, id est, confusionem opinionum, & affectuum in Diabolis & hominibus. Hac significatione sæpissimè vtitur scriptura: Præcipuè verò Iohannes in Euangelio, & in Epistolis.

De appellatione mundi.

1. Iohan. 2. Quidquid est in mundo, aut est concupiscentia carnis, id est, tetra confusio libidinum & helluationum: Aut est concupiscentia oculorum, id est, auaritia inexplebilis: Aut est superbia vitæ, id est, ambitio, æmulatio, cupiditas regnādi, φιλαρχία. Ieremiæ 30. Castigabo te in iudicio id est, cum quadam ἐπιεικείᾳ, seu mitigatione, Mit massen/ opponitur τῇ πανολεθρίᾳ.

Mundus in maligno positus est.

Auaritia habitat in oculis, Die Augen sind allweg weiter denn der Bauch.

Symbolum Pompeij: αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Sicut differunt virga paterna, & gladius carnificis: Ita differt castigari in iudicio, & in furore.]

DE TERTIA CAVSA.

Longam telam texit.]

Hostis Dei & Ecclesiæ, ipso vsu factus nequior, habet exploratum, hunc ordinem causarum & effectuum, ac scit peccati comitem esse pœnam, iuxta illud Iob 9. Scio, quòd non parcis delinquenti. Scit etiam in pœnis & calamitatibus homines dubitare de Deo, de prouidentia, de voluntate Dei. Denique non ignorat, dubitationem proximum gradum esse ad desperationem. Vtitur ergo callidissimus Spiritus hac gradatione. Ego impellam hunc miserum hominem ad peccandum, qui scelere patrato hærebit in pœna, & propter concursum calamitatum mergetur in dubitationem, quam ego meo afflatu, & varijs spe-

Peccatū. Pœna. Dubitatio de Deo. Desperatio.

ctris sic augebo, vt tandem miser ruat in desperationem. Hanc telam Diaboli considerantes viuamus in timore Domini, & maiore cura vitemus corruptelas doctrinæ cœlestis, & lapsus in vita & moribus. Et quia humana diligentia nequaquam par est calliditati huius veteratoris, semper cum diligentia nostra coniungamus ardentissimam precationem, vt Filius Dei hunc hostem reprimat, iuxta dictum Christi, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Christus conterit caput, hoc est, destruit regnum & opera Diaboli: Econtrario, mordet calcem Christi serpens.

1. Petri vltimo.]

In dicto Petri pondera verborum diligentissimè expendantur. Primùm enim significat Petrus, quanta sit Diaboli potentia, dùm non muscæ, sed leoni hunc hostem comparat. Verè enim in libro Iob cap. 41. scribitur: Non est potestas in terra, quæ ei comparetur, &c. Auff Erden ist nicht seines gleichen.

Iure ergo reprehenditur *insulsitas* Iudæorum, qui in Euangelio hunc hostem extenuantes appellant Baal Zebub, id est, Dominum muscæ. Deinde rugitus Leonis pingit iram & odium Diaboli aduersus Ecclesiam, de quo Apocalypseos 12. Iohannes inquit, Væ terræ & hominibus, quia ad vos descendit Diabolus, habens iram magnam, quia scit, quòd modicum tempus habeat, quasi dicat: Etsi Diabolus omnibus ætatibus in Ecclesiam sæuijt, vt ostendunt exempla Tyrannorum & hæreticorum, qui partim manifesta vi, partim impia fraude Ecclesiam oppugnarunt, tamen hic hostis in fine suæ tyrannidis multò atrociùs & sæuiùs grassabitur, cùm sciat paulò post venturum esse iudicem, qui Ecclesiam ab omnibus malis liberatam ducet in æterna tabernacula, & hostes Ecclesiæ Diabolos patefacta ipsorum turpitudine abijciet in æternas pœnas. Tertiò πανουργία, id est, calliditas veteratoria describitur verbo obambulandi: Quia Diabolus intentus est in omnes occasiones, quibus possit nos euertere, & tentat omnes vias premendi Ecclesiam, & si hac

A Paulo dicitur κοσμοκράτωρ: Item à Christo vocatur princeps mundi.

Πανοῦργος, mille opifex fraudum, Tausentkünstler.

non

non ſucceſsit, alia via rem aggreditur: Denique nihil omittit, quod ſpectet ad vniuerſalem interitum (πανολεθρίαν) Eccleſiæ, & omnium bonarum rerum. Poſtremò conſideretur in dicto Petri immanis ſæuitia huius graſſatoris. Non enim contentus eſt vulnere, aut laceratione, ſed conatur nos totos deuorare & abſorbere, hoc eſt, auellere à Deo, & præcipitare in æternum exitium.

Lucæ 22. Sathanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum.

DE QVARTA CAVSA.

Pœnæ ſunt partim νυθεσίαι, commonefactiones de pœnitentia & alijs magnis rebus, partim παραδείγματα, quibus moti alij homines diſcant cautiùs mercari, & accuratiùs ambulare.

Seditio mota ab Abſolone.) In hac perierunt plus 20000. & haud dubiè maior pars in æternum exitium præcipitata eſt.

EPIGRAMMA DE ABSOLONE pendente ex Quercu.

Degener immerito rapuiſti Sceptra parenti,
O iuuenis patriæ peſtis acerba tuæ.
Digna tuis cœptis ſed pœna ſecuta, vagantem
Frondibus arboreis implicuere comæ.
Haſta Ioab maduit forti vibrata lacerto
Sanguine, transfixo pectore, tincta tuo.
Has ſcelerum pœnas pulſo dedit ille parente,
I nunc & patrijs inſidiare bonis.

Sic Oſias.) πολυπραγμοσύνη nunquam eſt fœlix, ἱππεὺς ἱππεύειν ἐδάη, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδεῖν. Spartam quam nactus es orna.

Punitur lepra) 2. Paralip. 26.

Manaſſe ſerra diſſecuit ſanctiſs. Prophetam Eſaiam, vt ſcribunt Epiphanius & Hieronymus. Scriptura verò dicit, impleuiſſe eum vrbem Hieroſolymam cruore ſanctorum ab ore ad os, id eſt, ab vna parte ad aliam oppoſitam partem,

Phraſis Hebraica: os vocant quidquid patet.

Quare sic fecit.) Plato & Aristoteles in suis libris disputant, vnde sint mutationes Rerumpubl. Quærunt suo more, hoc est, Philosophicè, vel in astris, vel in alijs, nescio quibus rebus, caussas: sed Ieremias vno verbo docet nos de summa rei, & inquit, Idololatriam, Tyrannidem, & confusionem libidinum caussam esse tantarum mutationum.

Plinius lib. 6. inquit, in tota Orientali plaga non fuisse ciuitatem pulcriorem, aut meliùs constitutam, quam Hierosolymam. Ideò rectè eam nominat Ieremias magnam ciuitatem.

Ad puellam vnam) In fabulis Plautinis sunt exempla harum turpitudinum.

Per quæ quis peccat.]

Multa sunt euidentia testimonia prouidentiæ & iustitiæ diuinæ, sed omnium maximè illustre est, quòd modus pœnæ plerumque congruit cum modo delicti, vt Christus inquit: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Et Genes. 9. dicitur: Qui fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis eius per hominem, id est, Magistratum. Et Esa. 30. Væ, qui prædaris, quia vicissim spoliaberis. Etsi autem huius regulæ, Per quæ quis peccat, per eadem punitur, plurima exempla in omnibus historijs extant, tamen nunc breuitatis causa exemplo contenti erimus vno. Nota est historia de Rodolpho duce Sueuiæ, quem alij vocant ducem Saxoniæ, qui Pontificis Romani Gregorij VII. & Episcoporum suffragijs creatus est Imperator contra Henricum Quartum. Tandem verò in agro Lipsensi ad flumen Picam manus dextra Rudolpho amputata est, cumque in oppidum Mersburg grauiter sauciatus importatus esset, & ei dextra manus ostensa esset, his verbis compellauit astantes Episcopos: Videte Domini, Hæc est dextra, qua fidem dedi Domino meo Henrico, quasi diceret, cernitis exemplum iudicij diuini, congruens cum regula, Per quæ quis peccat, per eadem & punitur.

Non fuit Dux Saxoniæ, sed pertractus est in Saxoniam ab Episcopis.

Hæc enim amputatio dextræ, qua præstari solet iuramentum, quid est aliud, nisi pœna periurij?

Dictum Bernhardi: Vapulem sanè, dummodo afflicti miserearis.

Iohan.

Iohan. 5.) ὑποστροφαὶ, id est, recidiuæ sunt multò periculosiores.

Arguo.) scilicet verbo.

Castigo) pœnis & calamitatibus.

DE QVINTA CAVSA

Matth. 16. Qui vult me sequi.) Exemplum huius dicti est in historia Passionis de Simeone Cyrenæo, patre Alexandri & Ruffi.

Simeon à verbo Schamàh, id est, audio, quasi auditor. Ille est gestator crucis Christi. Ergo est imago Ecclesiæ.

Psalm. 125.) Ieremias docuit annos 40. ante exilium Babylonicum. Quoties hic in carcerem coniectus est, quot sustinuit ærumnas: Et tamen seruatus est, & tectus, vsque ad exilium. Tandem abreptus est bonus senex in Aegyptum, & vel à suis, vel ab Aprye interfectus est. An non hic optimus vir seminauit in lachrymis? Sed aliquando in resurrectione exultabit, & metet fructum suum, & tollet manipulos suos in exultatione.

Preciosa mors Sanctorum in conspectu Domini.]

Ratio legens talia dicta, offenditur absurditate, sed nos gloriemur, non tantùm spe gloriæ Dei, id est, hac spe, quòd Deus sit nos glorificaturus post hanc vitam, sed etiam gloriemur afflictionibus, quæ celebrant Deum, & ornant doctrinam Euangelij, & prosunt Ecclesiæ ad omnem æternitatem, & habebunt gloriosum exitum in vita æterna. Ita mors sanctorum fit pretiosa. Sic econtra mors impiorum pessima est: Quia est blasphemia aduersus Deum & Ecclesiam, & iter ducens ad æternam miseriam, qualis est interitus Saulis, Iudæ & similium.

Moriuntur in desperatione.

ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ.

Sicut quarta causa pertinet ad primum genus calamitatum, scilicet ad τιμωρίαν: Ita hæc quinta causa propriè loquitur de tertio genere calamitatum, videlicet de μαρτυρίῳ, vel testimonio. Obijciet autem aliquis, cum Deus sit verax: Omnis autem homo mendax, vt Psalmus inquit, quorsum opus est testimoniis Martyrum ad confirmandam doctrinam Euangelii? Respon-

deo. Discernendæ sunt principales causæ fidei à minus principalibus.

Etsi enim principalis causa & præcipua, confirmans assensionem nostram de rebus diuinis, est PATEFACTIO DEI, hoc est, asseueratio & testificatio de essentia & voluntate Dei, in qua omnino acquiescendum est, etiamsi nulla testimonia præterea accedant: tamen considerata hac principali causa assensionis nostræ, non inutile est aspicere reliqua testimonia non leuia neque infirma. Quo in genere sunt miracula propria naturæ omnipotentis, vt resuscitatio mortuorum, & alia: Item confessio & consensus perpetuus Ecclesiæ: Item supplicia tot Martyrum, qui confessionem Euangelij suæ vitæ anteposuerunt. Denique experientia spiritualis, quæ sentitur in vera conuersione ad Deum, & in media morte piorum. Hæc testimonia minus principalia non contemnamus, nec abiiciamus, sed potius reuerenter adiungamus ad primum κριτήριον, id est, ad patefactionem Dei, & ita confirmemus animos, vt possimus despicere Epicureos, & omnes fanaticos, qui certitudinem nostræ doctrinæ conuellere & labefactare conantur.

DE SEXTA CAVSA.

Felix, inquit Poeta, qui rerum potuit cognoscere causas: sed longè felicior est & beatior, qui cognoscit causas mortis humanæ, & aliarum miseriarum, quæ in genere humano vagantur publicè & priuatim. Nec tantùm causas exploratè cognitas & perceptas habet, sed etiam habet in promtu salutaria & efficacia remedia, opponenda his tantis malis, peccato & morti. Quare cum versemur in consideratione non physicarum causarum, sed earum, de quibus Ecclesiæ doctrina diuinitus tradita concionatur, ducamus nos felices & beatos esse, & sine vllo fastidio, & satietate immoremur cogitationi harum causarum atque consolationum.

Iudicium à Domo Dei incipit.

Omnes Apostoli ante excidium Hierosolymę extremum interfecti sunt, alij ab alijs Tyrannis. Paulus & Petrus à Nerone, Iacobus ab Herode. Sed quis fuit exitus Iudæorum impiorum? Τραγικώτατος.

γικώτατ☉ certè, quem nulla humana cogitatio ſatis contemplari poteſt.

Sexta cauſa hoc Syllogiſmo comprehendi poteſt. Impoſsibile eſt optimam & præſtantiſsimam generis humani partem tantùm ad has miſerias conditam eſſe. Id enim non ſolùm repugnaret prouidentiæ, ſed etiam iuſtitiæ diuinæ.

Paulus verò, vt de alijs ſanctis non dicam, qui fuit Apoſtolus Deo charus, & ampliſsimis donis ornatus, & per quem maxima pars Eccleſiæ in Europa atque Aſia collecta erat, interficitur non ab homine, ſed à turpi, tetro & execrando portento. Sic enim Nero appellandus eſt.

Ergo neceſſe eſt reſtare iudicium, in quo Deus diſcernet Paulum Apoſtolum à portento Nerone.

DE SEPTIMA CAVSA.

Vetus homo eſt natura corrupta ſine regeneratione.

Societas eſt lucri & damni communio.

Nos ſumus ſocij Chriſti, & participes omnium bonorum Chriſti.

Ergo neceſſe eſt nos etiam fieri ſocios & comites ærumnarum Chriſti, iuxta illud 2. Tim. 2. Si vna moriemur, ſimul viuemus, ſi vna cum Chriſto patiemur, ſimul regnabimus.

Vt enim Chriſtus Dominus noſter iacuit in ſepulcro, & quieuit ante reſurrectionem & triumphum: Ita tota Eccleſia futuri Sabbathi honorem incoat à ſimili quiete ſeu ceſſatione, id eſt, à morte, in qua etſi deſerti videmur à Deo, tamen certò reſuſcitabimur merito & efficacia Chriſti regnantis ad vitam æternam.

Leonina ſocietas eſt, ſi quis tantùm vult eſſe ſocius lucri, nec vult particeps eſſe damni.

DE OCTAVA CAVSA.

Nemo eſt, quem non poſsis aliqua in re cernere Suffentim, id eſt, ſibi placentem, magnifieri ſe cupientem, σφόδρα ἑαυτοῦ φίλοι ſumus vnuſquiſque.

Hæc mala emendantur in cruce.) Omnes homines in rebus secundis fiunt negligentiores, vt in versu dicitur:

Luxuriant animi rebus plerumque secundis.

Sed castigati, vt Dauid post exilium, fiunt modestiores.

Responsum mortis.) Id est, præsentem mortem.

Præsentemque viris intentant omnia mortem. 1. Aeneid.

Narrationem periculorum, & certaminum Pauli habetis 2. Corinh. 11. & 12. Datus est mihi palus in carnem meam, ne extollar magnitudine reuelationum, id est, ne efferar præstantia donorum.

Octaua causa pertinet ad secundum genus calamitatum id est, δοκιμασίαν.

Homo est similis Lunę, quod attinet ad incrementa & decrementa lucis. Vt enim Luna aut crescit, aut decrescit, nec vnquã manet diu in eodem statu: Ita in homine aut crescit, aut decrescit lux, & nouitas spiritualis.

Interior homo.) Nouus homo, regeneratus à Deo, vnum est subiectum, quod aliâs vocatur exterior homo, aliâs interior. Quatenus adhuc reliqua est in nobis immunda natura, eatenus vocamur exterior homo. Quatenus verò est inchoata vita æterna per Spiritum sanctum, & agnitio saluatoris Iesu Christi in nobis, eo respectu vocamur nouus homo, & interior homo.

Ebræos 12.]

Author Epistolæ ad Ebræos, citans locum ex Prouerbijs, addit consequentiam per contrapositionem: Si qui sunt sine disciplina seu castigatione, cuius omnes sancti participes fuerũt, hi non sunt filij, sed spurij.

Doctrinam de Deo in pace discimus tantùm speculatiuè: Sed quia regnum Dei non consistit in solo sermone, necesse est nos hanc Theoricam traducere ad Practicam, hoc est, sentire pauores & dolores, & in his experiri vim, & efficaciam consolationum diuinarum.

Vt discam iustificationes tuas, &c.]

Vltimus finis omnium calamitatum est, vt crescat fides, & inuocatio.

Qui nescit orare, discat nauigare.

Vexatio

Vexatio dat intellectum.]

Id est, Calamitas commonefacit nos de ira Dei, & de peccato.

Ablactatos à lacte.]

Denen Gott die Nägel alle abhawet an allen Wenden/ daß sie sich niergend anhalten können/ exules, inopes, contemtos, spretos, inuisos magnæ multitudini, & potentibus, priuatos honoribus, opibus, &c.

DE DECIMA CAVSA.

Multa sunt vestigia sapientiæ bonitatis, & potentiæ diuinæ impressa toti rerum naturæ, de quibus prolixè dici solet in articulo de creatione, & de prouidentia. Nam totum hoc pulcerrimum mundi opificium, & singulæ eius partes, nobis sunt proposita, vt sint philosophica indicia agnitionis Dei, seu, vt Basilius loquitur, παιδευτήρια τῆς θεογνωσίας: sed Ecclesia habet longè illustriora testimonia præsentiæ Dei, habitantis & versantis inter nos, tanquam in suo templo & domicilio. Etsi enim Deus sinit Ecclesiam aliquantisper mergi in ærumnas: tamen non sinit eam opprimi fluctibus & procellis, sed ex magna iactatione tempestatum tandem eam in portum adducit & transfert, hoc est, liberat eam gloriosè, ita vt non solùm pij, sed etiam impij & prophani homines fateantur, imò fateri cogantur, hanc liberationem non esse opus vllius creaturæ, angeli, aut hominis, sed esse verè & immediatè ipsius Dei opus.

Sic Ecclesiam populi Israel deduxit per mare rubrum, sic per Iordanem in terram Chanaan, sic eam alijs temporibus gloriosis & mirandis factis restituit, repurgauit, & à tyrannide hostium liberauit. Hoc testimonium libertatis Dei in Ecclesia longè superat omnia testimonia, quæ Philosophi in natura rerum sagaciter & eruditè inquirunt. Non reprehendo, imò valde laudo, diligentiam philosophicam, quærentem in singulis naturæ partibus testimonia de sapientia, bonitate, & alijs virtutibus Dei, sed huic diligentiæ iure ac meritò antepono nostram sapientiam, hoc est, Propheticam & Apostolicam, & ipsius filij Dei, quæ concionatur de mirandis liberationibus, quas Deus Ecclesiæ dedit, inde vsque ab Adam.

Si per nos staret Ecclesia, & nostris consilijs regeretur, iam-

pridem currus esset à nobis euersus, iamdudum luto essemus obruti & suffocati. Non in arcu & gladio, sed in nomine Domini seruabo eam, inquit Oseas cap. 9.

Thesaurum hunc) id est, doctrinam Euangelij.

Vasis testaceis) non adamantinis, quibus nihil potest durius esse, non aureis, quibus nihil est preciosius, sed in testaceis inquit: Nemo igitur se ita admiretur, vt putet se esse vas aureum & adamantinum, sed vnusquisque cogitet, id quod res est, & quod Paulus inquit de se & reliquis Apostolis, se esse vas testaceum, quod facilimè frangi potest & comminui.

Vt excellentiam.) Finalis causa, cur Deus velit celebrari ex ore lactentium & infantium, id est, quare velit per nostram imbecillitatem esse efficax, videlicet, vt gloria efficaciæ tribuatur Deo, non nobis.

Sine me nihil potestis facere, &c.]

Nihil scilicet Deo placens & salutare vobis ipsis, & Ecclesiæ.

Nemo nimium confidat sua sapientia, constantia, aut alijs rebus præsentibus, hoc vel illo præsidio, quo nunc videmur præclarè armati aduersus omnes impetus fortunæ, sed cogitemus illud, quod Ieremias inquit cap. 10. modis presßis & flebilibus: Scio Domine, quod non est hominis viam eius, nec viri, dirigere gressus suos. A quo igitur diriguntur nostri gressus? A Domino.

Videtur Paulus secum ipse pugnare in explicatione gloriæ. Nam alio loco inquit: Probet vnusquisque opus suum, & sic habebit gloriam ex se, & non ex alio. Hic verò inquit: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Respondeo. Nulla est contradictio sententiarum Pauli de gloria: Quia sententia, quæ ad Corinthios extat, intelligenda est respectu Dei & iustificationis coram Deo.

Hoc respectu gloria nostrorum operum & laborum nihil habet loci, sed fides acquiescens in solo mediatore iustificat & saluat credentem. Altera sententia in Galatis intelligatur de testimonio bonæ conscientiæ, quod etsi nec debet, nec potest iudicio Dei opponi, iuxta illud: Nihil mihi sum conscius, sed in hoc
1. Cor. 4. non sum iustificatus: tamen bona conscientia est murus aheneus oppo-

us, opponendus calumnijs & venenatis conuicijs Sycophantarum, sicut Paulus 2. Cor. 1. inquit: Hæc est gloriatio nostra, testimonium conscientiæ nostræ, quòd sumus versati in hoc mundo simpliciter & candidè, &c.

Esaiæ 46.) Imago Ecclesiæ, quæ laceratur iam senescens partim à fanaticis, partim à tyrannis.

Dulcissima est pictura Ecclesiæ, quæ comparatur infanti sedenti in aluo materna. Vt enim fœtus accipit nutrimentum à matre, & ab ea gestatur, & defenditur, donec in lucem edatur: Ita Ecclesia accipit à Deo vitam, nutritionem, gubernationem & defensionem, nec deseritur in extrema senecta, in qua nos viuimus, sed quamuis effœta, tamen gestatur in aluo Dei. Qua de re cogitantes crebris sermonibus precationem Psalmi vsurpemus. Psal. 71. Ne proijcias me in senectute mea, cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me, &c.

Nihil magis opus est senibus quiete. Sed tùm ferè solent maximis opprimi laboribus & doloribus.

CAPVT IIII.

De Locis consolationis Philosophicæ, & Christianæ.

VTilissimum est conferre diuinas & humanas consolationes, vt videamus, quomodo antecellat in hac tanta re doctrina Ecclesię remedijs philosophicis, quæ non tollunt peccatum & mortem.

Quoties cogitatis de discrimine philosophiæ & Euangelij pingatis vobis ante oculos cogitatione duos hortos amœnos. Alterum, cuius plantatrix est ratio humana: Alterum hortum cœlestem, quem Deus ipse per ministros suos plantat. In horto Philosophico nascuntur herbæ, nequaquam abijciendæ aut contemnẽdę, doctrina numerorum, proportionum, de motibus cœli & siderum, de natura rerum, & de

moribus. Hæ plantulæ, vel hi flosculi nequaquam sunt abijciendi, sed eis dandus atque tribuendus suus locus, & sua laus: verum in horto philosophico non nascuntur remedia opponenda maximis malis, peccato & morti æternæ. In altero horto cœlesti nascuntur remedia efficacissima, opponenda non modo ipsi peccato, sed etiam morti. Quale remedium opponendum est peccato? Articulus de remissione peccatorum gratuita, quam promittit Euangelium propter mediatorem. Quid opponendum est morti? Liberatio à morte æterna, quæ est præcipuum Christi beneficium, & spes resurrectionis ex morte.

Verba Pindari. Quantum enim differunt pluuiæ aquæ, quæ cisternis continentur, & fons viuo gurgite exundans: tantum interest inter Philosophicas & Euangelicas consolationes.

In arce aliqua magna sunt & fontes & cisternæ. Fons exundat viuo gurgite, habet aquas viuas & salientes. Cisternæ sunt receptacula aquarum pluuiarum, quæ & ipsæ sunt aquæ, sed non sunt adeò limpidæ & viuæ, vt fontanæ.

Sunt autem Philosophici Loci nouem:

PRIMVS est. Præmeditatio rerum futurarum: Ita enim perceptas penitus & pertractatas res humanas habere oportet, vt nihil admireris, cùm acciderit, nihil antequam euenerit, non euenire posse arbitreris.

Herodotus inquit: Nemini omnia posse accidere. Et Xenophon, ἄνθρωπον ὄντα πάντα προσδοκᾶν δεῖ. Est autem hominis proprium, quo differt à brutis, vt non modò, quæ ante pedes sunt, consideret, sed futura etiam prospiciat.

Hæc præmeditatio futurorum malorum lenit eorum aduentum, quæ venientia longè ante videris. Itaque apud Euripidem à Theseo dicta laudantur.

Qui sapit, ille animum fortunæ præparat omni,
Præuisumque potest arte leuare malum.

Nam qui hæc audita à docto meminissem viro,
Futuras mecum commentabar miserias.
Aut mortem acerbam, aut exilij mœstam fugam,
Aut semper aliquam molem meditabar mali:

Vt ſi qua inuecta diritas caſu foret,
Ne me imperatum cura laceraret recens.

Eadem ſententia à Terentio in Phormione optimis verſibus exponitur:

Quamobrem omnes, cùm ſecundæ res ſunt maximè,
Tùm maximè meditari ſecum oportet, quo pacto aduerſam ærumnam ferant. &c.

SECVNDVS Locus, eſt communis conditio vitæ, ſeu neceſsitas, cui fruſtra repugnatur. Ad hunc locum pertinent verſus Euripidis:

Feras nō culpes, quod vitari nō poteſt.

Mortalis nemo eſt, quem non attingat dolor
Morbuſque, multi ſunt humandi liberi
Rurſus creandi, Mórſque eſt finita omnibus,
Quæ generi humano angorem nequicquam adferunt,
Reddenda eſt terræ terra, Tùm vita omnibus
Metenda, vt fruges, ſic iubet neceſsitas.

Statutū eſt, omnibus hominibus ſemel mori.

[Herodotus: Multa accidunt homini ipſa morte triſtiora & acerbiora.

De puluere ſumus, in puluerem reuerteris.

TERTIVS Locus, eſt dignitas virtutis, quæ anteferenda eſt dolori. Eſt enim virorum ſapientia & virtute præſtantium, non iraſci Deo in rebus aduerſis, vt ait Aeſchylus:

Ανδρῶν γάρ ἐςιν ἐναρέτων τε ϗ σοφῶν
Εν τοῖς κακοῖσι μήτε θυμῶσθαι θεοῖς.

QVARTVS Locus, eſt reprehenſio ſtultitiæ, quæ fruſtra conficitur mœrore, cùm nihil intelligat poſſe profici, vt in Oedipo Coloneo Sophoclis dicitur: O ſtulte, ira in calamitate eſt inutilis.

Malum duplicatur ab ijs, qui ſunt impatientes.

Wann einer wolt mit dem Kopff wider die Wand lauffe/ wann jm der Kopff wehe thut.

QVINTVS Locus, eſt bona conſcientia, de qua ſemper meminerimus inſignè dictum Ciceronis in 6. Epiſtola Famil. Conſcientia rectæ voluntatis maxima conſolatio eſt rerum incommodarum.

Eſt aliquid magnis crimen abeſſe malis.

SEXTVS Locus, est collectio exemplorum, significans tolerabilia esse, quæ & tulerint, & ferant cæteri. Omnes viri præstantissimi, & iustissimi opprimuntur laboribus & doloribus. An tu solus expetis singulare quiddam? Quæ hæc est iustitia, aut æquitas.

SEPTIMVS, Causa finalis. Ne dolor impediat meliora consilia. Item ne noceat Reipublicæ.

OCTAVVS, Collatio euentuum. Nam verissimè ab Herodoto in Polymnia dictum est: Si omnes homines domestica mala vnum in locum congregarent, cupientes suam fortunam cum alijs permutare, haud dubiè conspectu alienarum calamitatum permoti, auidè ad se nota mala retraherent.

Ἐπίσταμαι δὲ τοῦτο, ὅτι εἰ πάντες ἄνθρωποι τὰ οἰκεῖα κακὰ ἐς μέσον συνενείκαιεν, ἀλλάξασθαι βουλόμενοι τοῖσι πλησίοισι, ἐσκύψαντες ἂν ἐς τὰ τῶν πέλας κακά, ἀσπασίως ἕκαστοι αὐτέων ἀποφεροίατο ὀπίσω τὰ ἐσενείκαντο.

Consolationes Philosophicæ omnes sunt legales, hoc est, ex Legis doctrina haustæ. Philosophia, & ratio extra Ecclesiam nihil scit, nisi Legem. Euangelium verò prorsus ignorat, iuxta illud Baptistæ, Filius ex sinu Patris protulit. Loci verò consolationis Christianæ, de quibus mox dicemus, non tantùm sunt Legales, sed etiam Euangelici, præsertim illi, qui loquuntur de remissione peccatorum, de præsentia, & auxilio Dei in ærumnis, & de vita æterna. Facilè igitur intelligi potest discrimen inter locos vtriusque consolationis. Vt enim solemus aliâs sæpè discernere Legem & Euangelium: Ita hoc loco distinguimus consolationes Philosophicas à Christianis.

NONVS Locus. Incerta spes læti exitus. Hanc consolationem proponit Batto Corydon Idyllio 4.

Batte malis etiam confidere rebus oportet,
Cras meliora dabunt superi fortasse benigni:
Omnibus in rebus viuis sperare relictum est,
Lumine nam vitæ functis spes nulla medetur.
Nubibus obscuris nunc Iuppiter aera turbat,
Nunc iterum claro cœlum splendore serenat.

Hi Loci

Hi Loci consolationis philosophicæ, qui à Cicerone in 3. Thusculana, & à Plutarcho in consolatione ad Apollonium, magno splendore verborum illustrantur, cicatricibus tantùm medentur, non vulneribus, hoc est, vtcunque in paruis malis reprimunt mœstitiam. Sed quoniam obiectum gaudij est res bona: Ideò vincit dolor, donec non ostenditur auxilium & liberatio.

Virg. de Aenea: Dictis mœrentia pectora mulcet.

Parua mala metaphoricè Cicero vocat cicatrices.

Hæc autem in magnis doloribus non ostenduntur in philosophia, sed in promissionibus diuinis. Discamus igitur confugere ad consolationes, quas Deus non sine graui causa edidit, & vult ratas & efficaces esse.

CAPVT V.

Loci consolationis Christianæ.

Ecessitas, id est, Mandatum Dei, quod præcipit, vt flectamus obedientiam in tolerandis aduersis, ne irascamur Deo, iuxta dictum: Humiliamini sub potēti manu Dei. Item, Psalm. 117. Subditus esto Deo, & spera in eum. I. 1. Pet. 5.

Manus Dei est potens duplici respectu. 1. quo ad humiliationem & castigationem. 2. quo ad exaltationem & liberationem, id est, Deus potest summos reges & principes de gradu suo, & fastigio deijcere, & præcipitare in extremam miseriam, sicut Maria canit: Deposuit potentes de sede, &c. Alter modus, quo Deus potentiam suam exercet, est in exaltandis & liberandis afflictis. Nonne potens est Deus, exaltans Iosephum coniectum in carcerem. Nonne potenter exaltat Danielem, coniectum inter leones? Quid dicam de reliquis sanctis? Est igitur manus Dei potens ad vtrumque ad humiliandum, & liberandum.

Dignitas virtutis, id est, fidei & spei, quæ non est abijcienda propter vim tempestatum, & concursum calamitatum, vt Iob inquit cap. 13. Etiamsi occidet me, tamen sperabo in eum. II. Vox fidei.

III. Bona conscientia, de qua Paulus inquit: Hæc est gloria nostra, testimonium conscientiæ nostræ.

Hæc causa consolata est Dauidem, in decennali exilio vagantem. Etsi enim Saul calumniabatur Dauidem, quòd sine vocatione, contra ius & æquum, regnum appeteret, & inuaderet seditiosè, tamen poterat Dauid his venenatis telis & calumnijs opponere hanc gloriam, quæ est testimonium bonæ conscientiæ, vt inquit Psalm. 7. Si feci hoc.

IIII. Quia verò sæpissimè mala conscientia dolores auget, ostenditur in Euangelio quartus locus, scilicet remissio peccatorum. Hæc consolatio propria est Ecclesiæ, prolata ex sinu æterni Patris in voce Euangelij, & nequaquam philosophiæ nota est.

V. Consideratio exemplorum, quæ nos admonent de modestia, ne inæqualem in Ecclesia fortunam expetamus, cùm Filius Dei & præcipua lumina Ecclesiæ magnas calamitates certo Dei consilio tulerint, iniustum & inæquale esset, nos præcipuam aliquam fortunam appetere, cùm quidem ira Dei nostris delictis irritata sit.

Rom. 8. Oportet nos similes fieri imagini Filij Dei.

VI. Causæ finales, quæ in libro Locorum luculentè exponuntur.

Summa causarum finalium continetur in dicto Psalmi: Bonum est mihi Domine, quod humiliasti me, vt discam iustificationes tuas, id est, vt timor Dei & fides crescant, quæ frigent in rebus lætis.

VII. Collatio euentuum. Agnoscamus nos iustè puniri, & meritos esse atrociores pœnas: leniri tamen iram propter mediatorem, & ne tota Ecclesia funditus deleatur. Sicut in Threnis Ieremiæ dicitur: Misericordiæ Domini, quòd non consumti sumus.

Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.

VIII. Promissio præsentiæ Dei, & auxilij diuini in ærumnis, vt dicitur: Esaiæ 57. Deus habitat in afflictis. Leuatur ergo dolor, cùm scimus nos à Deo iuuari, & spem habemus mitigationis in hac vita.

1. Cor. 7. Fidelis est Deus, qui non sinit tentari suos vltra vires.

Spes

Spes vltimæ liberationis, & æternæ salutis, iuxta dictum: Scio, quòd redemtor meus viuit, & rursus circumdabor pelle mea. Iob. 19. IX.

Hi fontes consolationum sæpè cogitandi sunt, & conferenda philosophia cum Euangelio, ac sciendum his tribus rebus præcipuè retineri tranquillitatem cordis: 1. Fide accipiente remißionē peccatorum: 2. Agnitione præsentiæ Dei in ærumnis: 3. Et spe mitigationis in hac vita, & integræ liberationis post resurrectionem ex mortuis.

Philosophia est velut Luna, aut cisterna. Euangelium verò vt Sol & fons aquæ viuæ, salientis ad vitam æternam.

Aurifaber proximus est foco, cùm aurum in ignem coniecit.

Hæc tria minimè nota sunt philosophiæ, sed ex sola doctrina Euangelij peti possunt & debent. Nam qui his rebus ac consolationibus animum probè muniuerit, is demùm, vt Psalmus inquit, poterit silere Domino, & decenter atque piè ferre omnia aduersa, quæcunque illa sint.

Plato in Axiocho.

Σὺ μὲν ἐκ τῆς ἐπιπολαζούσης τὰ νῦν λεσχηνίας τὰ σοφὰ ταῦτα εἴρηκας. ἐκεῖθεν γὰρ ἐστὶν ἥδε φλυαρολογία πρὸς τὰ μειράκια διακεκοσμημένη.

ἐπιπόλαιον significat superficiem, ἐπίπλοον quiddam natans & eminens in aqua. ἐπιπολάζον, quod eminet, & est in magno honore ac precio. ἐπιπολάζομαι emineo, exto, sum in honore, &c, λεσχὴ καὶ λεσχηνία, καὶ ἀδολεσχία, est otiosa garrulitas, cui nullæ res subsunt. φλύαρον folium. Hinc φλυαρολογία, hoc est, talis strepitus verborum, qualem excitant folia decidentia ineunte hyeme.]

Philosophia vtráque in re errat, &c.

Sicut de calculis renum & vesicæ aliter disputat ignarus artis Medicæ, aliter peritus Medicus: Ita longè aliter de causis & remedijs humanarum miseriarum concionatur doctrina Ecclesiæ, quàm philosophia. Homo indoctus tantùm hoc dicit: Calculos impactos esse meatibus renum & vesicæ: sed quomodo ge-

nerentur calculi, & quibus remedijs tollendi ſint, aut omnino, aut magna ex parte ignorat. At medicus excellenter doctus intelligit vtrumque, & modum generationis calculorum, & efficacia remedia, quæ non modò dolorem mitigant, ſed etiam cauſas tanti mali è medio tollunt. Ita enim diſſerit, materiam calculorum eſſe humorem glutinoſum ſeu viſcoſum, & hunc durari immoderato calore renum, atque ita coqui lapillos, ſicut in caminis coquuntur lateres, & monſtrat remedia comminuentia calculum, & euehentia viſcoſam materiam, quam augent ſalſamenta & frixa. Ita Philoſophia tantùm eſt meditatio mortis, vt Plato inquit in Phædone pag. 26. id eſt agnitio & deploratio humanæ infirmitatis, quæ circumfert peccatum & mortem. Nec magis tollere poteſt hæc mala, quàm tibicines funebri carmine reſuſcitare poſſũt mortuam puellam. Matth. 9. At doctrina Eccleſiæ opponit remedia vtrique malo, peccato & morti. Peccato quidem remiſsionem peccatorum. Morti verò reſurrectionem carnis, & vitam æternam.

Μελέτημα τοῦ θανάτου. Cicero vertit, commentatio mortis, in 1. Thuſcul.

In Iudæa fuerunt tubæ, ſicut nos habemus campanas.

Gubernationem eſſe difficile opus) Magnis ſæpe fluctibus opprimitur parua cymbula, quantò magis nauis aliqua oneraria in mari vaſto.

Epicurei præcipiunt vitandam gubernationem, &c.

Celebratur à multis dictum Epicuri: λάθε βιώσας, hoc eſt, fuge gubernationem, & quære latebras, in quibus poſsis tutò & tranquillè viuere. Huic præcepto Monachi in Papatu obtemperarunt, qui neque Eccleſiæ, neque Reipublicæ operam nauarunt. Etſi autem magna moles negotiorum & periculorum imponitur ijs, qui verſantur in Repub. aut Eccleſia, vt non ſolùm experientia oſtendit, ſed etiam dicta Demoſthenis, Aeſchinis, & aliorum gubernatorum declarant. Nam Demoſthenes ſæpè hanc vocem repetiuit, ſe malle ingredi viam ducentem ad mortem, quàm ducentem ad ſummos honores Reipub. quòd reipſa comperiſſet, Sæpè optimè cogitata peſsimè cadere, & multas ſtrui inſidias

ſidias bonis: Et Aeſchines gratulatus eſt ſibi ſuum exilium, quòd à Repub. velut à rabioſa cane liberatus eſſet: tamen dicto Epicuri opponamus mandata Dei de vocatione, & his mandatis adiungamus conſolationes, vnam de auxilio diuino, alteram de læto & ſalutari exitu noſtrorum laborum & certaminum.

De vocatione Chriſtus inquit Iohan. 9. Oportet me facere opera Patris mei, qui miſit me, id eſt, neceſſe eſt vnumquemque facere opera ſuæ vocationis. Et Paulus inquit 1. Cor. 9. Væ mihi, ſi non Euangelium prædicauero. Et Roman. 12. requirit Paulus in *a* vocatione *b* ſolicitudinem non pigram.

a Scilicet obeunda.)

b Solicitudo alia
1. De labore & vocatione.
2. De euentu & exitu, hæc Deo eſt commendanda.
3. πολυπραγμοσύνη, de rebus ad noſtram vocationem non pertinentibus.

De auxilio diuino multa dicta concionantur, vt illud Matth. 10. Non vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri eſt, qui loquitur in vobis.

De exitu laborum Paulus inquit 1. Cor. 15. Labor veſter non erit inanis in Domino.

Quaſi dicat: Nulla eſt miſeria maior, quàm confici inani labore & contentionibus, ſed ego affirmo laborem veſtrum non fore irritum.

Neque verò ſcriptura ſolùm reijcit, ac repudiat odioſam ſapientiam Epicuri, ſed etiam Plutarchus in Moralibus pag. 322. acerrimè refutat hoc dictum Epicuri, cui ſi pareamus, nihil omnino in vita agamus.

Dictum Epicuri, eſt iners, & ignaua oratio, ἀργὸς λόγος.

Epicurus eſt Magiſter Monachorum.

De dicto; Optimum non naſci aut celerrimè mori.

(Plutarchus in conſolat. ad Apollonium ſcripta, citat hęc verba Ariſtotelis, ex libro de immortalitate ad Eudemum Syracuſanum: Quod dixi, non naſci optimum eſſe, mortem verò meliorem eſſe vita, multis teſtimonijs diuinis traditum eſt. Narrant à Mida captum &c.)

Hoc dictum, ortum ex consideratione humanarum miseriarum, simpliciter verum est de vasis iræ Dei, id est, de pestibus & furijs generis humani, quorum cursus multipliciter nocet ipsis & alijs. Qualia vasa fuerunt Cain, Saul, Absolon, Achitophel, Iudas, Arius, Nero, & alij innumerabiles.

Omnes Tyranni & hæretici.

Nam de Iuda Christus inquit: Melius erat huic homini non esse natum, sed de vasis misericordiæ simpliciter falsum est, quorum cursus ornat gloriam Dei, & est salutaris ipsis & alijs.

Ecclesi.7. Melior est dies mortis, quàm dies natiuitatis.

Ideò Psalmus 118. inquit: Non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini: id est, vita conceditur pijs, primùm propter studium doctrinæ cœlestis, deinde propter exercitia pietatis, postremò, propter propagationem Euangelij.

Causæ, propter quas pijs longior vita est optanda.

Pios nasci opt. est, & longè melius est, eosdemquàm diutissimè esse superstites.

Si Apostoli subitò fuissent interfecti post resurrectionē Christi, quis renuntiasset eum in orbe terrarum.

Nequaquam igitur vera est hæc Epicuri sententia de Samuele, de Dauide, de Paulo, Luthero, & alijs organis salutaribus, qui si nũquam nati essent, aut mox extincti, nec discere, nec docere alios de Deo potuissent.

Etsi videor diutius in hoc loco hærere & habitare, tamen quisque cogitet, nullam orationem & cogitationem magis conuenire his temporibus tristibus & luctuosis, quæ sunt plena periculorum, quàm commemorationē causarum, propter quas Ecclesia cruci subiecta est, & recitationem earum consolationum, quibus pij sustentantur & eriguntur, vt possint perferre ærumnas publicas & priuatas. Ita enim Psalmus 119. inquit: Hæc est consolatio mea in afflictione mea, quia eloquium tuum viuificauit me, quasi dicat, bona mens, quæ iactatur varijs tempestatibus, fluctibus & procellis ærumnarum, nullum portum videt, in quo possit acquiescere, nisi verbum diuinum, traditum per Prophetas & Apostolos. Hoc solum efficaciter consolatur & medetur vulneribus cordis. Aliæ consolationes humanæ sunt θέλγητρα & φλυαρολογίαι καὶ λεσχηνίαι.

Aliquo

Aliquo Dei consilio.]

Genes. 45. Ioseph ad fratres suos inquit: Pro salute vestra misit me Deus ante vos in Aegyptum. Non enim vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, vt seruarem populos multos, &c.

Hic sermo Ioseph prorsus congruit ad primum locum consolationum, qui oppositus est opinioni Epicuræorum, somniantium omnia casu contingere. Sit sanè, vt calamitas tua oriatur, vel ab humoribus, vel à Diabolo, &c. Tamen non tantùm respicias ad propinquas causas, quæ sunt in conspectu, sed refer mentem, & oculos ad Deum, qui est prima causa, & liberrimus moderator omnium causarum secundarum, sine huius Domini voluntate cõsilio, permisione nulla posset vllius hominis aut Diaboli malitia tibi damnum inferre: sed hoc nemo cogitat. Nos imitamur latrantes canes, qui sæuiunt in tela, & saxa in eos proiecta. Interea non videmus, à quo ducatur serra, &c.

Ierem. 4. Non serite super spinas, sed facite vobis nouale.

Agricola, qui diligenter agrũ colit, non spargit semina in agro, nisi id casu fiat, sed priùs ex agro eijcit spinas, postea spargit semen. Ita necesse est priùs ex animis hominum Epicureas spinas euelli & extirpari, vt postea reliquæ consolationes posint habere pondus, & agere radices in nobis.

Veneunt asse.)

As, est omne totum, quod potest diuidi in duodecim partes æquales. Sic Zodiacus potest vocari as, &c. Sic grossus noster, quia continet 12. nummulos, vocari potest as. In Græco textu est Asarium, quasi dicas, 3. nummi, vel sex oboli. Nihil autem refert hoc loco quantum valeat, sed intellige pro vili precio.

Plinius lib. 10. de Passere.]

Passer est salacissimum animal, & propter salacitatem viuit tantùm annum, aut biennium, vltra biennium nullus passer viuit.

A minore ad maius. Si Deus curat passerculos, Item capillos, qui tantùm sunt excrementa corporis, & partes minus principales, quantò magis curabit genus humanum, & inprimis suam Ecclesiam, & singula membra.

Meliores estis Passeribus.]

Quia sumus filij Dei, & fratres Christi: Imò & templa Spiritus S. & hæredes vitæ æternæ.

Testimonium de primo Epitheto. Iohan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomen eius.

Iohan. 20. Christus post resurrectionem inquit: Ito ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, ad Deum meum, & Deum vestrum. (De altero Epitheto.)

De tertio. 1. Corinth. 6. & 2. Corinth. 6. Vos estis templum Dei, & Spiritus sancti.

De quarto. Roman. 8. & Galat. 4. Si filij estis, eritis etiam hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

Qui finxit oculum.]

Sapientissimè hoc ita dicitur: Quia impossibile est, causam toto genere deteriorem esse effectu. Esset autem Deus deterior homine, si esset natura Bruta, cùm homo sit natura intelligens. Cùm igitur homo à Deo accipiat vitam, & motum, & omnes vires humanæ naturæ proprias, possumúsne dubitare, quin Deus sit natura sapiens, intelligens, videns, audiens? In Creta quidem Epicureus sculpsit statuam Iouis, sine auribus & sine oculis, vt impietatem sui pectoris proderet. Voluit enim iste fatuus significare, Deum nec videre, nec audire, quid in terris agat genus humanum.

Ipse fecit nos, & non ipsi nos.]

Nulla res est causa suiipsius. Nulla res seipsam efficit vel gignit. Ergo necesse est omnes res conditas aliunde esse ortas. Tandem verò in aliqua prima causa resistere nos oportet.

Nos populus sumus ipsius. Ergo Deus est rex, & Dominus noster. Nos sumus oues pascuæ eius. Ergo Deus est noster pastor, sicut Psalm. 23. inquit: Deus pastor meus est.

Sophoniæ 1.) Hypotyposis est illustris pictura seu imago, in quam intuentes, videmur oculis rem ipsam conspicere.

In fecibus suis) In delictis manifestis, & contra conscientiam.

Prouerb. 8.) Deliciæ meæ ludere cum filijs hominum, id est,
1. Reg. 2. mortificare, & viuificare. Ludit in humanis diuina potentia rebus.

Innumerabiles homines.]

Plutarchus in vita Catonis narrat: Catonem cinctum obsidione ab exercitu Iulij Cæsaris, priusquam sibi mortem consciscere,

ret, hanc querelam vsurpasse: Quanta est caligo rerum diuinarum! Deus antea adiuuit Pompeium in causis longè deterioribus: Nunc eundem deserit in defensione patriæ. Et de Bruto interfectore Cæsaris, idem author narrat, habuisse eum in ore versum Medeæ, quæ apud Euripidem sic exclamat:

O Iuppiter, quæ est causa tantorum malorum?

Ita magna pars hominum, etsi tempore tranquillo acriter defendit sententiam de prouidentia Dei, tamen in rebus aduersis, & magna vi tempestatum, mergitur in hanc opinionem, vt existimet Deum esse iniustum, aut crudelē, aut omnino nihil esse nisi inane nomen.

Secundus locus. Obiectum voluntatis est bonum. Ideo non potest voluntas conquiescere, nisi monstrato aliquo bono. Non enim regitur voluntas humana imperio δεσποτικῶ, sed πολιτικῶς, id est, persuadendo. Nulla autem fieri potest persuasio, seu non potest animus flecti suadendo, nisi monstrata aliqua ratione boni. Quid est igitur boni in afflictionibus, inquiat aliquis, quid in morbo? in magna pauperate? exilio? in cæteris malis? Hoc est boni, quòd m , te, & singulos reuocant à securitate ad pœnitentiam, id est, agnitionem iræ Dei, admonent nos, & concionantur nobis pœnæ, velut carcer quidam Legis, de peccato. Vt igitur excutiatur nobis securitas, & admoneamur de pœnitentia, Deus non tantùm verbo & voce ministrorum arguit peccata nostra, sed includit nos in carcerem Legis, id est, mergit nos in magnas calamitates, publicas & priuatas, exuit nos aliquando facultatibus, aufert à nobis desiderium oculorum nostrorum, vt Propheta inquit de pijs matronis, & alijs modis nos affligit, vt discamus iustificationes Domini.

Nihil diligitur.) Principium & Αξίωμα Ethicum & Theologicum.

Huius ἀξιώματος ratio sumitur ab obiecto voluntatis, & à gubernatione cordis seu affectuum. Est enim obiectum voluntatis bonum, siue reuera tale sit, siue apparens. Nunquam enim voluntas simpliciter appetit malum, vt Paulus inquit Roman. 5. Pro iusto nemo libenter moritur: Pro bono ausit fortasse aliquis mori. Vt fortis vir tolerat mortem propter salutem patriæ, suæ coniugis, & liberorum. Deinde sciendum est, dissimilibus im-

periis regi Locomotiuam & cor. Nam voluntas regit Locomotiuam imperio δεσποτικῷ, id est, herili. Potest enim cogere manum vt abstineat à potu. Aliter imperat voluntas cordi, seu affectibus, videlicet πολιτικῶς. Vt enim ciues in Repub. libera reguntur persuadendo: Ita cor flectitur persuasione, seu ostensione alicuius boni. Ex his fontibus manat regula, quæ in vestibulo secundi loci recitatur, & huc pertinet, vt discamus voluntatem hominis, seu cor non posse acquiescere, nisi in aliquo bono.

Cum hæc bona voluntas.]

Calamitates non sunt signa reiectionis, sicut ratio & Lex vociferantur, sed sunt partim conciones de pœnitentia, quæ nos reuocant à securitate ad salutarem conuersionem, partim sunt exercitia pietatis, hoc est, plurimarum virtutum primæ tabulæ.

Non vt ruat in exitium.]

Deus non est ἐπιχαιρέκακος.

In libro Thobiæ dulcissimè dicitur, Non delectaris Deus perditione nostri, sed reddis post lacrymas lætitiam.

Adam & Heua.]

Quanquam luctus primorum parentum nulla oratione describi potest, tamen non leue signum est ingentis mœroris, quòd textus Genes. 5. inquit, post necem Abelis, & reiectionem impij parricidæ, vsque ad natiuitatem Seth intercessisse centum annos. Qua ex re intelligi potest, primos parentes haud dubiè singulari, & nouo mandato Dei redijsse ad consuetudinem coniugalem, & procreationem sobolis, ne deesset Ecclesiæ semen sanctum, colens Deum vera inuocatione, & propagatione doctrinæ. Mox enim in textu sequitur, Seth cœpit inuocare nomen Domini, Id est, fuit Diaconus Adæ, adiuuans patrem in propagatione doctrinæ.

Viuo ego.) Tertullianus:

O beatos, quorum causa Deus iurat! O miseros, si nec iuranti Domino credunt! Iuramentum complectitur conuersionem & vitam. Postulat vt conuertaris ad eum. Ita enim viues.

Prouerb. 3. Disciplinam Domini, fili mi, ne abijcias, nec deficias, cùm ab eo castigaris. Quem enim diligit Dominus, corripit,

pit, & quasi Pater filio suo delectatur.

Si possemus cogitare tales imagunculas domesticas, fortassis minus animum desponderemus in calamitatibus.

Conclusit omnes sub peccato.]

Hic Locus sæpè laudatur à reuerendo patre LVTHERO in hanc sententiam. Ego, inquit, sæpè huius dicti cogitatione ex media morte retractus sum, atque haud scio, an vllum extet balsamum in scriptura, quod efficaciùs posit sanare vulnera cordis. Ideò hunc locum omnibus commendo, & omnibus hortator sum, vt eum tanquam præclarum depositum custodiant.

Mauritius.) Imperator, cuius interfector Phocas fuit papificius, & papifex, vt eum vocat D. Lutherus.

Appendix secundi Loci.]

Iohannis 15. proponitur dulcissima imago Christi & Ecclesiæ, in qua Christus comparatur viti, Ecclesia & singuli pij palmitibus, Pater æternus vinitori, cuius falx putatoria est verbum & crux, qua luxuries depascenda est, videlicet peccatum nobiscum nascens. De huius vineæ cultura dulcissimè Christus inquit, Omnem palmitem ferentem fructum, (id est, virtutes primæ & secundæ tabulæ) pater purgat, vt copiosiorem gignat.

Complectitur autem purgatio crucem, & consolationem, vt Ioseph purgatur coniectus in carcerem, & gloriosè liberatus: Sic Ionas purgatur, quando absorbetur hiatu Ceti, & rursus in terram incolumis restituitur. Vide enarrationem D. Lutheri in cap. 15. Iohannis, vbi venustissima Prosopopœia vtitur, & Dialogismo.

Tertius Locus consolationis. Semper memineritis dictum ex 1. cap. Canticorum Salomonis, vbi Ecclesia vocat Sponsum suū Dominū nostrū Iesum Christum fasciculum myrrhæ, & fasciculum Balsami. Hoc dictum complectitur vtilitatem seu fructum crucis, quæ à Deo nobis imponitur, & dulcissimas simul & salutares consolationes propositas in Euangelio. Liceat igitur mihi secundum Locum, quem nuper audiuistis, comparare fasciculo myrrhæ, tertium balsamo. Sed considerate naturas myrrhæ & balsami.

Myrrha, vt scribit Plinius & Dioscorides, est acris, & gustu amara, & insuper mordax, & tamen habet vim salutarem calefaciendi, secandi, astringendi, & glutinandi vulnera, præsertim capitis, & vim habet prohibendæ putredinis. Ita quanquam crux est valde amara, acris & insuauis huic infirmæ & deprauatæ naturæ, tamen est necessaria & salutaris: Non est nobis exitialis, non perdit, aut delet nos. Hæc summa est secundi Loci, quòd videlicet calamitates, non ideò diuinitus imponãtur Ecclesiæ & singulis pijs, vt afferant nobis pestem, & perniciem, sed vt sint salutaria remedia tollendi, & eruẽdi multa vitia, securitatẽ, neglectionem verbi, & frigus, quod omnes sentimus in inuocatione. Tertius Locus, qui iam sequitur, est fasciculus saluberrimi Balsami, quod sanat vulnera, non sicut myrrha, cum quadam mordacitate, sed sine omni dolore. Ideo vocatur princeps olei, quia nullum est oleũ, quod habeat talem vim, qualem habet Balsamum, quod Deus dedit genti Iudaicæ; quia cùm illi fuerit decertandum cum multis hostibus, impossibile fuisset, non esse extinctam in tot prælijs, nisi instructa fuisset hoc remedio domestico. Est autem hic tertius Locus promissio Euangelij propria, 1. De presentia Dei in ærumnis. Etsi enim ratio & Lex clamitant, non adesse calamitosis Deum, non curare miseros & ærumnosos: tamen Euangelium constantissimè affirmat, Deum adesse pijs, qui gestant onus crucis. Deinde eadem promissio pollicetur auxilium Dei, opponendum nostræ infirmitati. Non adest Deus in nostris ærumnis, vt spectator otiosus, sed vt opitulator. Tertiò promittit idem locus mitigationem, vt possimus ærumnas non modò ferre, sed etiam perferre. Postremò promittit Euangelium, cuius hic locus est proprius & peculiaris, liberationem, vel in hac vita, iuxta consilium Dei, vel vniuersalem, post hanc vitam. &c. Hinc potestis intelligere, quàm verè hic tertius locus comparetur fasciculo Balsami. Nihil potest dici ad consolandas mentes efficaciùs, quàm si hæc vox eis subinde proponatur, & inculcetur: Non te deseret Dominus, sed adest tibi in ærumnis, ferens opem, & salutem tuæ infirmitati, & idem sic mitigabit tuas ærumnas, sic eas temperabit, & moderabitur, vt possis eas perferre, vt non succumbas, nec vincaris ab ærumnis. Postremò, aut liberabit te in hac vita, iuxta consilium suum, aut certè adducet te in portum ex magna iactatione, introducet te in æternum tabernaculum, vbi iustorum animæ sunt in manu Dei, & vbi nullus luctus & dolor eas potest attingere.

attingere. Quartus locus potest nominari fasciculus thuris. Oratio est similis thuri accenso.

Hic locus procul à philosophia recedit.) Balsamum non creuit vbiuis locorum, sed tantùm in Palæstina, & paucis hortis Aegypti: Ita hæc consolatio Euangelij non crescit in philosophia, nec in Lege.

Fides experitur euentus.]

Duplex est ordo, alter Philosophiæ, alter Euangelij. In Philosophia experientia antecedit assensionem, vt prius sentit manus tua ignem esse calidum, postea mens assentitur huic propositioni: Ignis est calidus.

In Euangelio contrarius est ordo. Ibi enim necesse est primùm assentiri Deo se patefacienti, & testificanti de sua voluntate: vt tribuatur ei gloria veritatis. Postea sequitur experientia, & sensus consolationis. Hanc distinctionē confirmant multa dicta: vt in Psalmo dicitur: Sicut audiuimus, ita vidimus, hoc est, verbum Dei non est inanis sonitus, nec est ventus, aut nubes sine pluuia, vt Salomon venustissimè inquit de vanis promissionibus, quæ non comprobantur reipsa, sed verbum Dei verè est efficax, & Deus optima fide præstat promissa, & corda sentiunt consolationem, quæ fide in verbo acquiescunt. Psalm. 48.

2. Paralip. 20. Iosaphat inquit: Credite & securi eritis, id est, credentes & tribuentes Deo gloriam veritatis, reipsa comperiunt, promissiones diuinas non esse inania verba, quibus nulla res subest, sed conuincuntur testimonio experientiæ spiritualis, vt fateantur Deum iuxta promissiones suas efficacem esse.

Iohannes 7. Christus inquit: Si quis volet facere voluntatem Patris mei, ille cognoscet de doctrina. Est autem facere voluntatem Patris, assentiri & credere Euangelio, nec arguere Deum mendacii.

Nahum 1. Confortans in tribulatione. Nahum, id est, consolator.

Congruit cum hoc dicto sententia Pauli dulcissima 1. Corinth. 10. Fidelis est Deus, qui non sinit nos tentari supra vires, sed dat cum tentatione robur seu exitum, vt possimus sustinere.

Agnoscens sperantes in se.) id est, curans, adiuuans, opem & salutem ferens, vt Psal. 1. dicitur: Nouit Dominus viam iusto-

rum. Quod intelligendum est non tantùm de otiosa speculatione, sed multò magis de auxilio.

Iohannes in Epistola inquit: Deus est maior, quàm cor nostrum, id est, Tanta est angustia pectoris nostri, vt non posit comprehendere amplitudinem bonitatis, & misericordiæ, & promissionum diuinarum.

Psal. 146. Comparat Deum chirurgo sananti vulnera, & ea, quæ sunt conuulsa, alliganti rursus.

Nulla sanantur vulnera cordis ope (scilicet humana.)

Contritiones,) Fracturas ossium.

Esaiæ 42. Non extinguet linum fumigans, & non franget calamum quassatum.

Certissima propositio Disiunctiua. Deus aut mitigat ærumnas, aut omnino liberat.

Psalm. 77. Non effudit omnes irarum habenas.

In iudicio.) cum quodam moderamine.

Furor Domini est, quando aliquem abijcit inter vasa iræ.

Adama & Seboim.) oppida vicina Sodomæ.

Quartus Locus.

Exposuimus hactenus tres locos consolationis, quorum primus nondum est integra consolatio. Quia tantùm hoc dicit, calamitates non accidere casu, sed consilio & voluntate Dei. Sed est tamen παρασκευὴ ad sequentes Locos. Estque ἀναίρεσις τῶν κακῶν, id est, opinionum, quæ fingunt, cæca fortunæ manu omnia distribui. Secundum Locum nuper comparaui fasciculo myrrhæ, & fortassis non omnino absurdè. Etsi enim huic nostræ carni crux insuauis est, & amara: tamen salutaris est, & ad veram pœnitentiam inuocationem, & fidem exuscitat. Tertium contuli cum fasciculo Balsami, quod sine dolore sanat vulnera. Quid enim potest proponi piæ menti, luctanti cum ærumnis, efficacius, quàm adesse Deum, opitulari, mitigare, & liberare tandem ex malis?

Quartus locus, est fasciculus thuris, cuius odor rectè comparatur inuocationi.

Tria sunt præstantissima aromata, Myrrha, Balsamum, & Thus. Myrrha autem significat crucem, quæ etsi gustu est amara, tamen salutares adfert nobis fructus, iuxta illud Ebræos 12. Balsamum

animum suauissimè & mollissimè sanat, sine vllo dolore. Hæc est promissio Euangelij de præsentia, auxilio, & liberatione diuina. Thus est inuocatio. Ideò tradidit Deus, &c.) Promissio & fides habent se correlatiuè, cuius regulæ confirmatio sumitur ex cap. 4. Roman. vbi Paulus confert tanquam duo correlatiua, fidem nostram, & promissionem diuinam. Ideò ex fide gratis, vt firma sit promissio, quasi dicat: Etsi promissio Dei per se est firma & rata: tamen nobis non prodest, non est nobis salutaris, nisi apprehendatur fide.

In Aegypto.]

Semper nobis in conspectu sint tres historiæ populi Israel, quæ ostendunt, & cruci subiectam esse Ecclesiam, & rursus mirando modo liberari. Nam in Aegypto totos annos octoginta, Aegyptij quæsiuerunt omnes vias premendi & delendi Ecclesiam populi Israel: sed postea gloriosis factis educta est Ecclesia ex Aegypto. Deinde eadem Ecclesia vagata est in deserto annos 40. vbi experta est varias vices tentationum & consolationum. Postremò, vt alia exempla calamitatum & liberationum Ecclesiæ omittam, quis non iure miretur, populum Israel exulantem in Babylone annos 70. diuinitus, quasi iure postliminij restitutum esse in antiquam possessionem.

Ius postliminij est, quo aliquis pulsus è suo fundo, restituitur aliquo interuallo in antiquam possessionem, beneficio iuris & Legum.

Hæc reductio maius miraculum fuit, quàm eductio ex Aegypto. Quia nullum simile exemplum extat in vlla historia.

φίλων ἔρημος ὢ τάλας ἀπόλλυμαι.)

Hic versus citatur à Platone in prima Epistola, fortasse ex Euripide.

Solus Deus est firmus & fidelis amicus. Reliqui omnes amici sunt mutabiles in vsu vitæ, in periculis.

Scriptura sacra non indiget allegoria, sed partim speculatione, partim sensu. Epiphanius.

Antithesis fiduciæ humanorum præsidiorum, & fiduciæ auxilij diuini.

In Psalm. 118. dicitur: Melius est sperare in Domino, quàm in homine. Ratio huius versiculi in promtu est: Quia hominis voluntas est mutabilis, vt in versu dicitur: Omnia vertuntur, certè vertuntur amores. Et Plato inquit: Amicus est animal natura mutabile. Et Salomon Prouerb. 27. Sicut facies in aquis (quæ oculis sese offert instabiliter) sic cor hominis ad homines.

Fiducia nostra, aut nititur Deo, aut creatura: Altera laudatur, & mandata, altera damnata & exitialis est.

φίλος ἐστὶ ζῶον φύσει εὐμετάβολον.

Eadem similitudine etiam Plato vsus est, cùm inquit: Multas magnas res, de quibus disputant Philosophi perinde cerni à nobis, vt cernuntur res in vndis motis, quæ offerunt se oculis instabiliter.

Deinde fortuna hominis vitrea est, quæ cùm maximè splendet, frangitur. Postremò vita humana breuissima est & fugacissima. Contrà verò voluntas Dei est constans, & perpetua, vt Esaiæ 54. dicitur: Montes mouebuntur, & colles contremiscent. Misericordia autem mea non recedet à te, nec fœdus pacis meæ mouebitur, dicit miserator tuus Dominus.

Psalm. 39. Comparat vitam humanam palmo minori, Einer queren Hand breit.

Deinde potentia Dei est infinita. Denique vita Dei est æterna. Tutius est igitur, præstátq; Deo confidere soli, Quàm se principibus credere mille viris.

Quintus Locus.

Cùm sedero in tenebris, Dominus Lux mea est.]

Ex hoc dicto, & alijs similibus, extruitur aurea regula, quam sæpè repetit D. Lutherus: Omnia opera Dei sunt in medijs contrarijs, vt Deus est lux in tenebris, vita in morte, iustitia in peccato, sapientia in stultitia, robur in infirmitate, Denique est omnia in nihilo.

1. Pet. vltimo.

Deus) non angelus, non homo, non creatura vlla, sed Deus creator, cuius potentia est diuina, cuius manum nemo potest effugere.

Resistit.)

Resistit.) aduersatur, repugnat, obuiam it, non humilibus, non modestis, sed superbis, hoc est, fascinatis admiratione propriæ sapientiæ, iustitiæ & potentiæ.

Devtraque re) id est, de humiliatione, & de exaltatione, de pœna & consolatione. 1. Reg. 2. Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit.

Accommodetur ergò dictum Petri ad vtramque Dei actionem, ad mortificationem, & ad viuificationem.

Didicerunt.) Dulcia non meminit, qui non gustauit amara.

Antonius seipsum interfecit. Philippus Macedo interfectus ab Amasio.

Abominatio.) est res, quam Deus execratur, & acerrimè odit, & quam reijcit cum horrenda indignatione, sicut coquus reijcit ollam rimosam.

Nullæ Tragicæ voces possunt horribilius nominari, quàm abominatio & maledictum.

Abominatio est coram Deo.) Non damnat Christus hoc sermone sublimitatem & dignitatem Magistratuum, quos certè eminere necesse est, supra reliquum genus humanum, tanquam capita & gubernatores, quos oportet instructos esse armis, exercitibus, potentia, cùm sine his non posit gubernari Respublica: sed aliud est esse sublimem, aliud superbum. Potest pius princeps in summo splendore longè esse humilior, quàm ego, aut tu, sicut dici solet: sæpè sub sordido palliolo latere superbiam, Ein Bettler ist offt stöltzer in seinem geflickten Mantel/ denn ein König in seinen gülde=nen stücken.

Ioseph ex carcere.) Fit summus gubernator politiæ & Ecclesiæ in Aegypto.

Psalm. 119. Inclina cor meum ad testimonia tua, & ad humiliationem, non ad superbiam.

Subditus esto.) Summa sapientia comprehenditur in hoc dicto tribus verbis.

Nullus Orator Græcus, aut Latinus, posset tantas res, tàm paucis verbis, & tàm significanter exponere.

Subditus esto Deo, primùm in vita tua, quæ debet esse pia, sancta, iusta, casta, verax, denique omnibus virtutibus Decalogi præstans. Secundò, requirit Psalmus obedientiam in vocatione, de qua Paulus inquit: Hoc requiritur in ministro, vt sit fidelis. Tertiò, postulat obedientiam in ærumnis tolerandis, quas

Deus tibi imponit, vel propter peccata tua, vel propter confeſſionem.

Spera in eum.) Complectitur omnes virtutes primæ tabulæ.

Vacate.) Liuius. Res Romanæ agendo creuerunt. Es fleugt einem kein gebratne Taube ins Maul. Hæc eſt noſtra omnium ratio, ſed Deus inquit: Vacate & videte.

Regula de fœderibus.

" Impliciti fœderibus coguntur ſequi alienos furores. Di-
" ctum Friderici Electoris Saxoniæ. Bonum eſt eſſe fœdera, ſed væ
" illi, qui ſeruat, Wer der aller trewest vnnd frömbst ist/ der muß letzlich das Badt außbaden.

Teucer apud Sophoclem.

In bona cauſa decet habere bonum animum.

Quieſcite.) Id eſt, expectate conſilium Dei, vt Pſalmus loquitur, quod eſt, differre liberationem, & hac mora exercere fidem, inuocationem, & patientiam.

Hæc ſapientia, & hoc conſilium Dei paucis notum eſt, ideò multi impatientia fracti deficiunt à Deo, & quærunt præſidia inconceſſa.

Sacrificium Deo Spiritus, &c.) Summa laus operis eſt, & haberi, & nominari ſacrificium.

Sic igitur fur cùm ducitur.) Quatuor conſolationes potiſſimum proponendæ ſunt miſeris hominibus, qui in publicis ſpectaculis ſupplicio afficiuntur. 1. Eſt promiſsio Remiſsionis peccatorum, & vitæ æternæ. 2. Conſideratio cauſſarum, propter quas Deus vult reos atrocium delictorum publicis pœnis affici. Sunt enim hæ quatuor cauſæ conſilij diuini. Prima iuſtitia Dei. Altera commonefactio de pœnitentia, & de futuro iudicio. Tertia, exemplum. Quarta, neceſsitas communis. Hæ cauſæ ſæpè alio loco declarantur. Tertia conſolatio eſt ſuſtentatio diuina in ſupplicio, iuxta illud Eſaiæ: Deus habitat cum corde contrito, &
Eſa. 57. humiliato, vt viuificet cor contritorum, & erigat Spiritum humilium. Quarta, exitus glorioſus in reſurrectione & vita æterna, ſicut ad latronem Dominus ait: Hodiè mecum eris in Paradiſo.

Cato facit contra iuſtitiam.) Nemo eſt Dominus ſuorum membrorum.

Patientia philoſophica & Chriſtiana differunt: 1. agnitione voluntatis Dei. Quia Philoſophica patientia tantùm intuetur rationem, non eſt conuerſa ad Deum, aut ad verbum Dei. At Chriſtiana patientia intuetur Deum, agnoſcit voluntatem Dei & conſilium, quo premit genus humanum, & Eccleſiam cruce. Deinde differunt ſpe auxilij diuini. Quia Philoſophica patientia nullam ſpem in Deo repoſitam habet. At Chriſtiana patientia eſt ſubdita Deo in ærumnis, & ſimul ſperat in eo.

FINIS LOCI DE CRVCE ET CALAMITATIBVS.

Constat 34 gross Polon
5 Septemb. A° 1583
Dantisci